Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/sciptorumecclesi0001mart

Reg. Coll. B. Mar. et S. Nicol. de C

SCRIPTORUM
ECCLESIASTICORUM
OPUSCULA
PRAECIPUA QUAEDAM.

SCRIPTORUM
ECCLESIASTICORUM
OPUSCULA
PRAECIPUA QUAEDAM.

RECENSUIT,

NOTASQUE SUAS ET ALIORUM

ADDIDIT,

MARTINUS JOSEPHUS ROUTH, S.T.P.

COLLEGII S. MAGDALENAE OXON. PRAESES.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

EDITIO TERTIA.

TOM. I.

OXONII,

E TYPOGRAPHEO ACADEMICO.

M.DCCC.LVIII.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library
24600

LECTORI

S.

TESTES hosce ecclesiasticae doctrinae a te peto ut accipias benigne, quippe, quo propius absunt a primordiis Christianismi, eo magis contra haereticam pravitatem justissimas ob causas valent. Quae res quum ita sit comparata, idcirco ex operibus antiquorum Patrum libellos aliquot mihi visum est seligere, qui veritatem catholicam luculenter et accurate, tum vero scite et eleganter tradant. Hoc in genere alia praeterea opuscula adjicio, pietatem atque virtutem non tam persuadentia quam inspirantia, utpote quum praecepta hominum iis contineantur, haud magna loquentium, sed, quod aiunt, viventium; quorum plerique pro Christo vitam posuerunt. Et quoniam sine libertate vix salva esse poterit aut veritas, aut virtus, id quoque egimus, ut ex hoc praestantium operum delectu liquido pateat, quid de auctoritate sedis Romanae, cuncta sibi vindicantis, sanxerit antiquitas.

Certe in primis saeculis haud quaquam Orientali aut etiam Occidentali Ecclesiae placuit, ut Romanae Ecclesiae vel dominatio in ceterarum fidem, vel immunitas ab errore quasi a Deo concessa attribueretur. Quaecunque enim nunc sunt, vel unquam fuerunt, jura primae sedis ac privilegia, omnia ea nullo alio niti fundamento praeter vetustam consuetudinem et synodicas constitutiones, Orientalis saltem Ecclesia statuebat. Immo totus orbis in Concilio Nicaeno jura nonnisi ex veteri more orta eidem sedi, aliisve majoribus Ecclesiis, adscribit[a]. Et quantumcunque sibi honorem ex amplitudine Apostolorum Petri et Pauli, qui Ecclesiam Romanam stabiliverunt, urbis Romae Episcopi sibi comparaverint, his tamen, judice Concilio generali Chalcedonensi, *διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην οἱ Πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα*[b]. Ex quo, etsi Ecclesiae Hierosolymitanae honor solitus et antiquus Canone septimo Nicaeno confirmatus est, Caesareae tamen metropoli, eodem Canone jubente, salva manebat ecclesiastica sua dignitas, cujus quidem instituendae praerogativa civilis fuerat initium. Quae porro deferebantur ad Episcopum Romanum appellationes, quas favens ei, et in honorem S. Petri, concesserat Sardicense Concilium, ut nimirum causae nonnullae, etsi prius judicatae, si tamen Pontifex ille ita juberet, in eadem quidem provincia retractarentur, has utique provocationes

[a] Canone sexto Nicaeno.

[b] Canone vicesimo octavo Chalcedonensi.

universa Ecclesia neutiquam sanciebat. Quod quidem Canone sexto Concilii Secundi generalis liquido ostenditur. Idemque comprobat Canon nonus Chalcedonensis. Quin et ipsum Concilium Sardicense saeculo nono haud receptum a Graecis fuisse, ex epistola scimus Nicolai I. Pontificis Romani ad Photium[c]. Taceo de epistolis pseudodecretalibus, in quibus appellationes istae apparent; hae enim epistolae merces tantum furtivae, et paulo ante haec tempora Photiana inductae, nunc omnibus videntur.

Sed haec hactenus. Ut libri, quos edo, jam noti tibi fiant, dicam qui sint singuli et omnes. De unitate Divina et Filii persona exponit S. Hippolyti liber ille contra Noetum. Haeresis vero omnigenae prae ecclesiastica doctrina novitatem, et quasi posteritatem, ostendit Fragmentum, quod exstat, Epistolae S. Irenaei ad Florinum, tum vero fusius arguit liber de Praescriptione Haereticorum a Tertulliano scriptus. Adversus eos, qui negent in Sacramento corporis et sanguinis Domini adhuc manere elementorum substantiam sive naturam, hic habes, praeter ῥήσεις alias adductas, tria praesertim veteris fidei testimonia; quorum unum desumptum est ex Epistola ad Caesarium monachum, in numero scriptorum S. Chrysostomi habita vel antiquitus; alterum praestat liber Gelasii Papae de Duabus Christi Naturis; exstat cum pluribus tertium in Aelfrici

[c] Concil. tom. v, p. 135, edit. Harduin.

Anglo-Saxonis Epistolis. Porro ethnicorum superstitiones et docte et eleganter insectatus est S. Cypriani de Idolorum Vanitate libellus. Denique si tibi quaeratur fides, tum vero disciplina, Ecclesiae universae, utraque in Symbolis et Canonibus Conciliorum Quatuor Primorum Generalium αὐθεντικῶς tradita servatur.

De libris, unde doctrina ecclesiastica petatur, tantum. Pietatem in Deum et officia Christianorum agnosces in S. Polycarpi ad Philippenses Epistola, atque Tertulliani de Oratione libro; quibus tres addidi S. Cypriani libellos, quos de Mortalitate seu Peste, de Opere et Eleemosynis, de Zelo atque Livore composuit.

Venio ad scripta quae ad quaestionem illam de antiqua Romani Praesulis auctoritate spectant. Hujus vero generis duo quidem hic comparent opuscula; Epistola Firmiliani Caesareae Cappadocum Episcopi, cujus interpres S. Cyprianus habetur; ubi dicitur Stephanus Romanus, quando se ab Orientalibus sciderit, a communione ecclesiasticae unitatis non illos, sed seipsum scidisse. Hanc sequitur epistolam Capitulum Secundum Libri Diurni Pontificum Romanorum, in quo Honorium urbis Romae Episcopum, a generali Concilio ante damnatum, successores ejus anathemate nominatim feriunt.

Quod libros istos tali ordine commemoravi, hoc eo spectabam, ut in locos distribuerentur; contra vero in ipso volumine auctores singuli suo quisque temporis ordine collocati sunt, ut utilius le-

gerentur: tantum quos ipso initio habes scriptores, eos simul jungendos censui, Polycarpum, Irenaeum, Hippolytum, quum Hippolytus discipulus Irenaei fuisset, Irenaeusque Polycarpum, Joannis Apostoli discipulum, audivisset.

Dicendum nunc de Annotationibus quas adposui. Hae in textus emendatione maxime versantur. Concilia enim cum octo, Cyprianum vero cum septem Codicibus MStis, eoque plus, contuli: Tertullianum ex editionibus vetustissimis correxi.

Vale, Lector, et ex utilitate horum operum aestima veteres istos ecclesiasticae doctrinae testes. Ne citius prodirent, obstitit alius cujusdam telae textura, quae suscepta mihi pro veritate adversus exterum quendam criticum pugnanti, propterea relicta est, quia partes defensionis a pluribus occupatae videbantur.

[1832.]

LECTORI.

HAEC olim praefatus sum. Nunc mendis editionis prioris nimio pluribus expurgatis, et notis haud raro vel refectis, vel ampliatis, alteram ego editionem, ut spero, emendatam, saltem auctam, tibi, Lector, in manus trado. Etenim Synodicam addidi S. Cyrilli Alexandrini ad Nestorium Epistolam, quippe quae, una cum Duodecim illis Capitulis, apud Generale Concilium Ephesi paulo post habitum recepta est; quae vero in Canonum Codice Ecclesiae Romanae huic ipsi Concilio attribuitur. Quid quod Appendicem quoque duobus auxi opusculis? Nam praeter positam in ea Joannis Antiocheni, Praesulumque Orientalium, Fidei Confessionem ab eodem S. Cyrillo comprobatam, nunc, quae postrema est Ecclesiae Universae de Persona et Incarnatione Christi Definitio, Formulam Fidei subjunxi a Concilio Sexto Generali contra Monothelitas editam. Quod si addi ista debuisset, tamen necesse nequaquam fuit catholicae veritatis causa Fidei proferre Formulam Quinti Generalis; quippe tantum non omnem versatam in condemnatione vel dogmatum ab Ecclesia jam proscriptorum, vel demum singulorum hominum, seu Nestorianis seu Eutychianis erroribus aliquatenus faventium. Iterum vale, mi Lector.

[1840.]

OPUSCULORUM INDEX.

VOL. I.	Opuscula. Pag.	Annotationes. Pag.
S. Polycarpi Ad Philippenses Epistola	1— 20	21— 31.
Fragmentum Epistolae S. Irenaei ad Florinum,	33— 37	38— 41.
S. Hippolyti Contra Haeresin Noeti	43— 80	81— 94.
Tertulliani De Oratione.....	95—121	173—188.
Ejusdem De Praescriptione Haereticorum	122—159	189—215.
Anonymi Adversus Omnes Haereses	161—172	216—225.
Firmiliani Ad S. Cyprianum Epistola.....	227—250	251—264.
S. Cypriani De Idolorum Vanitate	265—276	329—339.
Ejusdem De Mortalitate, seu Peste	277—294	340—347.
Ejusdem De Opere et Eleemosynis	295—315	348—355.
Ejusdem De Zelo et Livore	316—328	356—359.
Concilii Nicaeni Symbolum et Canones....	365—383	400—416.
Concilii Constantinopolitani Canones et Symbolum	385—399	417—426.

VOL. II.		
Concilii Ephesini Canones	1— 12	85— 92.
S. Cylilli Alex. Epistola Synodica adversus Nestorium, Graece et Lat.	13— 47	93—101.
Concilii Chalcedonensis Canones.....	49— 83	102—120.
Ex Epistola S. Chrysostomi ad Caesarium...	121—129	130—134.
Ex Opere Gelasii De Duabus Christi Naturis,	135—139	140—144.
Ex Libro Diurno Romanorum Pontificum,	145—155	156—163.
Ex Aelfrici Abbatis Epistolis	165—177	178—186.

APPENDIX.

Concilii Nicaeni Ad Alexandrinos Epistola Synodica ..	189—194.
Joannis Garnerii Notae in S. Cyrilli Alex. Epistolam Synodicam	195—200.
Joannis Episcopi Antiocheni ad S. Cyrillum Alex. Epist...	201—208.
Regula Fidei ex S. Irenaei Contra Haereses lib. I. c. 10..	209—216.
S. Athanasii Expositio Fidei	217—228.
Definitio Fidei Apud Concilium Generale Sextum	229—243.
Arnobii Disputationum Adversus Gentes Liber Primus ...	245—297.
Lactantii Epitome Institutionum Divinarum.....	299—383.

LECTORI.

HAEC olim praefatus sum. Nunc mendis editionis prioris nimio pluribus expurgatis, et notis haud raro vel refectis, vel ampliatis, alteram ego editionem, ut spero, emendatam, saltem auctam, tibi, Lector, in manus trado. Etenim Synodicam addidi S. Cyrilli Alexandrini ad Nestorium Epistolam, quippe quae, una cum Duodecim illis Capitulis, apud Generale Concilium Ephesi paulo post habitum recepta est; quae vero in Canonum Codice Ecclesiae Romanae huic ipsi Concilio attribuitur. Quid quod Appendicem quoque duobus auxi opusculis? Nam praeter positam in ea Joannis Antiocheni, Praesulumque Orientalium, Fidei Confessionem ab eodem S. Cyrillo comprobatam, nunc, quae postrema est Ecclesiae Universae de Persona et Incarnatione Christi Definitio, Formulam Fidei subjunxi a Concilio Sexto Generali contra Monothelitas editam. Quod si addi ista debuisset, tamen necesse nequaquam fuit catholicae veritatis causa Fidei proferre Formulam Quinti Generalis; quippe tantum non omnem versatam in condemnatione vel dogmatum ab Ecclesia jam proscriptorum, vel demum singulorum hominum, seu Nestorianis seu Eutychianis erroribus aliquatenus faventium. Iterum vale, mi Lector.

[1840.]

OPUSCULORUM INDEX.

VOL. I.	Opuscula. Pag.	Annotationes. Pag.
S. Polycarpi Ad Philippenses Epistola	1— 20	21— 31.
Fragmentum Epistolae S. Irenaei ad Florinum,	33— 37	38— 41.
S. Hippolyti Contra Haeresin Noeti	43— 80	81— 94.
Tertulliani De Oratione	95—121	173—188.
Ejusdem De Praescriptione Haereticorum	122—159	189—215.
Anonymi Adversus Omnes Haereses	161—172	216—225.
Firmiliani Ad S. Cyprianum Epistola	227—250	251—264.
S. Cypriani De Idolorum Vanitate	265—276	329—339.
Ejusdem De Mortalitate, seu Peste	277—294	340—347.
Ejusdem De Opere et Eleemosynis	295—315	348—355.
Ejusdem De Zelo et Livore	316—328	356—359.
Concilii Nicaeni Symbolum et Canones	365—383	400—416.
Concilii Constantinopolitani Canones et Symbolum	385—399	417—426.

VOL. II.		
Concilii Ephesini Canones	1— 12	85— 92.
S. Cylilli Alex. Epistola Synodica adversus Nestorium, Graece et Lat.	13— 47	93—101.
Concilii Chalcedonensis Canones	49— 83	102—120.
Ex Epistola S. Chrysostomi ad Caesarium	121—129	130—134.
Ex Opere Gelasii De Duabus Christi Naturis,	135—139	140—144.
Ex Libro Diurno Romanorum Pontificum,	145—155	156—163.
Ex Aelfrici Abbatis Epistolis	165—177	178—186.

APPENDIX.

Concilii Nicaeni Ad Alexandrinos Epistola Synodica	189—194.
Joannis Garnerii Notae in S. Cyrilli Alex. Epistolam Synodicam	195—200.
Joannis Episcopi Antiocheni ad S. Cyrillum Alex. Epist.	201—208.
Regula Fidei ex S. Irenaei Contra Haereses lib. I. c. 10.	209—216.
S. Athanasii Expositio Fidei	217—228.
Definitio Fidei Apud Concilium Generale Sextum	229—243.
Arnobii Disputationum Adversus Gentes Liber Primus	245—297.
Lactantii Epitome Institutionum Divinarum	299—383.

S. POLYCARPI EPISTOLA.

VETERUM TESTIMONIA

DE

EPISTOLA S. POLYCARPI.

S. Irenaeus adv. Haereses, lib. III. cap. 3.

ΕΣΤΙ δὲ καὶ Ἐπιστολὴ Πολυκάρπου πρὸς Φιλιππησίους γεγραμμένη, ἱκανωτάτη, ἐξ ἧς καὶ τὸν χαρακτῆρα τῆς πίστεως αὐτοῦ, καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας, οἱ βουλόμενοι, καὶ φροντίζοντες τῆς ἑαυτῶν σωτηρίας, δύνανται μαθεῖν. Haec Irenaei Graeca lingua servavit Eusebius, Hist. Eccl. IV. 14. qui ipse addit, Ὅ γέ τοι Πολύκαρπος ἐν τῇ δηλωθείσῃ πρὸς Φιλιππησίους αὐτοῦ γραφῇ, φερομένῃ εἰς δεῦρο, κέχρηταί τινι μαρτυρίαις ἀπὸ τῆς Πέτρου προτέρας Ἐπιστολῆς. p. 252 ed. Burton.

Vetus Irenaei Interpres.

Est autem et Epistola Polycarpi ad Philippenses scripta, perfectissima: ex qua et characterem fidei ejus, et praedicationem veritatis, qui volunt, et curam habent suae salutis, possunt discere. [Dein Eusebium sic vertere pergit vetus Interpres Rufinus:] Polycarpus vero in ipsa Epistola, quam ad Philippenses scripserat, utitur testimoniis de prima Petri Epistola.

Idem Irenaeus, Epistola ad Florinum, apud Eusebium, Hist. Eccl. V. 20. [Vide infra, p. 37.]

Καὶ ἐκ τῶν Ἐπιστολῶν δὲ αὐτοῦ [Polycarpi] ὧν ἐπέστειλεν, ἤτοι ταῖς γειτνιώσαις ἐκκλησίαις, ἐπιστηρίζων αὐτὰς, ἢ τῶν ἀδελφῶν τισὶ, νουθετῶν αὐτοὺς καὶ προτρεπόμενος, δύναται φανερωθῆναι [Polycarpi sententia].

Eusebii vetus Interpres Rufinus.

Sed et ex Epistolis ejus, quas scripsit, vel ad vicinas ecclesias, vel ad aliquos ex fratribus, commonens et confirmans eos, et cohortans ad fidem, potest sententia ejus evidenter agnosci.

Eusebius, Hist. Eccl. III. 36.

Καὶ ὁ Πολύκαρπος δὲ τούτων αὐτῶν [Epistolarum Ignatii] μέμνηται ἐν τῇ φερομένῃ αὐτοῦ πρὸς Φιλιππησίους Ἐπιστολῇ· φάσκων αὐτοῖς ῥήμασι, Παρακαλῶ οὖν πάντας ὑμᾶς &c. [cap. 9]

Eusebii vetus Interpres Rufinus.

Sed et Polycarpus horum memoriam facit in Epistola, quam ad Philippenses scribit, per haec, Deprecor, inquit, omnes vos &c.

S. Hieronymus, De Viris Illustribus, cap. 17.

Polycarpus, Joannis Apostoli discipulus, et ab eo Smyrnae Episcopus ordinatus, totius Asiae princeps fuit. — Scripsit ad Philippenses valde utilem Epistolam, quae usque hodie in Asiae conventu legitur.

Idem Hieronymus, Epist. XXVIII. ad Lucinium.

Porro Josephi libros, et sanctorum Papiae et Polycarpi volumina, falsus ad te rumor pertulit, a me esse translata : quia nec otii mei, nec virium est, tantas res eadem in alteram linguam exprimere cum venustate.

Idem Hieronymus, Libro adv. Helvidium, cap. 17.

Numquid non possum tibi totam veterum Scriptorum seriem commovere, Ignatium, POLYCARPUM, Irenaeum, Justinum Martyrem, multosque alios apostolicos et eloquentes viros, qui adversus Ebionem, et Theodotum Byzantium, et Valentinum, haec eadem sentientes, plena sapientiae volumina conscripserunt ?

Maximus, in Scholiis ad Epistolam VII. Pseudo-Dionysii, quae est ad Polycarpum.

Ὁ ἅγιος οὗτος Πολύκαρπος, Σμύρνης τῆς ἐν Ἀσίᾳ γέγονεν Ἐπίσκοπος, ἀκροατὴς γενόμενος τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Εὐαγγελιστοῦ, ὥς φησιν Εἰρηναῖος ἐν τῷ τρίτῳ βιβλίῳ τῶν κατὰ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως· καὶ μαρτυρίῳ δὲ ἐτελειώθη διὰ πυρός. Ἔχει δὲ καὶ ἐπιστολὰς ὁ αὐτὸς θεῖος Πολύκαρπος πρὸς Φιλιππησίους. Op. Maximi, tom. I. p. 93. ed. Corderii.

Sanctus hic Polycarpus Smyrnae in Asia fuit Episcopus, et auditor exstitit sancti Johannis Evangelistae, ut ait Irenaeus in tertio libro adversus falsi nominis scientiam ; et vero martyrio per ignem consummatus est. Habet quoque idem divinus Polycarpus litteras ad Philippenses.

Photius, Bibliotheca, Cod. 126.

Ἀνεγνώσθη καὶ Πολυκάρπου Ἐπιστολὴ πρὸς Φιλιππησίους, [in eodem Codice juncta cum utraque Epistola Clementis Romani] γέμουσα πολλῆς νουθεσίας μετὰ σαφηνείας καὶ ἁπλότητος, κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν τῆς ἑρμηνείας τύπον. Λέγει δὲ καὶ τὰς Ἐπιστολὰς αὐτοῖς Ἰγνατίου τοῦ Θεοφόρου ἀπεσταλκέναι, καὶ αἰτεῖται ἀναδιδαχθῆναι παρ' αὐτῶν, εἴ τι περὶ ἐκείνου διακούσαιεν. [cap. 13. S. Polycarpi Epist.]

Lecta quoque est Polycarpi ad Philippenses Epistola, multis referta admonitionibus, cum perspicuitate ac simplicitate, juxta ecclesiasticam interpretationis formam. Dicit autem, se et epistolas Ignatii Theophori ad eos misisse; petitque ab ipsis, si quid de illo inaudierint, edoceri.

EX PRAEFATIONE THOMAE SMITH, V. CL.

IN S. IGNATII EPISTOLAS,

OXONII EDITAS ANNO MDCCIX.

'EPISTOLAM S. Polycarpi ad Philippenses, cui ille
' genuinarum S. Ignatii Epistolarum syllogen subjunxerat,
' primus Graece Petrus Halloix S. J. ex apographo Tur-
' riani ad illum a doctissimo viro, Jacobo Sirmondo, dili-
' gentissimo ac felicissimo antiquitatum ecclesiasticarum
' investigatore, transmisso edidit in Illustrium Ecclesiae
' Orientalium Scriptorum Vitis et Documentis. Duaci,
' 1633. tom. I. p. 525. Genuina certe Epistola est, et in
' maximo apud Christianos primorum saeculorum pretio et
' honore habita, in quorum solennibus conventibus legi so-
' lebat, et ex qua Eusebius dicit, inter alia, quaedam testi-
' monia ex priori S. Petri Epistola desumpta esse, quod
' legenti abunde constabit: nec minus sanctissimus Martyr
' in Epistola S. Clementis Romani ad Corinthios versatus
' mihi videtur, cujus verba quoque saepenumero retinet.
' Unicum illud exemplar videtur in Christiano orbe adhuc
' repertum, quo usus est Turrianus, ex quo caetera apo-
' grapha derivantur. Utinam vero illa Graece integra ex-
' stitisset! Dolendum enim est, posteriorem partem, quae
' eundem auctorem plane habet, ibi deesse; sed interim

' versione veteri Latina contenti esse debemus, donec per-
' fectum exemplar cura Principum et Episcoporum ex
' Graecia procurari possit.' Haec SMITHUS.

PORRO contulisse se ait Halloixius, in notis in idem opus, aliud Epistolae hujus exemplum, quod ab Andrea Schotto acceperat, priusquam sibi misisset Sirmondus Epistolam ' olim Romae ex Turriani apographo ab ipso Sirmondo ' descriptam.' p. 596. Sed prorsus simile alterum alteri invenit Halloixius. Dein quum Schottani exemplaris apographum a Salmasio cum Isaaco Vossio communicatum esset, hoc idem penes Usserium exstitisse discimus ex initio notarum hujus doctissimi Praesulis in Polycarpi Epistolam, una cum Ignatianis, Oxonii, anno 1644, typis impressam. Atque alium praeterea exstare Florentiae codicem, Librorum MSS. Mediceorum Catalogus Bandinianus ostendit, qui quidem MStus ab ipso Smitho in edendo Polycarpo allatus est. At vero hunc tantum esse apographum alicujus Romani Codicis, vel Vaticani, vel illius Columnaei, quem antiquissimum esse refert Halloixius, vulnus indicat commune omnibus Polycarpi manuscriptis, quod Smithus supra commemoravit. Neque interea liber Florentiae exstans idem est atque Codex celebris Ignatianus Florentinus, sive Mediceus, qui quidem MS. haud continet Polycarpi Epistolam. Hiatum vero, de quo loquimur, supplet partim Eusebius in Historia, plene vero et integre vetus Polycarpi interpretatio Latina, quam una cum Dionysii Areopagitae atque Ignatii scriptis primus edidit Jacobus Faber Stapulensis, anno 1498, Parisiis. In Graeco autem Polycarpi exemplari, unde caeteri codices profluxere, unum et alterum folium, immo quaternio, ut refert Usserius, ad calcem Polycarpi defuerat ; ex quo factum est, ut finis hujus Epistolae, et principium Epistolae S. Barnabae, quum conjungeretur utrumque opus, interciderint. Atque rem ita habere, id versiones Latinae veteres utriusque Epistolae liquido demonstrant. Nihilo tamen minus, quoniam in Codice modo

dicto Florentino, nulla interposita distinctione, vel adhibito alterius tituli discrimine, posteriora, perinde ac priora, Polycarpo tribuuntur, hinc ortum est, ut totum istud, diversorum licet auctorum, ediderit in Variis Sacris conjunctim, anno 1685 publici juris factis, Stephanus Lemoyne, quasi ex ratione quadam ac certo consilio, ut ipse ait, idem fuerit conjunctum. Porro statuit in Prolegomenis suis vir idem eruditus, totum istud, seu utramque Epistolam, tribui posse Polycarpo; quam quidem sententiam suam aliis viris doctis minime probavit. Quinimmo tollitur haec opinio, ne quid ultra memorem, subscriptione Codicis Vaticani; in quo quidem colophone posteriora illi Epistolae, quae fertur Barnabae, vindicantur. Jam vero licuit mihi Opuscula haec denuo proferenti lectorem certiorem facere, usum fuisse hoc manuscripto vetusto, perinde ac Florentino illo, et altero Parisiensi, qui est Codex recentior, in adornandaeditione sua Patrum Apostolicorum cl. Jacobsonum, in qua exstat Polycarpus SS. Clementi atque Ignatio adjunctus.

ΤΟΥ

ΑΓΙΟΥ ΠΟΛΥΚΑΡΠΟΥ,

ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΣΜΥΡΝΗΣ ΚΑΙ ΙΕΡΟΜΑΡΤΥΡΟΣ,

ΠΡΟΣ ΦΙΛΙΠΠΗΣΙΟΥΣ ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

SANCTI POLYCARPI

MARTYRIS, SMYRNAEORUM EPISCOPI, DISCIPULI S. JOANNIS EVANGELISTAE,

AD PHILIPPENSES EPISTOLA.

Πολύκαρπος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ Πρεσβύτεροι τῇ Ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ παροικούσῃ Φιλίππους· Ἔλεος ὑμῖν καὶ εἰρήνη παρὰ Θεοῦ παντοκράτορος καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν πληθυνθείη.

α'. ΣΥΝΕΧΑΡΗΝ ὑμῖν μεγάλως, ἐν Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ, δεξαμένοις τὰ μιμήματα τῆς ἀληθοῦς ἀγάπης, καὶ προπέμψασιν, ὡς ἐπέβαλεν ὑμῖν, τοὺς ἐνειλημμένους τοῖς ἁγιοπρεπέσι δεσμοῖς, ἅτινά ἐστι διαδήματα τῶν ἀληθῶς ὑπὸ Θεοῦ καὶ τοῦ Κυ-

Vetus Interpres.

Polycarpus et qui cum eo sunt Presbyteri Ecclesiae Dei quae est Philippis. Misericordia vobis et pax a Deo omnipotente et Jesu Christo Salvatore nostro abundet.

I. Congratulatus sum vobis magnifice, in Domino nostro Jesu Christo, suscipiens imitabilia verba dilectionis quam ostendistis in illis, qui praemissi sunt, viris sanctis, decorosis vinculis connexis, quae sunt coronae electae Deo, illius

ρίου ἡμῶν ἐκλελεγμένων· καὶ ὅτι ἡ βεβαία τῆς πίστεως ὑμῶν ῥίζα, ἐξ ἀρχαίων καταγγελλομένη χρόνων, μέχρι νῦν διαμένει, καὶ καρποφορεῖ εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, ὃς ὑπέμεινεν ὑπὲρ τῶν
Act. ii. 24. ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἕως θανάτου καταντῆσαι· ὃν ἤγειρεν
1 Pet. i. 8. ὁ Θεὸς ‘λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ ᾅδου’ εἰς ὃν οὐκ ἰδόντες πιστεύετε, ‘πιστεύοντες δὲ ἀγαλλιᾶσθε χαρᾷ ‘ἀνεκλαλήτῳ καὶ δεδοξασμένῃ’ εἰς ἣν πολλοὶ ἐπιθυ-
Ephes. ii. 8, 9. μοῦσιν εἰσελθεῖν, εἰδότες ὅτι ‘χάριτί ἐστε σεσωσμέ-‘νοι,’ ‘οὐκ ἐξ ἔργων,’ ἀλλὰ θελήματι Θεοῦ, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ.

1 Pet. i. 13. β΄. ‘Διὸ ἀναζωσάμενοι τὰς ὀσφύας ὑμῶν’ ‘δουλεύ-
Ps. ii. 11. ‘σατε τῷ Θεῷ ἐν φόβῳ’ καὶ ἀληθείᾳ, ἀπολιπόντες τὴν κενὴν ματαιολογίαν, καὶ τὴν τῶν πολλῶν πλάνην,
1 Pet. i. 21. ‘πιστεύσαντες εἰς τὸν ἐγείραντα τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰη-‘σοῦν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν, καὶ δόντα αὐτῷ δόξαν’ καὶ
Philipp. ii. 10. θρόνον ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ· ᾧ ὑπετάγη τὰ πάντα ἐπουράνια καὶ ἐπίγεια· ᾧ πᾶσα πνοὴ [a] λατρεύει· ὃς ἔρχεται

veri regni, per Dominum nostrum Jesum Christum. Et quia firmitas fidei vestrae a principio usque nunc permanet, et fructificat in Domino Jesu Christo, qui sustinuit pro peccatis nostris usque ad mortem[b]: [c]*quem resuscitavit Deus, dissolvens dolores inferni.* [d]*Quem quum non videritis, nunc diligitis; in quem nunc non aspicientes, creditis: credentes autem gaudebitis gaudio inenarrabili et glorificato: in quod multi desiderant introire,* scientes quia *gratia* [e]*salvi facti estis, non ex operibus,* sed in voluntate Dei, per Jesum Christum.

II. [f]*Propter quod succincti lumbos vestros* [g]*servite Deo cum timore* et in veritate; dimisso inani vaniloquio et multo errore. [h]*Credite* ergo *in illum qui resuscitavit Dominum nostrum Jesum Christum ex mortuis, et dedit ei gloriam* et sedem in dextera sua; cui subjecta sunt omnia coelestia, et terrestria, et subterranea; cui omnis spiritus servit; qui venturus est

Ex Smithi edit.

[a] l. 18. Al. λατρεύσει. [b] Adde, *pervenire.* [c] Act. ii. 24. [d] 1 Pet. i. 8. [e] Ephes. ii. 8. [f] 1 Pet. i. 13. [g] Psal. ii. 11. [h] 1 Pet. i. 21.

κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν· οὗ τὸ αἷμα ἐκζητήσει ὁ
Θεὸς ἀπὸ τῶν ἀπειθούντων αὐτῷ. Ὁ δὲ ἐγείρας αὐτὸν 2 Cor. iv.
ἐκ νεκρῶν, καὶ ἡμᾶς ἐγερεῖ, ἐὰν ποιῶμεν αὐτοῦ τὸ θέ- 14.
λημα, καὶ πορευώμεθα ἐν ταῖς ἐντολαῖς αὐτοῦ, καὶ
ἀγαπῶμεν ἃ ἠγάπησεν· ἀπεχόμενοι πάσης ἀδικίας,
πλεονεξίας, φιλαργυρίας, καταλαλιᾶς, ψευδομαρτυ-
ρίας· Ἀποδιδόντες κακὸν ἀντὶ κακοῦ, ἢ λοιδορίαν 1 Pet. iii. 9.
ἀντὶ λοιδορίας, ἢ γρόνθον ἀντὶ γρόνθου, ἢ κατάραν
ἀντὶ κατάρας. Μνημονεύοντες δὲ ὧν εἶπεν ὁ Κύ-
ριος διδάσκων· Μὴ κρίνετε, ἵνα μὴ κριθῆτε· ἀφίετε, Mat. vii. 1.
καὶ ἀφεθήσεται ὑμῖν· ἐλεεῖτε, ἵνα ἐλεηθῆτε· [a]ἐν ᾧ Mat. vii. 2.
μέτρῳ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν. Καὶ, ὅτι
μακάριοι οἱ πτωχοὶ [τῷ πνεύματι addunt Vet. Interp. Mat. v. 3.
et Evangelia SS. Mat. et Marci], καὶ οἱ διωκόμενοι ἕνεκεν Matt. v. 10.
δικαιοσύνης· ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ.

γ'. Ταῦτα, ἀδελφοὶ, οὐκ ἐμαυτῷ ἐπιτρέψας γράφω

judicare vivos et mortuos; cujus sanguinem requiret Deus ab eis qui non crediderunt in eum: qui et resuscitavit eum a mortuis; qui et nos resuscitaturus est in [d]vita, si fecerimus voluntatem ejus et ambulaverimus in mandatis ipsius, et dilexerimus quae ipse dilexit; abstinentes nos ab omni injustitia, [e]hoc est, a concupiscentia, ab avaritia, a detractione, a falso testimonio; [f]*non reddentes malum pro malo, aut injuriam pro injuria,* aut contumeliam pro contumelia, aut maledictum pro maledicto. [g]Mementote quod Dominus docens dixit: [h]*Nolite judicare, ne judicemini; dimittite, et dimittetur vobis;* miseremini, et Dominus miserebitur vestri; [i]*qua enim mensura mensi fueritis, remetietur eadem vobis.* Et quod dictum est: *Beati pauperes spiritu, et qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum coelorum.*

III. Haec autem, fratres mei, non a meipso imperans scribo

Ex Smithi edit.

[a] l. 11. dele *ἐν.* [non agnoscunt Codd. Flor. Vat. teste Jacobsono, sed aliter Sacer Textus.] [d] Forte *ad vitam.* [e] Τὸ *hoc est* omnino superfluum et delendum. [f] 1 Pet. iii. 9. [g] Μνημονεύετε. [h] Luc. vi. 37. 38. Matt. vii. 1, 2. [i] Matt. vii. 2.

ὑμῖν περὶ τῆς δικαιοσύνης· ἀλλ' ἐπεὶ ὑμεῖς προεπεκαλέσασθέ με. Οὔτε γὰρ ἐγὼ, οὔτε ἄλλος ὅμοιος ἐμοὶ δύναται κατακολουθῆσαι τῇ σοφίᾳ τοῦ μακαρίου καὶ ἐνδόξου Παύλου· ὃς γενόμενος ἐν ὑμῖν κατὰ πρόσωπον τῶν τότε ἀνθρώπων, ἐδίδαξεν ἀκριβῶς καὶ βεβαίως τὸν περὶ ἀληθείας λόγον· ὃς καὶ ἀπὼν ὑμῖν ἔγραψεν ἐπιστολὰς, εἰς ἃς ἐὰν ἐγκύπτητε, δυνηθήσεσθε οἰκοδομεῖσθαι εἰς τὴν δοθεῖσαν ὑμῖν πίστιν, 'ἥτις 'ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν,' ἐπακολουθούσης τῆς ἐλπίδος, προαγούσης τῆς ἀγάπης, τῆς εἰς Θεὸν καὶ Χριστὸν καὶ εἰς τὸν πλησίον. Ἐὰν γάρ τις τούτων ἐντὸς ᾖ [fors. ᾖ πλήρης, π.] πεπλήρωκεν ἐντολὴν δικαιοσύνης· ὁ γὰρ ἔχων ἀγάπην, μακράν ἐστι πάσης ἁμαρτίας.

Gal. iv. 26.

1 Tim. vi. 10, 7.

δ'. Ἀρχὴ δὲ πάντων χαλεπῶν φιλαργυρία. Εἰδότες οὖν ὅτι οὐδὲν εἰσηνέγκαμεν εἰς τὸν κόσμον, ἀλλ' οὐδὲ ἐξενεγκεῖν τι ἔχομεν, ὁπλισώμεθα τοῖς ὅπλοις τῆς δικαιοσύνης, καὶ διδάξωμεν ἑαυτοὺς πρῶτον πορεύεσθαι ἐν τῇ ἐντολῇ τοῦ Κυρίου· ἔπειτα καὶ τὰς

vobis de justitia; sed quoniam vos provocastis. Propter quod neque ego, neque similis alius mei poterit sequi sapientiam beati et gloriosi Pauli; qui fuit apud vos, et visus est secundum faciem illis, qui tunc erant, hominibus; qui docuit certissime atque firmissime verbum veritatis; qui et absens scripsit vobis epistolas, ad quas deflectamini, ut possitis aedificari in fide quae data est vobis, *quae est mater omnium nostrum*, subsequente spe, praecedente dilectione, quae est in Deo, et in Christo, et in proximo. Si enim quis horum intrinsecus repletus fuerit mandatis justitiae, et habuerit dilectionem, longe est ab omni peccato.

IV. Principium autem [a]omnium malorum est avaritia. Scitote ergo, *quia nihil intulimus in hunc mundum, neque auferre possumus.* Armemur armis justitiae: et doceamus nosmet ipsos primum ambulare in mandatis Domini, et post hoc

Ex Smithi edit.

[a] 1 Tim. vi. 10.

γυναῖκας ὑμῶν ἐν τῇ δοθείσῃ αὐταῖς πίστει καὶ ἀγάπῃ καὶ ἁγνείᾳ, (στεργούσας τοὺς ἑαυτῶν ἄνδρας ἐν πάσῃ ἀληθείᾳ, καὶ ἀγαπώσας πάντας ἐξ ἴσου ἐν πάσῃ ἐγκρατείᾳ,) καὶ τὰ τέκνα παιδεύειν τὴν παιδείαν τοῦ φόβου τοῦ Θεοῦ. Τὰς χήρας σωφρονούσας περὶ τὴν τοῦ Κυρίου πίστιν, ἐντυγχανούσας ἀδιαλείπτως περὶ πάντων, μακρὰν οὔσας πάσης διαβολῆς, καταλαλιᾶς, ψευδομαρτυρίας, φιλαργυρίας, καὶ παντὸς κακοῦ· γινωσκούσας ὅτι εἰσὶ [a] θυσιαστήριον Θεοῦ, καὶ ὅτι πάντα μωμοσκοπεῖται, καὶ λέληθεν αὐτὸν οὐδὲν, οὔτε λογισμῶν, οὔτε ἐννοιῶν, οὔτέ τι τῶν κρυπτῶν τῆς καρδίας. Heb. iv. 12, 13.

ε'. Εἰδότες οὖν, ὅτι 'Θεὸς οὐ μυκτηρίζεται,' ὀφείλομεν ἀξίως τῆς ἐντολῆς αὐτοῦ καὶ δόξης περιπατεῖν. Gal. vi. 7.
'Ομοίως διάκονοι ἄμεμπτοι κατενώπιον αὐτοῦ τῆς δικαιοσύνης, ὡς Θεοῦ καὶ Χριστοῦ διάκονοι, καὶ οὐκ ἀνθρώπων· μὴ διάβολοι, μὴ δίλογοι, ἀφιλάργυροι, ἐγκρατεῖς περὶ πάντα, εὔσπλαγχνοι, ἐπιμελεῖς, πο- 1 Tim. iii. 3.

etiam mulieres vestras in fide quae data est eis, et dilectione, et castitate (amantes suos viros in omni veritate [a] et charitate, diligentes omnes aequaliter in omni continentia) et filios erudire in disciplina et timore Dei. Viduae vero pudicae circa fidem Dei interpellent incessanter pro omnibus; elongantes se ab omnibus diabolicis detractionibus, et falso testimonio, et ab omni malo: cognoscentes seipsas, quia sunt sacrarium Dei: quoniam omnia Deus prospicit, et nihil eum latet, neque cogitatio, neque conscientia, neque aliquod abditum cordis.

V. Scientes ergo quia [b] *Deus non deridetur*, debemus digne in mandatis ejus et gloria ambulare. Similiter diaconi inculpabiles sint in conspectu justitiae ejus, sicut Dei et Christi ministri, et non hominum: non criminatores, neque detractores, neque avari; sed omnia tolerantes in omnibus, misericordes, diligentes in om-

Ex Smithi edit.

[a] Redundare videtur.

[b] Gal. vi. 7.

ρευόμενοι κατὰ τὴν ἀλήθειαν τοῦ Κυρίου, ὃς ἐγένετο διάκονος πάντων· ᾧ ἐὰν εὐαρεστήσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, ἀποληψόμεθα καὶ τὸν μέλλοντα, καθὼς ὑπέσχετο ἡμῖν ἐγεῖραι ἡμᾶς ἐκ νεκρῶν· καὶ ὅτι ἐὰν πολιτευσώμεθα ἀξίως αὐτοῦ, 'καὶ συμβασιλεύσομεν' αὐτῷ, εἴγε πιστεύομεν. Ὁμοίως καὶ νεώτεροι ἄμεμπτοι ἐν πᾶσι, πρὸ παντὸς προνοοῦντες ἁγνείας, καὶ χαλιναγωγοῦντες ἑαυτοὺς ἀπὸ παντὸς κακοῦ. Καλὸν γὰρ τὸ ἀνακόπτεσθαι ἀπὸ τῶν ἐπιθυμιῶν τῶν ἐν τῷ κόσμῳ· ὅτι πᾶσα ἐπιθυμία κατὰ τοῦ πνεύματος στρατεύεται· καὶ 'οὔτε πόρνοι, οὔτε μαλακοὶ, 'οὔτε ἀρσενοκοῖται βασιλείαν Θεοῦ κληρονομήσουσιν,' οὔτε οἱ ποιοῦντες τὰ ἄτοπα. Διὸ δέον ἀπέχεσθαι ἀπὸ πάντων τούτων, ὑποτασσομένους τοῖς πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις, ὡς Θεῷ καὶ Χριστῷ· τὰς παρθένους ἐν ἀμώμῳ καὶ ἁγνῇ συνειδήσει περιπατεῖν.

Phil. i. 27. 2 Tim. ii. 12. 1 Pet. ii. 11. 1 Cor. vi. 9. 10.

ϛ'. Καὶ οἱ πρεσβύτεροι δὲ εὔσπλαγχνοι, εἰς πάν-

nibus, ambulantes in veritate Domini, qui factus est minister omnium: [a]cui si complaceamus in hoc saeculo, percipiemus ea quae futura sunt, secundum quod repromisit resuscitare nos a mortuis; et si digne eo conversati fuerimus, et si crediderimus, *conregnabimus cum eo.* Juvenes similiter inculpabiles sint in omnibus: omnem ignorantiam [b]praevidentes, refrenantes se ab omni malo. Bonum est enim abscindi ab omnibus concupiscentiis mundi: quoniam omnis concupiscentia [c]adversus spiritum militat. Quia [d]*neque fornicarii, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt,* neque illicita facientes. Propter quod abstineri oportet ab omnibus his. Subjecti estote presbyteris et diaconis, sicut Deo et Christo. Virgines, immaculata et casta conscientia ambulate.

VI. Et presbyteri simplices

Ex Smithi edit.

[a] Al. *huic si placemus.* [b] Al. *providentes.* [c] 1 Pet. ii. 11. [d] 1 Cor. vi. 9. 10.

τας ἐλεήμονες, ἐπιστρέφοντες [a]τὰ ἀποπεπλανημένα, ἐπισκεπτόμενοι πάντας ἀσθενεῖς, μὴ ἀμελοῦντες χήρας, ἢ ὀρφανοῦ, ἢ πένητος· ἀλλὰ προνοοῦντες ἀεὶ τοῦ καλοῦ ἐνώπιον Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἀπεχόμενοι πάσης ὀργῆς, προσωποληψίας, κρίσεως ἀδίκου· μακρὰν ὄντες πάσης φιλαργυρίας· μὴ ταχέως πιστεύοντες κατά τινος· μὴ ἀπότομοι ἐν κρίσει, εἰδότες ὅτι πάντες ὀφειλέται ἐσμὲν ἁμαρτίας. Εἰ οὖν δεόμεθα τοῦ Κυρίου, ἵνα ἡμῖν ἀφῇ, ὀφείλομεν καὶ ἡμεῖς ἀφιέναι. Ἀπέναντι γὰρ τῶν τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ ἐσμεν ὀφθαλμῶν, καὶ πάντας δεῖ παραστῆναι τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἕκαστον ὑπὲρ ἑαυτοῦ λόγον δοῦναι. Οὕτως οὖν δουλεύσωμεν αὐτῷ μετὰ φόβου καὶ πάσης εὐλαβείας, καθὼς αὐτὸς ἐνετείλατο, καὶ οἱ εὐαγγελισάμενοι [b]ἡμᾶς ἀπόστολοι, καὶ οἱ προφῆται οἱ προκηρύξαντες τὴν ἔλευσιν τοῦ Κυρίου ἡμῶν· ζηλωταὶ περὶ τὸ καλὸν, ἀπεχόμενοι τῶν σκανδάλων καὶ τῶν ψευδαδέλφων, καὶ τῶν ἐν ὑποκρίσει φερόντων

Rom. xii. 17.

Rom. xiv. 10. 2 Cor. v. 10.

Act. vii. 52.

sint, in omnibus misericordes, omnes ab errore convertentes, omnes infirmos visitantes; viduas et pupillos et pauperes non negligentes: sed semper [c]*providentes bona* coram Deo et hominibus. Abstinete vos ab omni iracundia, a judicio injusto: longe ab omni avaritia estote. Non cito consentiatis adversus aliquem, ne praevaricemini in judicio: scientes, quia debitores sumus peccati. Si ergo deprecamur Dominum, ut nobis dimittat, [d]debemus etiam nos dimittere. Ante conspectum enim oculorum Domini sumus; et [e]*omnes oportet astare ante tribunal Christi*, et unumquemque pro se rationem reddere. Sic ergo serviamus ei cum timore, et omni reverentia, secundum quod evangelizaverunt nobis apostoli Domini, et prophetae annunciaverunt adventum Domini nostri Jesu Christi; zelantes bona; abstinentes vos a scandalis, et falsis fratribus,

Ex Smithi edit.

[a] Fors. τοὺς ἀποπεπλανημένους Junius. [b] ἡμῖν. [c] Rom. xii. 17.
[d] Mat. vi. 12. [e] Rom. xiv. 10. 2 Cor. v. 10.

τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου, οἵτινες ἀποπλανῶσι κενοὺς ἀνθρώπους.

1 Joan. iv. 3. ζ'. Πᾶς γὰρ, ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι, ἀντίχριστός ἐστι· καὶ ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ τὸ μαρτύριον τοῦ σταυροῦ, ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστί· καὶ ὃς ἂν μεθοδεύῃ τὰ λόγια τοῦ Κυρίου πρὸς τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας, καὶ λέγῃ μήτε ἀνάστασιν, μήτε κρίσιν εἶναι, οὗτος πρωτότοκός ἐστι τοῦ Σατανᾶ. Διὸ ἀπολείποντες τὴν ματαιότητα τῶν πολλῶν, καὶ τὰς ψευδοδιδασκαλίας, ἐπὶ τὸν ἐξ ἀρχῆς ἡμῖν παρα-
1 Pet. iv. 7. δοθέντα λόγον ἐπιστρέψωμεν, νήφοντες πρὸς τὰς εὐχὰς, καὶ προσκαρτεροῦντες νηστείαις· δεήσεσιν αἰτούμενοι τὸν παντεπόπτην Θεὸν, μὴ εἰσενεγκεῖν ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν, καθὼς εἶπεν ὁ Κύριος· 'Τὸ μὲν πνεῦμα
Mat. xxvi. 41. 'πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενής.'

η'. Ἀδιαλείπτως οὖν προσκαρτερῶμεν τῇ ἐλπίδι ἡμῶν, καὶ τῷ ἀῤῥαβῶνι τῆς δικαιοσύνης ἡμῶν, ὅς

et qui [a] in hypocrisim portant nomen Domini, qui aberrare faciunt inanes homines.

VII. Omnis enim [b] *qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse*, hic *Antichristus* est: et qui non confitetur martyrium crucis, ex diabolo est: et qui deviaverit eloquia Domini ad propria desideria, et dixerit neque resurrectionem, neque judicium esse, hic primogenitus est Satanae. Propter quod relinquentes vanitatem multorum, et falsas doctrinas, ad illud quod traditum est nobis a principio verbum revertamur. [c] Sobrii simus in orationibus, et jejunia tolerantes; supplicationibus petentes omnium perspectorem Dominum, [d] *ne nos inducat in tentationem*: secundum quod dixit Dominus; [e] *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

VIII. Indeficienter ergo toleremus propter spem nostram et pignus justitiæ, quod est

Ex Smithi edit.

[a] Potius *in hypocrisi.* [b] 1 Joh. iv. 3. [c] 1 Pet. iv. 7. [d] Mat. vi. 13. [e] Mat. xxvi. 41.

ἐστι Χριστὸς Ἰησοῦς· ‘ὃς ἀνήνεγκεν ἡμῶν τὰς ἁμαρ- 1 Pet. ii. 24,
‘τίας τῷ ἰδίῳ σώματι ἐπὶ τὸ ξύλον· ὃς ἁμαρτίαν οὐκ 22.
‘ἐποίησεν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ·’
ἀλλὰ δι' ἡμᾶς, ἵνα ζήσωμεν ἐν αὐτῷ, πάντα ὑπέ-
μεινε. Μιμηταὶ οὖν γενώμεθα τῆς ὑπομονῆς αὐτοῦ·
καὶ ἐὰν πάσχωμεν διὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ, δοξάζωμεν
αὐτόν· τοῦτον γὰρ ἡμῖν τὸν ὑπογραμμὸν ἔθηκε δι' 1 Pet. ii. 21.
ἑαυτοῦ, καὶ ἡμεῖς τοῦτο [fors. τούτῳ *Smith. et Markland.*]
ἐπιστεύσαμεν.

θ'. [a] Παρακαλῶ οὖν πάντας ὑμᾶς πειθαρχεῖν τῷ
λόγῳ τῆς δικαιοσύνης, καὶ ἀσκεῖν πᾶσαν ὑπομονήν,
[b] ἣν καὶ ἴδετε κατ' ὀφθαλμοὺς, οὐ μόνον ἐν τοῖς μα-
καρίοις Ἰγνατίῳ καὶ Ζωσίμῳ καὶ Ῥούφῳ, ἀλλὰ καὶ
ἐν ἄλλοις τοῖς ἐξ ὑμῶν, καὶ ἐν αὐτῷ Παύλῳ, καὶ
τοῖς λοιποῖς Ἀποστόλοις· [c] πεπεισμένους ὅτι οὗτοι Phil. ii. 16.
πάντες οὐκ εἰς κενὸν ἔδραμον, ἀλλ' ἐν πίστει καὶ δι- Gal. ii. 2.
καιοσύνῃ· καὶ ὅτι εἰς τὸν ὀφειλόμενον αὐτοῖς τόπον
εἰσὶ [d] παρὰ τῷ Κυρίῳ, ᾧ καὶ συνέπαθον· οὐ γὰρ τὸν

Jesus Christus: [e] *qui sustulit peccata nostra in corpore suo super lignum: qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus;* [f] sed propter nos omnia sustinuit, ut vivamus in ipso. Imitatores ergo efficiamur tolerantiae ejus; et si passi fuerimus pro nomine ejus, glorificemus eum. Hoc enim nobis indicium posuit [g] de seipso; et nos hoc credidimus.

IX. Rogo igitur vos omnes insistere verbo justitiæ et patientiæ, quam et oculata fide vidistis, non solum in beatissimis illis Ignatio et [h] Zosimo et Rufo; sed et in aliis qui ex vobis sunt, et in ipso Paulo, et ceteris Apostolis: confidentes quia hi omnes non in vacuum cucurrerunt, sed in fide et justitia; et ad debitum sibi locum [i] a Domino, cui et compassi sunt,

Ex Smithi edit.

a Producuntur ista ab Eusebio, lib. III. Hist. Ecclesiast. κεφ. λς'. b MS. ἣν καὶ εἴδετε. Euseb. ἣν εἴδετε. c Al. πεπεισμένοι. d Adde πορευόμενοι, ut V. I. legebat. [Sed vide notam.] e 1 Pet. ii. 24. f 1 Pet. ii. 22. g per seipsum. h Vid. Martyrolog. Romanum ad XVIII Dec. i Al. *cum Dom.* [sic Ed. princeps.]

2 Tim. iv. 10. *νῦν ἠγάπησαν αἰῶνα· ἀλλὰ τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἀποθανόντα, καὶ δι' ἡμᾶς* [a] *ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ἀναστάντα.* [fors. *ἀνασταθέντα Usserius.*]

abierunt: quia non hoc seculum dilexerunt, sed eum qui pro ipsis et pro nobis mortuus est, et a Deo resuscitatus.

X. [b] In his ergo state, et Domini exemplar sequimini; 1 Pet. ii. 17. firmi in fide et immutabiles, fraternitatis amatores, diligentes invicem, in veritate sociati, mansuetudinem Domini alterutri [c] praestantes, nullum despicientes. Quum potestis Tobit xii. 9. benefacere, nolite differre: quia [d] *eleemosyna de morte liberat.* 1 Pet. ii. 12. *Omnes vobis invicem subjecti estote;* [e] *conversationem vestram irreprehensibilem* [f] *habentes in gentibus: ut ex bonis operibus vestris* et vos laudem accipiatis, et Dominus in vobis non blasphemetur. Vae autem illi, per quem nomen Domini blasphematur. Sobrietatem ergo docete omnes: in qua et vos conversamini.

XI. Nimis contristatus sum pro Valente, qui presbyter factus est aliquando apud vos: quod sic ignoret is locum, qui datus est ei. Moneo itaque vos ut abstineatis ab avaritia, et sitis casti, et veraces. Abstinete vos ab omni malo. 1 Thess. v. 22. Qui autem in his non potest se gubernare, quo modo [g] alii Eph. v. 5. Coloss. iii. 5. pronunciat hoc? Si quis non abstinuerit se ab avaritia, ab idololatria coinquinabitur; et tanquam inter gentes judicabitur. 1 Cor. vi. 2. Qui autem ignorant judicium Domini? [h] *An nescimus, quia sancti mundum judicabunt?* sicut Paulus docet. Ego autem nihil tale sensi in vobis, vel audivi, in quibus Phil. cap. i. laboravit Beatus Paulus; [i] qui estis in principio Epistolae ejus. De vobis etenim gloriatur in omnibus Ecclesiis, quae Deum solae tunc cognoverant: nos autem nondum noveramus. Valde ergo, fratres, contristor pro illo et pro conjuge ejus: quibus det Dominus poenitentiam veram. Sobrii ergo 2 Thess. iii. 15. estote et vos in hoc; et non sicut inimicos tales existimetis,

Ex Smithi edit.

[a] Haec posteriora verba ex Eusebio et Nicephoro supplevit Usserius. [Exstant voces *ὑπὸ τοῦ* in Polycarpi MS. Florentino.] [b] Desiderantur Graeca. [c] Al. *praesentantes.* [d] Tob. xii. 9. [e] 1 Pet. ii. 12. [f] Al. *considerantes.* [g] Lege *aliis.* [h] 1 Cor. vi. 2. [i] Philip. i.

sed sicut passibilia membra et errantia eos revocate; ut omnium vestrum corpus salvetis. Hoc enim agentes, vos ipsos aedificatis.

XII. Confido enim vos bene exercitatos esse in sacris literis, et nihil vos latet; mihi autem non est concessum modo: ut his Scripturis dictum est; [a] *Irascimini, et nolite peccare.* Et, [b] *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Beatus qui [c] meminerit: quod ego credo esse in vobis. Deus autem et Pater Domini nostri Jesu Christi, et ipse sempiternus Pontifex, Dei Filius, Jesus Christus, aedificet vos in fide et veritate, et in omni mansuetudine; et sine iracundia, et in patientia et longanimitate et tolerantia et castitate: et det vobis sortem et partem inter sanctos suos; et nobis vobiscum et omnibus qui sunt sub coelo, qui credituri sunt in Dominum nostrum Jesum Christum, et in ipsius Patrem, qui resuscitavit eum a mortuis. Pro omnibus sanctis orate. Orate etiam pro regibus et potestatibus et principibus, atque pro persequentibus et odientibus vos, et pro inimicis crucis: ut fructus vester manifestus sit in omnibus; ut sitis in illo perfecti.

Psal. iv. 5. Eph. iv. 26. Eph. i. 3. Coloss. i. 12. Gal. i. 1. 1 Tim. ii. 2. Mat. v. 44. Mat. v. 48.

ιγ'. [d] Ἐγράψατέ μοι καὶ ὑμεῖς καὶ Ἰγνάτιος, [ad Polycarp. §§. 7 et 8.] ἵνα ἐάν τις ἀπέρχηται εἰς Σύριαν, καὶ τὰ παρ' ὑμῶν ἀποκομίσῃ γράμματα· ὅπερ ποιήσω, ἐὰν λάβω καιρὸν εὔθετον, εἴτε ἐγώ, εἴτε ὃν πέμψω πρεσβεύσοντα καὶ περὶ ὑμῶν. Τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου τὰς πεμφθείσας ἡμῖν ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἄλλας, ὅσας εἴχομεν παρ' ἡμῖν, ἐπέμψαμεν ὑμῖν, καθὼς

[Epist. Apud Eusebium, Hist. Eccl. iii. 36.]

XIII. Scripsistis mihi et vos et Ignatius, ut si quis vadit ad Syriam, deferat literas meas, quas fecero ad vos; si habuerimus tempus opportunum, sive ego, seu legatus quem misero pro vobis. Epistolas sane Ignatii, quae transmissae sunt [e] vobis ab eo, et alias, quantascunque apud nos habuimus, trans-

Ex Smithi edit.

[a] Psal. iv. 5. [b] Eph. iv. 26. [c] Al. *crediderit.* [d] Habentur Graeca haec apud Eusebium, in loco citato. [e] Lege *nobis.*

ἐνετείλασθε· αἵτινες ὑποτεταγμέναι εἰσὶ τῇ ἐπιστολῇ ταύτῃ· ἐξ ὧν μεγάλα [a] ὠφεληθῆναι δυνήσεσθε. Περιέχουσι γὰρ πίστιν, καὶ ὑπομονὴν, καὶ πᾶσαν οἰκοδομὴν τὴν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν ἀνήκουσαν.

misimus vobis, secundum quod mandastis; quae sunt subjectae huic epistolae: ex quibus magnus vobis erit profectus. Continent enim fidem, patientiam, et omnem aedificationem ad Dominum nostrum pertinentem.

Et de ipso Ignatio, et de [b] his qui cum eo sunt, quod certius agnoveritis, significate.

XIV. Haec vobis scripsi per Crescentem, quem in praesentem diem commendavi vobis, et nunc commendo. Conversatus est enim nobiscum inculpabiliter: credo quia et vobiscum similiter. Sororem autem ejus habebitis commendatam, quum venerit ad vos. Incolumes estote in Domino Jesu Christo, [c] in gratia, cum omnibus vestris. Amen.

Ex Smithi edit.

[a] Al. [*Ignatii Martyrium*] Ὠφεληθήσεσθε. [b] Al. *ipsis.* [c] Al. *et gratia ipsius.*

IN

S. POLYCARPI EPISTOLAM

ANNOTATIONES.

P. 9. l. 9. *τῇ παροικούσῃ Φιλίππους*] Vulgo Φιλίπποις, ad quam vocem notat cl. Smithus, deesse fortasse *ἐν*, vel potius reponendum esse Φιλίππους, ut habet Codex Florentinus, et quidem rectius. Quapropter hoc recepi. Ita initio Epistolae Smyrnensium, quae est de S. Polycarpi Martyrio, haec exstant; Ἡ *ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ ἡ παροικοῦσα Σμύρναν*, &c. Haec olim notavi. In Codice porro hujus epistolae Vaticano vocem Φιλίππους conspici refert cl. Jacobsonus in editione sua Patrum Apostolicorum bono publico nunc prodeunte. Idem autem de Codice quoque Florentino, seu Laurentino, testatur non Smithus tantum, sed et ejusdem Codicis penes me exemplum ex Isaaci Vossii apographo manu Henrici Dodwelli descriptum.

Ibid. l. 13. *δεξαμένοις τὰ μιμήματα τῆς ἀληθοῦς ἀγαπῆς—δεσμοῖς*] 'Haec verba quum nec recte legeret, nec omnino 'intelligeret Vetus Interpres, ita transtulit, *suscipiens imi-*'*tabilia verba dilectionis quam—connexis.* Ita ille *δεξάμε-*'*νος* pro *δεξαμένοις* legens, atque ideo reliqua omnia aliorsum 'trahens; tu vertas, *Congavisus sum vobis, qui vera chari-*'*tatis* exemplaria *excepistis et deduxistis, ut* vestro officio 'convenicbat *involutos vinculis, quae sanctis ornamento* '*sunt.* Halloixius, *ὡς ἐπέβαλεν ὑμῖν*, reddidit, *ut vobis Do-*'*minus inspiravit:* ego potius, *ut vestro officio conveniebat,* 'quia haec multo simpliciora sunt, et hoc sensu bene Grae-'ca.' Haec vir magnus Pearsonius in Vindiciis Epistolarum S. Ignatii, parte I. cap. v. p. 72. edit. Cant. Confer et part. II. c. 14. p. 198. Vocem *τὰ μιμήματα simulachra* sive *exemplaria* omnino probant cum Smithus, tum cl. Jeremias Marklandus ad oram exempli penes me editionis Epistolarum SS. Ignatii et Polycarpi a Carolo Aldrich. adornatae, Oxon. 1708. Caeterum deduxerant, ut ait ibidem Pearsonius, a Philippensibus missi aliqui Ignatium vinctum comitesque ejus per Macedoniam.

P. 10. l. 2. *ἐξ ἀρχαίων καταγγελλομένη χρόνων*] Quae hic

memoratur laus Philippensium, ipsis initiis Evangelii annunciata, ea sita est in epistola Paulina ad eosdem Philippenses, cum in principio ejus, tum capite ii. comm. 15. Habet aliquid praeterea huc pertinens media epistola Polycarpus.

P. 10. l. 6. *Εἰς ὃν οὐκ ἰδόντες*] Clausulam redundantem habet Interpres Vet. quasi post *ἅδου* ex 1 Pet. i. 8. legisset *ὃν οὐκ εἰδότες ἀγαπᾶτε*. JACOBSONUS.

Ibid. l. 7. *πιστεύοντες δὲ ἀγαλλιᾶσθε*] Has voces omittunt codd. Laur. [seu Florent.] Vat. Par. Interp. Vet. legebat *ἀγαλλιάσεσθε*. JACOBSON. Sunt autem hi Codices a viro cl. ad usus suos adhibiti, Vaticanus saeculo decimo tertio adscriptus, Florentinus saec. decimo quinto, Parisinus denique saec. decimo sexto attributus.

Ibid. l. 12. *τὰς ὀσφύας ὑμῶν*] Pronomen ex Codd. Laur. seu Florentino, Vat. Par. atque Interp. Vet. nunc recepi post Jacobsonum S. Petri Ep. prioris i. 13. adducentem, *τὰς ὀσφύας τῆς διανοίας ὑμῶν*.

P. 11. l. 8. *ἢ γρόνθον ἀντὶ γρόνθου*] Eustathius in Iliad. Ψ. *Πτύσσοντες τοὺς τῆς χειρὸς δακτύλους, καὶ οὕτως στρυφνοῦντες εἰς πύκνωσιν οἱ πυγμάχοι, ἀθλοῦσιν, εἰς γρόνθον συστρέφοντες· ὅπερ κόνδυλόν φασιν οἱ σόφοι.* Suidas: *Πυγμή. πάλη. σύγκλεισις δακτύλων, γρόνθος.* Ita in Lexico Hesychii Graeco *πυγμὴ* est *γρόνθος*; in Cyrilli Graeco-Latino *γρόνθος, pugnus*, et in Philoxeni Latino-Graeco *pugnus, γρόνθος*. P. JUNIUS. Vetus Interpres habet, *contumeliam pro contumelia*. Subjecit Hemsterhusii adnotationem ad Lucian. i. p. 49. cl. Jacobsonus in edit. sua Patrum Apostolicorum; quin et ipse notat, hac voce, *γρόνθος*, usum esse Photium ad *Πὺξ* explicandum in Lexico, p. 475. atque videndum Sallier. ad Moerim, p. 295. ed. Koch.

Ibid. l. 9. *Μνημονεύοντες*] Quum pro vulgato *μνημονεύσαντες* ex Codd. Florent. Vatic. Paris. reposuisset istud cl. Jacobsonus, eum secutus sum. Addidit ille, legisse videri Vet. Interp. vel *μνημονεύσατε*, vel *μνημονεύετε*.

Ibid. l. 13. *οἱ πτωχοὶ*] Adde ex Vet. Interp. et ex Evangelio Matth. v. 3. *τῷ πνεύματι*. SMITH. Censet cl. Jacobsonus, S. Lucae locum parallelum, vi. 20. in quo vox omittitur, in animo habuisse Polycarpum.

Ibid. l. 16. *οὐκ ἐμαυτῷ ἐπιτρέψας*] Adscripsit orae exempli penes me editionis Aldrichianae Marklandus, 'Verte, *non* '*mihi ipsi* hanc libertatem *permittens*, *sed* &c.' Commode adposuit Jacobsonus Ignatii locum in Epist. ad Ephesios, §. 3. *Οὐ διατάσσομαι ὑμῖν ὡς ὤν τις*. Caeterum haec scribere Polycarpum statuit Pearsonius in causa Valentis presbyteri, cujus meminit auctor infra §. 21. quam quidem causam

judicio Polycarpi permittebant. Vide Vindic. ejus Ignatianas, part. II. cap. 13. p. 169.

P. 12. l. 3. *τῇ σοφίᾳ τοῦ μακαρίου καὶ ἐνδόξου Παύλου*] Insigni elogio Polycarpus cohonestat S. Paulum *ob sapientiam;* qua voce S. Petrus de eodem utitur, 2 Epist. iii. 15. h. e. ob scientiam coelestium arcanorum et mysteriorum Evangelii: quem patres omnis fere aevi, accumulatis istiusmodi elogiis, secutos esse notius est, quam ut testimoniis congerendis citra necessitatem insistam. SMITH.

Ibid. l. 7. *ἐπιστολὰς*] Infra cap. xi. *qui estis in principio epistolae ejus.* Epistolas et de una epistola dici, observatum doctis Scripturarum interpretibus ad libros Machabaeorum. COTELERIUS. De una tantum epistola Paulina Polycarpum hic loqui, satis indicat locus alter a Cotelerio indicatus.

Ibid. l. 8. *ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν*] Quum in plerosque libros editos irrepsisset *ὑμῶν*, locum corrigere voluerunt Junius, Cotelerius, Smithus, Freyus, *ἡμῶν* legendum esse recte monentes. Jam vero comperi exstitisse, et *nostrûm* in editione principe Interpretis Latini, et *ἡμῶν* in editione Graeci exemplaris principe, quam ex apographo Sirmondiano Halloixius adornavit. Idem quoque, ut Codex Florentinus, sic prae se fert Aldrichii editio, sed hujus tamen orae adposita est conjectura *ὑμῶν*. At vero mutuatus est Polycarpus verba Apostoli in Epist. ad. Galatas, iv. 26. *ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν*. De hoc interea vocis *πάντων*, quae apud Paulum interdum omittitur, firmamento silent critici ad locum. Nunc adde ex cl. Jacobsoni editione PP. Apostolicorum patrocinantes lectioni *ἡμῶν* codices Vaticanum et Parisinum.

Ibid. l. 11. *Ἐὰν γάρ τις τούτων ἐντὸς ᾖ, πεπλήρωκεν ἐντολὴν δικαιοσύνης*] Legendum mihi videbatur, *ἐὰν γάρ τις τούτων ἐντὸς ᾖ πλήρης, πεπλήρωκεν ἐ. δ.* cum vox *πλήρης* sequente absorpta esset. Atque ita Anglicam versionem suam formasse cl. Cavium post vidi. At nuper cl. Jacobsonus, scribens ad loc. nescire se, an quodammodo patrocinari huic conjecturae videatur Interpres Vetus, sensum tamen satis bonum praebere statuit versionem Cotelerii, *si quis enim intra haec fuerit;* neque prorsus absimilia ait habere Ignatium ad Ephes. §. 5. *Ἐὰν μή τις ᾖ ἐντὸς τοῦ θυσιαστηρίου, ὑστερεῖται τοῦ ἄρτου τοῦ Θεοῦ.*

Ibid. l. 14. *χαλεπῶν*] Hesychius in Lexico, *Χαλεπόν· δύσεργον, σκληρὸν, δεινόν.*

P. 13. l. 1. *τὰς γυναῖκας ὑμῶν*] Junio *ὑμῶν* cum *ἡμῶν* mutanti jam recte Jacobsonus opposuit Vet. Interp. Codicesque scriptos.

P. 13. l. 7. *πάσης διαβολῆς, καταλαλιᾶς*] Recte distinguuntur *διαβολὴ* et *καταλαλιὰ*, ut diversa mentis et linguae vitia, in libris sacris et scriptis ethnicorum. *Καταλαλιὰ* per se, sine aliquo additamento, paullo supra habetur. V. I. legebat *διαβολικῆς καταλαλιᾶς ab omnibus diabolicis detractionibus:* et sic habet Codex Florentinus. Sed dubito, an recte. SMITH. Florentino Codici Parisinum addit Jacobsonus.

Ibid. l. 10. *θυσιαστήριον Θεοῦ*] Hoc pro recepto *θυσιαστήρια* ex Codd. Flor. Vat. Paris. nunc recepi, cl. Jacobsonum secutus; qui pergit scribere, 'Sic Pseudo-Ignatius 'quoque in Ep. ad Tarsenses, §. 9. *τὰς ἐν σεμνότητι χήρας 'ὡς θυσιαστήριον Θεοῦ*. Libb. impressi praebent *θυσιαστήρια*. 'Sed *ναὸς* non *ναοὶ* habet D. Paulus 1 Cor. iii. 16, 2 Cor. vi. '16. Cf. Tertull. ad Uxor. l. 7. p. 165. ed. Rigalt.'

Ibid. *πάντα μωμοσκοπεῖται*] In exemplari *μωμοσκοπεῖται* scriptum est; quam vocem qui non intellexerunt, *ἡμῶν σκοπεῖται* legendum existimarunt; pro priore verbi compositi membro, pronomine (quod Vetus non agnovit Interpres) substituto. Cum *θυσιαστηρίῳ* vero a Clemente in Epistola ad Corinthios, (c. 44.) quam in hac alias etiam non semel Polycarpus est secutus, *μωμοσκοπηθὲν τὸ προσφερόμενον* conjunctim cernimus; ubi *μωμοσκόπων* officium fuisse pluribus nos docuit doctissimus Junius, ne quid vitii aut labis sacrificio, priusquam altari imponeretur, subesset diligenter dispicere. *Θυσιαστήριον* quoque singulariter ab aliis hic legitur, uti in versione vetere Latina. Cum qua etiam convenit, quod in Salmasii apographo paulo post rectius scriptum occurrit, *οὔτε τι* pro Halloixii *οὐτ' ἔτι*, et *Θεοῦ καὶ Χριστοῦ διάκονοι* pro ejusdem *Θεοῦ ἐν Χριστῷ διάκονοι*. USSER. MS. *μωμοσκοπεῖται*· et sic omnino legendum, ut viri docti dudum observarunt. SMITH. MSti scripturam *μωμοσκοπεῖται*, quod quidem verbum apud alios autores exstat, in textum recepi. Porro vix dubito, quin respiciatur hic et in verbis sequentibus ad Apostoli locum in Epistola ad Hebraeos cap. iv. comm. 12. et 13. ubi exstant metaphorae ductae a sacrificiis. Praestare *μωμοσκοπεῖται* Codicem Vat. nunc refert Jacobsonus, sed divisim vocem exhiberi in Codd. Florent. et Paris. quorum ille *μώμω—σκοπεῖται* habet, *μόμος* orae libri adscripto, hic *μόμος—σκωπεῖται*.

Ibid. l. 12. *οὔτέ τι τῶν κρυπτῶν τῆς καρδίας*] Emendavit ex Salmasii apographo Usserius *οὔτέ τι τῶν* pro *οὔτ' ἔτι τῶν*, quod etiam Marklandus oræ exempli mei Aldrichianae editionis adscripsit. Hoc recepi. Similiter scriptum esse in Cod. Flor. ostendit apographum Vossio-Dodwellianum; confirmante id Jacobsono de eo et reliquis codicibus.

Ibid. l. 15. *κατενώπιον αὐτοῦ τῆς δικαιοσύνης*] An scribendum est *τῇ δικαιοσύνῃ*, h. e. in justitia *ambulare debent?* Sed aliter Vet. Interp. Haec olim posui. Jam vero veterem tuetur lectionem cl. Jacobsonus; et velim nunc ego eam retinere, quia aliquatenus convenit cum superioribus.

Ibid. l. 16. *ὡς Θεοῦ καὶ Χριστοῦ διάκονοι*] MS. *Θεοῦ καὶ Χριστοῦ* [pro edito *Θεοῦ ἐν Χριστῷ*] et ita quoque legebat Vet. Interp. SMITH. Hoc ego, probante idem Usserio, in textum recepi. Sic quoque duo alteri codices scripti se habent teste Jacobsono, qui monet legi ad finem capitis hujus *ὡς Θεῷ καὶ Χριστῷ*.

Ibid. l. 17. *μὴ δίλογοι*] Ita Codd. Laur. [seu Florent.] Vat. Par. pressius ad verba B. Paul in Ep. 1 ad Tim. iii. 8. quam *δίγλωσσοι*, quod habent libri impressi. Haec JACOBSONUS, quem in lectione Codicum MSS. recipienda secutus sum.

P. 14. l. 1. *ἐγένετο*] Hoc pro *ἐγίνετο* ex Codd. suis reposuit Jacobsonus, quem secutus sum.

Ibid. l. 5. *καὶ συμβασιλεύσωμεν*] Legendum videtur cum V. I. *καὶ συμβασιλεύσομεν*, ut ante scriptum est *ἀπολησόμεθα*. Hoc olim annotavi. Nunc monet cl. Jacobsonus, sic legi in Codd. Laur. [seu Flor.] et Paris. alterum vero in Vaticano.

Ibid. l. 9. *τὸ ἀνακόπτεσθαι τῶν ἐπιθυμιῶν τῶν ἐν τῷ κοσμῷ*] Ἀνακόπτεσθαι pro *ἀνακύπτεσθαι* ex Codicibus suis atque nonnullis editionibus reponentem cl. Jacobsonum sequor, simul atque articulum *τῶν* post *ἐπιθυμιῶν* ex Cod. Vat. adjicientem.

Ibid. l. 14. *ὑποτασσομένους τοῖς πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις*] 'Quis dabit' ait Pearsonius, Vindic. Ignat. part. II. cap. 13. 'Episcopum Philippensium tunc in vivis fuisse? 'Quis praestabit Philippenses ideo a Polycarpo consilium 'non efflagitasse, quod tunc temporis Episcopo ipsi haud 'potirentur? Ita enim ipse eos alloquitur, Ταῦτα, ἀδελφοὶ, 'οὐκ ἐμαυτῷ ἐπιτρέψας γράφω ὑμῖν περὶ τῆς δικαιοσύνης· ἀλλ' 'ἐπεὶ ὑμεῖς προεκαλέσεσθέ με. *Haec verba, fratres, non meo 'arbitrio, vobis de justitia scribo, sed quod vos ad me pro- 'vocastis.* [§. 3.] In causa, ut opinor, Valentis presbyteri, 'quam judicio Polycarpi permittebant. Haec igitur quum 'incerta sint, nihil certi ex sermone Polycarpi proferri 'potest.' p. 168. ed. Cant. Confer hujus Epist. §. xi.

P. 15. l. 1. *ἐπιστρέφοντες τὸ ἀποπεπλανημένα*] Conjiciebat legendum *τοὺς ἀποπεπλανημένους* Patricius Junius. Invenisse Vetus Interpres videtur *πάντας ἐπιστρέφοντες τοὺς ἀποπεπλανημένους*, omnes *ab errore convertentes.*

P. 15. l. 10. *τῶν τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ ὀφθαλμῶν*] Significari videtur his verbis solus Christus. Apud Vet. tamen Interpretem voces *καὶ Θεοῦ* desunt. Interea in celebri loco Actuum Apost. cap. xx. comm. 28. praestant plurimi MSti ——*ποιμανεῖν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ, ἣν περιποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος.*

P. 16. l. 8. *οὗτος πρωτότοκός ἐστι τοῦ Σατανᾶ*] Ita S. Polycarpus appellavit Marcionem, quum se in conspectum ipsius protrusisset, ut illum agnosceret et salutaret, ut fratrem et Christianae communionis socium, orans, apud Iren. lib. III. c. 3. *ἐπιγίνωσκέ με.* cujus rei historiam Graece retulit Eusebius Hist. Eccles. lib. IV. c. 14. *ἐπιγινώσκω σε τὸ πρωτότοκον τοῦ Σατανᾶ.* SMITH. Praeter Irenaeum testes citaverat Usserius cum *Act.* xiii. 10. ubi S. Paulus Elymam magum *υἱὸν διαβόλου* appellat, tum etiam Ignatianae ad Trallianos epistolae interpolatae cap. 11. in quo ab interpolatore Simonem *τὸν πρωτότοκον αὐτοῦ* (diaboli) *υἱὸν* nominatum habes. Supra vero, ubi Joannis Apostoli locus affertur, pro vulgata lectione *ἐληλυθότα* praestat cum aliis scriptoribus atque codicibus *ἐληλυθέναι* Polycarpus; quod quidem signare ad Novum Testamentum critici omiserunt. Interea *ἐληλυθέναι* pro *ἐληλυθῆναι* ex edit. principe Polycarpo restitui. Apposite indicat cl. Jacobsonus Joan. vii. 44. *ὑμεῖς ἐκ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστέ.*

Ibid. l. 9. *ἀπολείποντες*] Hoc pro *ἀπολιπόντες* ex Codd. scriptis suis recepit Jacobsonus.

Ibid. l. 13. *τὸν παντεπόπτην Θεὸν*] S. Clemens Romanus in fine prioris Epistolae ad Corinthios, *ὁ παντεπόπτης Θεός.* Recte in Latina versione, ubi ex oscitantia librarii ponitur *prosperatorem*, ex Codice Magdalenensi *perspectorem* substituit Usserius. SMITH.

P. 17. l. 6. *δοξάζωμεν*] Quum, referente Usserio, istud habuerit MS. Salmasii, hoc est, exemplaris Schottani apographum, eidemque lectioni faverit Vetus Interp. hanc pro altera *δοξάζωμεν* in textum recepi; id quod nunc video jam fecisse Lemoynaeum in sua editione Polycarpi. Haec olim scripsi. Nunc, idem quoque indicante Codicis Florentini apographo meo Vossio-Dodwelliano, testatus est Jacobsonus exstare in hoc Codice Florentino *δοξάζωμεν.*

Ibid. l. 8. *καὶ ἡμεῖς τοῦτο ἐπιστεύσαμεν*] Lege *τούτῳ*, vel, si retineatur *τοῦτο*, subintellige *εἶναι.* SMITH. Haud favet quidem mutationi Interpretatio vetus; ad oram tamen exempli mei Aldrichianae edit. vir cl. Marklandus manu sua *τούτῳ* rescripsit.

Ibid. l. 10. *Παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς* &c.] Haec verba usque ad

illud *ἀναστάντα* apud Eusebium afferuntur in libro tertio Hist. Eccl. cap. 36.

P. 17. l. 12. *ἣν καὶ ἴδετε κατ' ὀφθαλμοὺς*] Particulam *καὶ* ex Codice Florentino supplevi, in quo tamen, prout apud Eusebium, *εἴδετε* pro *ἴδετε* scriptum est; idemque in editione sua posuit Lemoynaeus, sicut ante eum Maderus; sed adversante Interpretatione vetere, quae habet, *quam et oculata fide vidistis*. Porro particulam *et*, quam nescit hujus interpretationis editio princeps, tuetur codex MS. Magdalenensis, qui Polycarpi versionem Latinam continet. Haec olim ego. Nunc testatur Jacobsonus, tres suos Polycarpi Codices lectionem *ἣν καὶ ἴδετε* praestare, dum tamen in uno eorum, hic est MS. Vaticanus, scriptum est mendose *ἴδατε*. Quin etiam apud Eusebium, qui verba adduxit, tum Codex Parisiensis antiquissimus *ἴδετε* a prima manu, tum vero Codex Norfolciensis in Museo Britannico repositus idem habent. Quod quidem ex nupera editione viri desideratissimi Edvardi Burtoni discimus.

Ibid. l. 13. *καὶ Ζωσίμῳ καὶ Ῥούφῳ*] Indicat Smithus Martyrologium Romanum ad XVIII. Decembris, ubi haec posita sunt: *Philippis in Macedonia, natalis sanctorum Martyrum Ruffi et Zosimi; qui ex eo numero discipulorum fuerunt, per quos primitiva Ecclesia in Judaeis et Graecis fundata est; de quorum etiam felici agone scribit Sanctus Polycarpus in Epistola ad Philippenses.* p. 314. edit. Paris. an. 1584.

Ibid. *ἀλλὰ καὶ ἐν ἄλλοις τοῖς ἐξ ὑμῶν*] 'Ita hodierna 'Polycarpi exemplaria et Eusebii. Sed *ἡμῶν* in Eusebii 'Codice D. Savilii et Nicephoro et apographo Salmasii legi 'notavit calamo in libri sui ora Usserius. Probabile est de 'sui temporis persecutione intelligendum esse Polycarpum, 'quanquam hic Apostolos etiam ipsos in exemplorum numero recensuerit.' Dodwell. Dissert. Cypr. Diss. xi. §. 27. a JACOBSONO allatus.

Ibid. l. 17. *καὶ ὅτι εἰς τὸν ὀφειλόμενον αὐτοῖς τόπον εἰσὶ παρὰ τῷ Κυρίῳ, ᾧ καὶ συνέπαθον*] Sic locus legitur, tam apud Eusebium, quam in Polycarpi Graecis, et in subjectis fini Actorum Ignatii in Codice MS. Bodleiano Laud. C. 93. Addere tamen vult Smithus verbum *πορευόμενοι* post *αὐτοῖς*, Vet. Interpretem secutus; Patricius autem Junius censuerat supplendum *ἐπορεύθησαν καὶ* post *τόπον*, Clementis Romani Epistola appellata. Neutram vero emendationem, quum *εἰς* pro *ἐν* hic positum videatur, necessariam esse existimem. Clementis verba sunt, [*Πέτρ*]*ος διὰ ζῆλον ἄδικον οὐχ* [*ἕνα οὐ*] *δὲ δύο, ἀλλὰ πλείονας ὑπή*[*νεγκεν*] *πόνους, καὶ οὕτω*

μαρτυ[ρήσας] ἐπορεύθη εἰς τὸν ὀφειλ[όμενον] τόπον τῆς δόξης. cap. 5. His apponas Divi Lucae locum in Actis Apost. ἐξ ἧς (ἀποστολῆς) παρέβη Ἰούδας, πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον. i. 25. Caeterum melius vertisse ne dubites nuperum Interpretem Polycarpi Anglicum, Wilfridum Clement-son, verba παρὰ τῷ Κυρίῳ, *with the Lord, apud Dominum*, quam olim Cavium et Wakium, qui habent, *by the Lord, a Domino*, nisi legere hi vellent παρὰ τοῦ Κυρίου, quod fecisse videtur Vetus Interpres. Clementsono autem interpreti nunc addendi sunt cl. Chevallier, qui recentissime, atque Elborow, qui primus omnium Polycarpi Epistolam in Anglicam linguam vertit. Denique de praepositione εἰς consulendum ait Heinichium ad Eusebium H. E. II. 25. Jacobsonus.

P. 18. l. 2. ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ἀναστάντα] Ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ἀνα-στάντα, ex Eusebii et Nicephori citatione, nam post ὑπὸ Graecum Salmasii, quo usi sumus, deficit nos exemplar, hic supplevimus; licet passivum ἀνασταθέντα et veteris nostri Interpretis authoritas, qui, *a Deo resuscitatis*, vertit, et ipsa constructionis requirat ratio. Unde Metaphrastes [in Vita Ignatii] ἀναστάντα in Graeco, et Rufinus *resurrexit* in suo ita retinuit Latino; ut illud, ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, *a Deo*, ut minus cum eo cohaerens, uterque praetermiserit. USSER. Vocibus ὑπὸ τοῦ absolutum est codicis Florentini apographum Vossio-Dodwellianum; deinde sequitur in ipso Codice, nullis interpositis, pars Epistolae Barnabae a verbis illis in pag. 13. edit. Menardi, λαὸν τὸν κενὸν [καινὸν] ἑτοιμάζων. Communis autem est Codicibus Polycarpi Graecis hiatus iste. Quae vero subjecta sunt Codici Vaticano, ea protulit Jacobsonus, prout olim Vossius, Ἐπιστολὴ Βαρνάβα τοῦ Ἀποστόλου συνεκδήμου Παύλου τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου. In edit. principe, sive Halloixii illa, totum deficit hoc membrum orationis καὶ δι' ἡμᾶς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ἀναστάντα, verius ἀνασταθέντα.

Ibid. l. 8. mansuetudinem Domini alterutri] Sic Halloix. et Faber Stapulensis [edit. princeps Latina] et sic Cod. Laur. [seu Florent.] Libri impr. omittunt *Domini*. JACOBSON.

Ibid. l. 22. Si quis non abstinuerit se ab avaritia, ab idololatria coinquinabitur.] Hic quidem facile visu est, respicere Polycarpum ad Apostoli locum in Epistola ad Coloss. iii. 5. Νεκρώσατε οὖν—τὴν πλεονεξίαν, ἥτις ἐστὶν εἰδωλολατρεία. Vet. Interp. Lat. *Mortificate ergo—avaritiam, quae est simulacrorum servitus;* sed non aeque facilis est expositio vocis πλεονεξία vel apud Apostolum, vel apud Polycarpum. Haec olim notavi. At vero nunc posuit quae sequuntur Jacobsonus, ‘Graecum sine dubio et hic et infra, *Si quis*

'*non abstinuerit se ab avaritia*, habuit πλεονεξίας. Verum 'sensum optime illustrat Suicerus e Clem. Alex. Strom. III. 'p. 464. [522. Potter.] ἡ πλεονεξία πορνεία λέγεται, τῇ αὐταρ-'κείᾳ ἐναντιουμένη. Adulter ergo est πλεονέκτης, quia sua 'uxore non est contentus, sed aliena sibi vendicat. Atque 'ita hanc vocem recipiendam esse vult, cl. Heinsius ad 'Eph. v. 3. Suicer. in voc. πλεονεξία.' Neque magis dubitabat olim Pearsonius, quin moechia peccatum fuerit hujus Valentis. Vid. Vindicias ejus Ignatianas, part. II. cap. 8. p. 195. ed. Cant.

Ibid. l. 27. qui estis in principio Epistolae ejus] Supplere vult Smithus *laudati*, vel quippiam tale. Vide supra cap. 1.

P. 19. l. 5. et nihil vos latet] Ait S. Joannes in Epistola, Καὶ ὑμεῖς χρίσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ Ἁγίου, καὶ οἴδατε πάντα, 1 Joan. ii. 20. Verba autem, quae sequuntur, *mihi autem non est concessum modo*, παρενθετικῶς posita videntur. Apte adponit cl. Jacobsonus Ignatii verba. Ep. ad Ephes. §. 14. Ὧν οὐδὲν λανθάνει ὑμᾶς.

Ibid. l. 23. καὶ τὰ παρ' ὑμῶν ἀποκομίσῃ γράμματα, ὅπερ ποιήσω] Pro ὑμῶν in Nicephoro et quibusdam Eusebii exemplaribus legitur ἡμῶν, quod et Rufinus secutus fuisse videtur, quum reddidit, *deferat litteras ad vos*, et Polycarpi Vetus Interpres quum vertit, *deferat litteras meas, quas fecero ad vos*, ita enim illud, ὅπερ ποιήσω, exprimere volebat; quod non animadvertens Joannes Faber [primus editor] *quas et dedero ad vos*, hic substituit, contra manuscriptorum fidem. Ubi tamen et nostrum hunc Polycarpi, et Eusebii interpretem Rufinum deceptum fuisse apparet, de litteris ad Philippenses deferendis ista accipientem, quum ad Antiochenos dandae litterae intelligantur; vel ab ipsis Philippensibus, si παρ' ὑμῶν, vel a Polycarpo et Smyrnaeis suis, si παρ' ἡμῶν, hic legendum fuerit. Quod posterius ex Ignatii verbis illis in epistola ad Smyrnaeos firmamentum accipit: ὃ ἐφάνη μοι ἄξιον, τοῦτο ἐστὶν, ὥστε πέμψαι τινὰ τῶν ὑμετέρων μετ' ἐπιστολῆς, ἵνα συνδοξάσῃ τὴν κατὰ Θεὸν αὐτοῖς γενομένην εὐδίαν· *Quod mihi dignum factu est visum, hoc est; ut aliquem vestrûm mittatis cum epistola* [ad Antiochenos videlicet in Syria]; *ut una cum illis glorificet Deum de tranquillitate, quam in Deo consecuti sunt.* [§. 11.] USSER. Haec viri magni sunt; quae vero nihil cogunt, ut ἡμῶν pro lectione recepta ὑμῶν, quod et Patricio Junio visum erat, substituatur. A nuntio Polycarpi litterae illae tam Philippensium, quam Smyrnaeorum deferri possent; id quod particula καὶ in verbis καὶ τὰ παρ' ὑμῶν, et in sequentibus, πρεσβεύσοντα καὶ περὶ ὑμῶν, significare videtur. Etsi enim illud ταῖς ἔμ-

προσθεν ἐκκλησίαις in Ignatii Epistola ad Polycarpum, §. ult. nonnisi de *anterioribus* illis Ecclesiis, quae in Asia Syriam versus jacebant, interpretandum sit; nihil inde eruendum lectioni ὑμῶν contrarium. Quippe, ibi hortatus est Ignatius Polycarpum scribere ad istas Ecclesias, ut nonnullae earum nuntios ipsae mitterent ad Antiochiam, recuperatam pacem gratulantes; aliae vero litteras scriberent deferendas illas a nuntio Polycarpi. Neque contraria est de voce ὑμῶν sententia vel Smithi, vel eorum, qui Polycarpi epistolam in linguam Anglicam verterunt, Cavii, Wakii, Clementsoni. Interea, dum Wakius in hunc modum haec verba interpretatus est, *But if any one went from hence into Syria, he should* bring *your letters with him*, verbo ἀποκομίσῃ significari censebat non *deportationem*, sed *asportationem*. Aliter vero locum exposuêre duo alteri interpretes. Quibus nunc addas Elborow et Chevallierium paulo ante a me commemoratos. Quae denique sequuntur, ea notavit ad Eusebium suum cl. Burtonus, ‘Nescio quae Eu‘sebii exemplaria indicaret Usserius, quum pro ὑμῶν in ‘quibusdam ἡμῶν legi monuit: in nullo Codice hanc lectionem ‘inveni praeter Savilianum, quem quidem ab Usserio col‘latum esse constat.’

P. 20. l. 2. ὠφεληθῆναι δυνήσεσθε] Anonymus Martyrii B. Ignatii descriptor legit ὠφεληθήσεσθε, quomodo et Vetus Polycarpi Interpres reddidit, *ex quibus magnus vobis erit profectus*. USSER.

Ibid. l. 9. Et de ipso Ignatio, et de his qui cum eo sunt, quod certius agnoveritis, significate] Hujus ita in Bibliotheca sua [cod. cxxv.] de Polycarpi hac ad Philippenses Epistola agens meminit Photius. Λέγει καὶ τὰς ἐπιστολὰς αὐτοῖς Ἰγνατίου τοῦ Θεοφόρου ἀπεσταλκέναι, καὶ αἰτεῖται ἀναδιδαχθῆναι παρ᾽ αὐτῶν, εἴ τι περὶ ἐκείνου διακούσαιεν. In Halloixii tamen editione verba ista sunt omissa, quae docent circa annum Dom. cvi. eodem videlicet tempore, quo e Syria ad martyrium Romam adductus est Ignatius, scriptam a Polycarpo istam fuisse epistolam. Haec USSERIUS, sed Ignatii obitum toto decennio, quam a recentioribus chronologis factum est, citius statuens. Ait Jacobsonus, ‘De ‘morte Ignatii Polycarpus jam certior factus erat, §. 9. sed ‘circumstantias, dicta, &c. ut videtur, ignorabat. Postulat ‘ergo a Philippensibus, ut sibi significent, quidquid Ignatii ‘mortem spectans iis esset cognitum.’

Ibid. l. 11. quem in praesentem diem commendavi vobis, et nunc commendo] Quum in principe aliisque vetustioribus editionibus hujus interpretationis, et ad marginem editio-

num aliquot Polycarpi, exstet *in praesentem diem* pro *in praesenti*, idem revocavi. Fortasse enim scripserat Polycarpus, ὃν μέχρι τοῦ παρόντος ὑμῖν συνέστηκα, καὶ νῦν συνίστημι. Sed comparet in MSto nostro Magdalenensi altera lectio, *in praesenti*; vertuntque Wakius et Clementsonus, et Chevallierius, *in the present epistle, in praesenti epistola*: rectius autem, ni fallor, habet Cavius *hitherto, usque adhuc*: vertit Elborow *formerly, olim*. Habere vero MS. Mediceo-Laur. Versionem Lat. exhibentem *in praesenti* refert cl. Jacobsonus, qui tamen meam lectionem in contextum recepit.

Ibid. l. 13. credo quia et vobiscum similiter] Apte confert Jacobsonus, 1 Pet. v. 10, Διὰ Σιλουανοῦ ὑμῖν τοῦ πιστοῦ ἀδελφοῦ, ὡς λογίζομαι.

Ibid. l. 15. Incolumes estote in Domino Jesu Christo, in gratia, cum omnibus vestris] In Latino codice D. Alexandri Petavii tota Epistola ita concluditur: *Incolumes estote in Domino Jesu Christo; et gratia ipsius cum omnibus vobis.* USSER. Fortasse Graece constituendus in hunc modum totus locus est; Ἐρῤῥωσθε ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ, ἐν χάριτι, μετὰ πάντων τῶν ὑμετέρων. Verbum enim ἔρῤῥωσθε ab Ignatio in fine Epistolarum saepe positum est; et Glossae Vet. habent, Ἐῤῥωμένος, *validus*, incolumis: et *Incolumis*, ἐῤῥωμένος, ὑγιὴς, ἀκαίριος, σῶος, ἄρτιος. Denique pro *vestris* minus apte habet *nostris* MS. Magdal. Haec adnotaveram. Nunc vero delet particulam *in* ante vocem *Gratia* cl. Jacobsonus, imprimendumque curavit, *Gratia cum omnibus vestris.* Attamen ego Veteris Interpretis auctoritate, ut in sententia perstem, inductus, similiter scribentem jam video Apostolum ad Timotheum, ἐνδυναμοῦ ἐν τῇ χάριτι, 2 Tim. ii. 1. Habet Ignatius quoque fine Epistolae ad Smyrnaeos, Ἐῤῥωσθε ἐν χάριτι. Hoc denique de interpretatione Graeca verbi, *Incolumes estote*, addam, quod quo loco Epistolae falso dictae Ignatii ad Antiochenos exstant ista, Ἐῤῥωσθε Θεῷ καὶ Χριστῷ, πεφωτισμένοι τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, eo demum sic vertit Vetus Interpres, *Incolumes estote Deo et Christo, illuminati Spiritu Sancto.* §. ult.

FRAGMENTUM EPISTOLAE

S. IRENAEI AD FLORINUM.

FRAGMENTUM EPISTOLAE

S. IRENAEI AD FLORINUM.

Fragmentum Epistolae S. Irenaci ad Florinum, apud Eusebium, Hist. Eccl. V. 20.

ΤΑΥΤΑ τὰ δόγματα, Φλωρῖνε, ἵνα πεφεισμένως εἴπω, οὐκ ἔστιν ὑγιοῦς γνώμης. Ταῦτα τὰ δόγματα ἀσύμφωνά ἐστι τῇ Ἐκκλησίᾳ, εἰς τὴν μεγίστην ἀσέβειαν περιβάλλοντα τοὺς πειθομένους αὐτοῖς. Ταῦτα τὰ δόγματα οὐδὲ οἱ ἔξω τῆς Ἐκκλησίας αἱρετικοὶ ἐτόλμησαν ἀποφῆνασθαί ποτε. Ταῦτα τὰ δόγματα, οἱ πρὸ ἡμῶν πρεσβύτεροι, οἱ καὶ τοῖς Ἀποστόλοις συμφοιτήσαντες, οὐ παρέδωκάν σοι. Εἶδον γάρ σε παῖς ἔτι ὢν ἐν τῇ κάτω Ἀσίᾳ παρὰ τῷ Πολυκάρπῳ λαμπρῶς πράττοντα ἐν τῇ βασιλικῇ αὐλῇ, καὶ πειρώμενον εὐδοκιμεῖν παρ' αὐτῷ. Μᾶλλον γὰρ τὰ τότε διαμνημονεύω, τῶν ἔναγχος γινομένων. Αἱ γὰρ ἐκ παίδων μαθήσεις συναύξουσαι τῇ ψυχῇ

Interprete H. Valesio.

Haec dogmata, Florine, ut parcissime ac levissime dicam, non sunt sanae doctrinae. Haec dogmata dissentiunt ab Ecclesia, et in maximam impietatem eos conjiciunt, qui illis assentiuntur. Haec dogmata ne ipsi quidem haeretici extra Ecclesiam positi proferre unquam ausi sunt. Haec dogmata, hi qui ante nos vixere presbyteri, qui etiam Apostolorum discipuli exstiterant, nequaquam tibi tradiderunt. Vidi enim te quum adhuc puer essem in inferiore Asia apud Polycarpum, splendide agentem in palatio, et magnopere laborantem, ut te illi approbares. Etenim ea quae tunc temporis gesta sunt, melius memoria teneo, quam illa quae nuper acciderunt. Quippe ea quae pueri didicimus, simul cum animo ipso coalescunt, ei-

ἐνοῦνται αὐτῇ· ὥστε με δύνασθαι εἰπεῖν καὶ τὸν τόπον ἐν ᾧ καθεζόμενος διελέγετο ὁ μακάριος Πολύκαρπος, καὶ τὰς προόδους αὐτοῦ καὶ τὰς εἰσόδους καὶ τὸν χαρακτῆρα τοῦ βίου, καὶ τὴν τοῦ σώματος ἰδέαν, καὶ τὰς διαλέξεις ἃς ἐποιεῖτο πρὸς τὸ πλῆθος, καὶ τὴν μετὰ Ἰωάννου συναναστροφὴν ὡς ἀπήγγελλε, καὶ τὴν μετὰ τῶν λοιπῶν τῶν ἑωρακότων τὸν Κύριον· καὶ ὡς ἀπεμνημόνευε τοὺς λόγους αὐτῶν, καὶ περὶ τοῦ Κυρίου τίνα ἦν ἃ παρ' ἐκείνων ἀκηκόει· καὶ περὶ τῶν δυνάμεων αὐτοῦ, καὶ περὶ τῆς διδασκαλίας, ὡς παρὰ τῶν αὐτοπτῶν τῆς ζωῆς τοῦ λόγου παρειληφὼς ὁ Πολύκαρπος ἀπήγγελλε πάντα σύμφωνα ταῖς γραφαῖς. Ταῦτα καὶ τότε διὰ τὸ ἔλεος τοῦ Θεοῦ τὸ ἐπ' ἐμοὶ γεγονὸς σπουδαίως ἤκουον, ὑπομνηματιζόμενος αὐτὰ οὐκ ἐν χάρτῃ, ἀλλ' ἐν τῇ ἐμῇ καρδίᾳ· καὶ ἀεὶ διὰ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ γνησίως αὐτὰ ἀναμαρυκῶμαι· καὶ δύναμαι διαμαρτύρασθαι ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ, ὅτι εἴ τι τοιοῦτον ἀκηκόει ἐκεῖνος ὁ μακάριος καὶ ἀποστολικὸς πρεσβύτερος, ἀνακράξας ἂν καὶ ἐμφράξας τὰ

que penitus inhaerent. Adeo ut et locum ipsum possim dicere, in quo beatissimus Polycarpus sedens disserebat ; processus quoque ejus et ingressus, vitaeque totius formam, et corporis speciem ; sermones denique quos ad populum habebat ; et familiarem consuetudinem, quae illi cum Joanne, ut narrabat, et cum reliquis qui Dominum ipsum vidissent, intercesserat : et qualiter dicta illorum commemorabat, et quaecunque de Domino ab iisdem audierat. De miraculis quoque illius ac de doctrina, prout ab iis qui Verbum vitae ipsi conspexerant Polycarpus acceperat, eodem prorsus modo referebat, in omnibus cum Scriptura sacra consentiens. Haec ego, divina mihi largiente clementia, tunc studiosus audiebam, non in charta sed in corde meo audita describens ; eademque per Dei gratiam assidue repeto ac revolvo. Et in conspectu Dei affirmare possum, beatum illum et apostolicum presbyterum, si quid ejusmodi unquam audiisset, exclamaturum conti-

ὦτα αὐτοῦ, καὶ τὸ σύνηθες αὐτῷ εἰπών· 'Ὦ καλὲ 'Θεὲ, εἰς οἵους με καιροὺς τετήρηκας, ἵνα τούτων ἀν-'έχωμαι·' πεφεύγοι ἂν καὶ τὸν τόπον ἐν ᾧ καθεζό-μενος ἢ ἑστὼς, τῶν τοιούτων ἀκηκόει λόγων. Καὶ ἐκ τῶν ἐπιστολῶν δὲ αὐτοῦ ὧν ἐπέστειλεν ἤτοι ταῖς γειτνιώσαις ἐκκλησίαις ἐπιστηρίζων αὐτὰς, ἢ τῶν ἀδελφῶν τισὶ νουθετῶν αὐτοὺς καὶ προτρεπόμενος, δύναται φανερωθῆναι. Edit. Burtoni, p. 359. Vid. notam.

nuo, et obturatis auribus suis dicturum fuisse, prout ipsi moris erat; 'Deus bone, quae me in tempora reservasti, ut haec sustinerem!' atque ex loco ipso aufugiturum, in quo seu stans, seu sedens, ejusmodi sermones audiisset. Sed et ex epistolis illius id liquido comprobari potest, quas ille partim ad vicinas Ecclesias, ut eas confirmaret, partim ad quosdam ex fratribus misit, admonens illos atque exhortans.

ANNOTATIONES

IN

FRAGMENTUM EPISTOLAE S. IRENAEI AD FLORINUM.

P. 35. l. 5. ΤΑΥΤΑ *τὰ δόγματα, Φλωρῖνε*, &c.] Praemissa haec sunt ab Eusebio; *Ἐξ ἐναντίας δὲ τῶν ἐπὶ Ῥώμης τὸν ὑγιῆ τῆς Ἐκκλησίας θεσμὸν παραχαραττόντων, Εἰρηναῖος διαφόρους ἐπιστολὰς συντάττει· τὴν μὲν ἐπιγράψας πρὸς Βλάστον περὶ σχίσματος· τὴν δὲ πρὸς Φλωρῖνον, περὶ μοναρχίας, ἢ περὶ τοῦ μὴ εἶναι τὸν Θεὸν ποιητὴν κακῶν· ταύτης γάρ τοι τῆς γνώμης οὗτος ἐδόκει προασπίζειν· δι' ὃν αὖθις ὑποσυρόμενον τῇ κατὰ Οὐαλεντῖνον πλάνῃ, καὶ τὸ περὶ Ὀγδοάδος συντάττεται τῷ Εἰρηναίῳ σπούδασμα· ἐν ᾧ καὶ ἐπισημαίνεται τὴν πρώτην τῶν ἀποστόλων κατειληφέναι ἑαυτὸν διαδοχήν.—Ἐν ᾗ γε μὴν προειρήκαμεν πρὸς τὸν Φλωρῖνον ὁ Εἰρηναῖος ἐπιστολῇ αὖθις τῆς ἅμα Πολυκάρπῳ συνουσίας αὐτοῦ μνημονεύει, λέγων·* ΤΑΥΤΑ *τὰ δόγματα, Φλωρῖνε*, &c. *Adversus autem illos qui sinceram Ecclesiae legem adulterabant, Irenaeus varias conscripsit epistolas. Alteram ad Blastum quam inscripsit de Schismate; alteram ad Florinum de Monarchia, seu quod Deus non sit conditor malorum. Eam enim opinionem hic defendere videbatur. Qui quum postea in errorem Valentini abreptus fuisset, iterum Irenaeus ejus gratia librum de Octonario composuit. In quo etiam libro primam se Apostolorum successionem contigisse significat. — Porro in ea ad Florinum Epistola de qua jam prius dixi, idem Irenaeus se cum Polycarpo familiariter esse versatum prodit his verbis;* HAEC vero dogmata, Florine, &c. De Florino et Blasto haec prius scripserat capite

15. Eusebius, Οἶδ' ἐπὶ Ῥώμης ἤκμαζον, ὧν ἡγεῖτο Φλωρῖνος, πρεσβυτερίου τῆς ἐκκλησίας ἀποπεσών. Βλαστός τε σὺν τούτῳ παραπλησίῳ πτώματι κατεσχημένος· οἳ καὶ πλείους τῆς ἐκκλησίας περιέλκοντες ἐπὶ τὸ σφῶν ὑπῆγον βούλημα· θάτερος ἰδίως περὶ τὴν ἀληθείαν νεωτερίζειν πειρώμενος. At vero Blastum propter quæstionem de Paschae tempore ortam reum evasisse schismatis potius quam haeresis, ostendit capite ultimo auctor libelli contra Haereticos apud Tertullianum exstantis. Theodoretus quidem in Haeret. Fab. lib. I. c. 23. eum cum Florino in Valentinianam haeresim declinasse ait; sed de hac re silere videtur Eusebius.

P. 35. l. 5. ΤΑΥΤΑ τὰ δόγματα &c.] 'Condiscipuli, [Florini] quem apud Polycarpum viderat noveratque, casum 'dolens Irenaeus, eumque ab errore revocare cupiens, scripsit adversus eum epistolam περὶ τῆς Μοναρχίας, ἢ περὶ 'τοῦ μὴ εἶναι τὸν Θεὸν ποιητὴν κακῶν, *de Monarchia, sive, 'quod Deus non sit conditor malorum.* Ταύτης γάρ τοι 'τῆς γνώμης, addit Eusebius, οὗτος ἐδόκει προασπίζειν, *eam 'enim opinionem hic defendere videbatur.* Quae quidem sic explicat H. Valesius, quasi Florinus, Marcionis et Cerdonis dogmatibus adhaerens, duo principia invexisset, alterum bonorum, alterum malorum actorem. Sed repugnat Irenaeus scribens, Florini *dogmata ne quidem haereticos 'extra Ecclesiam positos proferre unquam ausos fuisse.* Gravior igitur quam Cerdonis ac Marcionis erat Florini 'error; ac proinde in eo positus fuisse videtur, quod non, 'ut illi, duplicem Deum, alterum boni, alterum mali, auctorem fingeret; sed in unum et eumdem Deum, tanquam 'in caussam, mala omnia ac peccata refunderet; quod revera nullus hactenus haereticus proferre ausus fuerat. 'Unde licet pro μοναρχίᾳ, seu principii unitate contra Marcionitas cum Catholicis decertaret, hanc tamen pejus 'illis violabat, dum malis omnibus contaminabat. Irenaeus vero retinendam esse μοναρχίαν, nec tamen malorum labe adspergendam esse, tam vere, quam pie contendebat. Quam vero a pestifera Florini doctrina alienus 'exstitisset, quamque nefarium dogma exhorruisset Polycarpus, quem dudum praeceptorem audierat, ei ob oculos 'ponit; ut tanti praeceptoris memoria devium in Catholicae veritatis viam efficacius reduceret. Philastrius Florianorum quorumdam haereticorum meminit; sed quos 'Carpocratianorum surculum esse dicit. Gennadius vero 'Florianum, seu Florinum culpat, quod carnem mali caussam esse crediderit. Quae quidem, si uterque Florinum 'nostrum intellexerit, non omnino cum Eusebio et Irenaeo,

'quibus potior fides, consentiunt. Quidquid sit, Flori-
'nus Irenaei rationibus et argumentis victus, non tamen
'convictus, ne hinc Deum ipsum auctorem mali faceret,
'illinc vero a μοναρχίᾳ, quam hactenus propugnaverat, de-
'ficiens, cum Cerdone et Marcione duplicem Deum indu-
'ceret, mediam, ut sibi videbatur, inter utrumque extre-
'mum Valentini sententiam amplexus, cum eo insanire
'maluit, quam cum Catholicis sapere. Quare Irenaeus illius
'salutis semper sollicitus, eumque e novo illo, in quod prae-
'ceps se dederat, barathro extrahere studens, scripsit librum
'περὶ Ὀγδοάδος, *de Ogdoade*, vel, ut habet Hieronymus in
'Catalogo, *de Octava*, cujus clausulam duntaxat refert Eu-
'sebius.' Haec MASSUETUS S. Irenaei editor, Dissert.
II. Artic. iii. num. 58, Dodwellum secutus in Dissert. VI. in
Irenaeum.

P. 35. l. 14. λαμπρῶς πράττοντα ἐν τῇ βασιλικῇ αὐλῇ] Difficile indicatu nomen est imperatoris, quo regnante hoc factum sit, seu Hadrianus fuerit, quum ille, teste Xiphilino, in Dionis Epitome, p. 246, ed. Steph. imperii sui provincias atque urbes frequenter inviseret, sive is, qui Hadriano successit, Antoninus Pius, ut Massuetus contra Dodwellum probare conatus est, Dissert. sua II. Artic. i. num. 1. 2. Quum vero notum sit, Imp. Pium ex Italia nunquam exiisse, Massuetus hoc Irenaei loco id tantum vult ostendi, Florinum aulicum quempiam fuisse, qui summa apud imperatorem gratia valuerit; nec quidquam amplius censet ex eo colligendum. Haud assentior, quum aiat Irenaeus, a se tunc temporis apud Asiam agente visum esse Florinum in imperatoris aula splendide viventem. Porro satis bene convenit cum primo Irenaei tempore, τῇ πρώτῃ ἡλικίᾳ, dum παῖς erat apud Asianos, annus ille Christi 127, quo Hadrianum per Athenas et Asiam Syriam versus iter fecisse, ex Spartiano atque nummis probavit Pagius, Crit. in Annales Baronii, ad annos 127. et 128. vol. I. p. 125. Est vero opus illud de Haeresibus, ubi de Polycarpo Irenaeus scribit, ὃν καὶ ἡμεῖς ἑωράκαμεν ἐν τῇ πρώτῃ ἡμῶν ἡλικίᾳ. lib. III. cap. 3. 16. Ibi quidem tradit vir sanctus, πάνυ γηραλέον fuisse Polycarpum, eum qui tot annos post passus est, sed non illo imperatoriae profectionis tempore, ut vult Massuetus, postea vero, quum martyrio coronatus fuerit. Hadrianum dicit Fronto, per Angelum Maium nuper redivivus, 'orbis terra-
'rum non regendi tantum, sed etiam perambulandi diligen-
'tem.' De Feriis Alsiensibus, cap. 3. p. 138. ed. Berolin.

P. 36. l. 10. τῶν αὐτοπτῶν τῆς ζωῆς τοῦ λόγου] Irenaeo venit in mentem initii Epistolae primae S. Joannis.

Ibid. l. 19. *ἐμφράξας τὰ ὦτα αὐτοῦ*] Hic mos erat veterum Christianorum, ut si forte in familiari colloquio impium aliquem sermonem et a fidei catholicae regula dissentientem audiissent, protinus obturatis auribus sese in fugam darent. . . . Porro hunc morem Christiani a Judaeis hauserant. De quibus idem testatur Lucas in cap. vii. Actuum Apostolorum; *κράξαντες δὲ φωνῇ μεγαλῇ, σύνεσχον τὰ ὦτα αὐτῶν, καὶ ὥρμησαν ὁμοθυμαδὸν ἐπ' αὐτόν.* Hieronymus in Epistola ad Pammach. adversus errores Joan. Hierosol. p. 235. Item Aug. in Serm. 84. de Festivitate Paschae. VALESIUS ad hoc Fragmentum apud Eusebium.

P. 37. l. 1. *τὸ σύνηθες αὐτῷ*] Hoc loco *αὐτῷ* dicta causa recepi olim; et nunc Burtonus e Codicibus suis scriptis vocem Eusebio reposuit, deleto *κατὰ* ante *τὸ σύνηθες*.

Ibid. l. 5. *ταῖς γειτνιώσαις ἐκκλησίαις*] Ex his quidem Epistolis praestans illa ad Philippenses, quae haec Opuscula auspicata est, adhuc superest.

Ibid. l. 8. *δύναται φανερωθῆναι.*] Dicerem hinc excidisse *τοῦτο*, nisi ferenda sit ellipsis. Subjunxit Eusebius, *Ταῦτα ὁ Εἰρηναῖος.* Vet. Interp. Rufinus habet, *Sed ex Epistolis ejus quas scripsit,—potest sententia ejus evidenter agnosci. Haec Irenaeus.*

S. HIPPOLYTI

CONTRA HAERESIM NOETI,

SIVE,

PARS, QUAE RESTAT, LIBRI EJUS

ADVERSUS OMNES HAERESES.

S. HIPPOLYTUS.

S. Hieronymus, Lib. De Viris Illustribus, cap. lxi. pag. 138. edit. Fabricii.

HIPPOLYTUS, cujusdam Ecclesiae[a] Episcopus, (nomen quippe urbis scire non potui) rationem Paschae[b] temporumque Canones scripsit, usque ad primum annum Alexandri Imperatoris, et sedecim annorum circulum, quem Graeci ἐκκαιδεκαετηρίδα vocant, reperit; et Eusebio[c], qui super eodem Pascha Canonem, decem et novem annorum circulum, id est, ἐννεακαιδεκαετηρίδα composuit, occasionem dedit. Scripsit nonnullos in Scripturas commentarios, e quibus hos reperi: in Ἑξαήμερον, et in Exodum[d], in Canticum Canticorum[e], in Genesin, et in Zachariam[f], de Psalmis[g], et in Esaiam, de Daniele, de Apocalypsi, de Proverbiis, de Ecclesiaste, de Saul et Pythonissa, de Antichristo[h], de Resurrectione[i], contra Marcionem[k], de Pascha[l], adversum omnes Haereses[m], et προσομιλίαν de laude Domini Salvatoris[n], in qua, praesente Origene, se loqui in Ecclesia significat.....

JOAN. ALBERTI FABRICII NOTAE.

[a] Eusebius, VI. 20, post Beryllum commemoratum : *ὡσαύτως δὲ καὶ Ἱππόλυτος ἑτέρας που καὶ αὐτὸς προεστὼς ἐκκλησίας.* Varias veterum et recentium de loco Episcopatus Hippolyti, quem Eusebius et Hieronymus ignorarunt, hariolationes praemisi Operibus sancti Martyris, quae collecta junctim edidi Hamburg. 1716, et 1718, duobus parvis tomis in fol. FABRICIUS. Inter varias veterum et recentiorum sententias de ecclesia, quam Hippolytus obtinuit, illa verisimilior videtur esse, quae eum Portus Romani, non ad Ostia Tyberini, sed celebris hoc nomine in Arabia emporii, hodie *Adena*, episcopum facit. Abulidem Romae Episcopum Arabes vocant, Vid. Catalogum Ebedjesu, cap. VII. VALLARSIUS, tom. II. Operum S. Hieronymi. [Hippolytum Arabum metropolis episcopum fuisse, literis mandavit saeculo quinto Gelasius Papa Romanus in testimoniis de Duabus Naturis in Christo, tom. VIII. Biblioth. PP. edit. Lugd. p. 704.]

[b] Euseb. VI. 22. *Τότε δῆτα καὶ Ἱππόλυτος συντάττων, μετὰ πλείστων ἄλλων ὑπομνημάτων, καὶ τὸ περὶ τοῦ Πάσχα πεποίηται σύγγραμμα, ἐν ᾧ τὴν τῶν χρόνων ἀναγραφὴν ἐκθέμενος, καί τινα κανόνα ἐκκαιδεκαετηρίδος περὶ τοῦ Πάσχα προσθεὶς, ἐπὶ τὸ πρῶτον ἔτος αὐτοκράτορος Ἀλεξάνδρου* [an. Christi 222.] *τοὺς χρόνους περιγράφει.* Alia veterum de hoc opere testimonia habes in tom. I. Opp. Hippolyti, p. 42, Canoni Paschali Hippolyteo subjuncta.

[c] Eusebii liber de festo Paschali *μυστικὴν ἀνακάλυψιν τοῦ τῆς ἑορτῆς λόγου* et rationes cycli undeviginti annorum complexus interdicit, de quo vide ipsum Eusebium, IV. 34 et 35 de Vita Constantini. Meminit et Gennadius de Script. Eccles. cap. 88. Isidorus Hispal. VI. 17. Orig. ‘Paschalem cyclum Hippolytus Episco-
‘pus temporibus Alexandri Imperatoris primus conscripsit. Post
‘quem probatissimi autores, Eusebius Caesariensis, Theophilus
‘Alexandrinus, Prosper quoque natione Aquitanus, atque Vic-
‘torinus, amplificatis ejusdem festivitatis rationibus, multiplices
‘circulos ediderunt.’ Quoniam vero S. Hippolyti cyclus sedecim tantum annorum fuit, hinc Beda, de Temporum Ratione c. 42,
‘Decemnovennalis circuli ordinem primus Eusebius Caesareae
‘Palaestinae Episcopus ob quartas decimas lunas festi Paschalis
‘ipsumque diem Paschae inveniendum composuit, eo quod
‘luna, &c.’

[d] Eusebius, VI. 22, post Hippolyti *εἰς τὴν Ἑξαήμερον*, non ejus Commentarium in Exodum, sed *εἰς τὰ μετὰ τὴν Ἑξαήμερον* commemorat : Rufin. *in Hexaemeron et ea quae post Hexaemeron scripta sunt.* Sed Hieronymus peculiariter etiam deinde meminit Commentarii in Genesin ; et quoniam plura Hieronymus scripta refert quae se ait reperisse, et de quibus Eusebius silet, Hieronymi fidem hac in parte sollicitare non est adeo in promtu. Fragmenta ex Commentariis in Hexaemeron tom. II. Opp. Hippolyti p. 22. seq. et 33. seq. [*Exodum* substitutum fuisse pro verbo repetito *Ἑξαήμερον* censet cl. Vallarsius in edit. sua Operum S. Hieronymi. Nihil hic habet, teste eodem, Codex Veronensis.]

[e] *Εἰς τὸ ᾄσμα.* Euseb. Syncellus : *εἰς τὰ ᾄσματα.* Nicephorus : *εἰς τὸ ᾄσμα τῶν ᾀσμάτων.* Fragmentum servavit S. Anastasius Sinaita, Quaest. 41.

[f] Hieron. praef. in Zachariam. ‘ Hippolytus quoque edidit Commentarios.’ Nicephorus IV. 31. *εἰς Ζαχαρίαν.*

[g] Mentio Commentariorum in Psalmos in laterculo marmoreo qui Canoni Paschali Hippolyteo adjunctus legitur. Fragmenta ex iisdem dedi tom. I. Operum Hippol. p. 269 seq. [Itidem apud Hippolytum Fabricianum exstant notitiae Commentariorum ejus, qui hic ab Hieronymo memorantur, in Esaiam, Danielem, Apocalypsin, Ecclesiastem, de Saul et Pythonissa, sive, *εἰς τὴν ἐγγαστρίμυθον.*]

[h] Hic liber de Antichristo integer exstat in lucem prolatus ab insigni viro Marquardo Gudio : quem, praeter Photium, cod. 202, legerunt auctor Catenae in Jerem. xvii. 11, Andreas Caesariensis ad Apocalypsin, aliique, ut ad illum librum notavi.

[i] *περὶ ἀναστάσεως καὶ ἀφθαρσίας.* Mentio in laterculo Hippolyti marmoreo et apud Anastasium Sinaitam, qui fragmentum exinde affert in Hodego, p. 356.

[k] Euseb. VI. 22. *πρὸς Μαρκίωνα.* Nicephorus IV. 31. *ἀντιῤῥητικὸν πρὸς Μαρκίωνα* appellat. Etiam a Theodoreto lib. I. de haereticis fabulis Hippolytus laudatur inter eos qui Marcionem *ἄριστα καὶ σοφώτατα* confutarunt. Syncellus, p. 358, ait scripsisse *πρὸς Μαρκίωνα καὶ τὰς λοιπὰς αἱρέσεις.*

[l] Eusebius diversum a Canone Paschali opus commemorat Hippolyti *περὶ τοῦ Πάσχα*, quod Rufinus in sua versione, velut idem esse ratus, omisit. Sed rectius Hieronymus, Nicephorus et alii juniores Eusebii fidem secuti. Fragmentum ex libro Hippolyti de Paschate servatum in Chronico Paschali, p. 6. et aliud

in Concilio Lateranensi A. C. 649 habito, tom. VI. edit. Labbei p. 287.

[m] Πρὸς ἁπάσας αἱρέσεις Euseb. Vide Photium, cod. 121, et Hippolyti Opera, tom. I. p. 223. seq. [Ita Fabricius. Quae hic edimus Hippolyti Contra Noeti Haeresim, partem esse ejusdem operis jam diu perditi significant Photii verba, Ἀνεγνώσθη βιβλιδάριον Ἱππολύτου. Μαθητὴς δὲ Εἰρηναίου ὁ Ἱππολύτος. ἦν δὲ τὸ σύνταγμα κατὰ αἱρέσεων λβ'. ἀρχὴν ποιούμενον· Δοσιθεανοὺς, καὶ μέχρι Νοητοῦ καὶ Νοητιανῶν διαλαμβάνον. p. 195. ed. Bekker. Quin et S. Epiphanius saeculo ecclesiae quarto partem aliquam disputationis contra Noetum, sed auctore haud nominato, more suo exscripsit.]

[n] Ita legendum pro eo quod habent editt. πρὸς ὁμιλιῶν vel περὶ ὁμιλιῶν. Ceterum ex scriptis Hippolyti Eusebio VI. 22. memoratis, ab Hieronymo omittitur quae in Ezechielis capita quaedam ille scripserat, εἰς μέρη τοῦ Ἰεζεκιήλ. Vide tom. I. Hippolyti, pag. 271.

ΙΠΠΟΛΥΤΟΥ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ

ΕΙΣ ΤΗΝ ΑΙΡΕΣΙΝ ΝΟΗΤΟΥ ΤΙΝΟΣ.

HIPPOLYTI EPISCOPI

CONTRA HAERESIM NOETI CUJUSDAM.

SIVE,

EXTREMA PARS LIBRI DEPERDITI ADVERSUS OMNES HAERESES.

α'. ΕΤΕΡΟΙ τινες ἑτέραν διδασκαλίαν παρεισάγουσιν, γενόμενοί τινος Νοήτου μαθηταὶ, ὃς τὸ μὲν γένος ἦν Σμυρναῖος, οὐ πρὸ πολλοῦ χρόνου γενόμενος. Οὗτος φυσιωθεὶς εἰς ἐπηρμένον ἦχθη, οἰήσει πνεύματος ἀλλοτρίου ἐπαχθείς [fors. ἐπαρθείς]. Ἔφη τὸν Χριστὸν αὐτὸν εἶναι τὸν Πατέρα, καὶ αὐτὸν τὸν Πατέρα γεγεννῆσθαι καὶ πεπονθέναι καὶ ἀποτεθνηκέναι. Ὁρᾶτε, ὅσον ἔπαρμα καρδίας καὶ φυσίωμα πνεύματος ἀλλοτρίου ὑπεισῆλθεν εἰς αὐτόν. Ἤδη μὲν οὖν ἐκ τῶν ἑτέρων πράξεων εἰς τοῦτο φέρεται ὁ ἔλεγχος αὐτῶν, ὅτι μὴ καθαρῷ πνεύματι ἐφθέγγετο. Ὁ

Francisco Turriano Interprete.

I. Alii quidam aliam doctrinam subintroducunt, facti discipuli cujusdam Noeti, qui genere quidem Smyrnaeus fuit non multo ante. Hic inflatus in elationem provectus est, alieni spiritus existimatione elatus. Dixit hic Christum esse eundem Patrem, ipsumque Patrem genitum esse et passum. Videte quanta elatio cordis et inflatio spiritus alieni in eum subiit. Jam igitur ex aliis actibus deprehensum est, quod non loquebatur spiritu mundo. Qui enim in Spiritum sanctum

γὰρ εἰς Πνεῦμα ἅγιον βλασφημῶν, ἔκβλητος γένηται [cor. γεγένηται] κλήρου ἁγίου. Οὗτος ἔλεγεν ἑαυτὸν εἶναι Μωϋσῆν, καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Ἀαρών. Ταῦτα ἀκούσαντες οἱ μακάριοι πρεσβύτεροι προσκαλεσάμενοι ἐνώπιον τῆς Ἐκκλησίας ἐξήταζον. Ὁ δὲ ἠρνεῖτο, λέγων τὰς ἀρχὰς, μὴ φρονεῖν. Ὕστερον δὲ ἐμφωλεύσας ἔν τισιν, καὶ συσκευάσας ἑαυτῷ συνπλανωμένους, καθαρὸν [fors. καὶ θαρρῶν] ὕστερον ἱστᾷν τὸ δόγμα ἐβούλετο. Ὃν πάλιν προσκαλεσάμενοι οἱ μακάριοι πρεσβύτεροι ἤλεγξαν. Ὁ δὲ ἀντίστατο, λέγων· Τί οὖν κακὸν ποιῶ δοξάζων τὸν Χριστόν;' πρὸς ὃν ἀνταποκρίνονται οἱ πρεσβύτεροι· Καὶ ἡμεῖς ἕνα Θεὸν οἴδαμεν ἀληθῶς· οἴδαμεν Χριστόν· οἴδαμεν τὸν Υἱὸν παθόντα, καθὼς ἔπαθεν, ἀποθανόντα καθὼς ἀπέθανεν, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ὄντα ἐν δεξιᾷ τοῦ Πατρὸς, καὶ ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς· καὶ ταῦτα λέγομεν ἃ ἐμάθομεν.' Τότε τοῦτον ἐλέγξαντες ἐξέωσαν τῆς Ἐκκλησίας, ὃς εἰς τοσοῦτο φυσίωμα ἠνέχθη, ὡς διδασκαλεῖον συστῆσαι.

blasphemus est ex divina sorte ejectus est. Aiebat hic se esse Moysen, et fratrem suum esse Aaron. Haec quum beati presbyteri audirent, accersitum coram Ecclesia examinaverunt. Ille vero negabat principio sic se sentire. Postea vero in quibusdam delitescens, et collectis aliis qui in eodem errore erant, volebat aperte dogma suum defendere. Quem rursus accersitum presbyteri redarguerunt. Ille vero resistebat, inquiens: 'Quid igitur mali facio si Christum honoro?' Huic presbyteri responderunt: 'Et nos unum Deum vere scimus: scimus Christum, scimus Filium passum, sicut passus est; mortuum, sicut mortuus est; et suscitatum tertia die, et sedentem ad dexteram Patris, venturumque ad judicandum vivos et mortuos. Atque haec dicimus, quae didicimus.' Tunc istum convictum ejecerunt ex Ecclesia, qui eo inflationis venit, ut docere institueret.

β'. Οἱ [cor. Οἳ] καὶ δεῖξαι βούλονται σύστασιν τῷ δόγματι, λέγοντες· 'Εἶπεν ἐν Νόμῳ· 'Εγώ εἰμι ὁ 'Θεὸς τῶν πατέρων ὑμῶν· οὐκ ἔσονται ὑμῖν Θεοὶ ἕτε-'ροι πλὴν ἐμοῦ·' καὶ πάλιν ἐν ἑτέρῳ· ''Εγὼ,' φησὶν, '*πρῶτος, καὶ ἔσχατος, καὶ μετ' ἐμὲ οὔκ ἐστιν οὐδείς.*' Οὕτω φάσκουσιν συνιστᾶν ἕνα Θεόν· οἳ [fors. οἳ καὶ] ἀποκρίνονται λέγοντες· 'Εἰ οὖν Χριστὸν ὁμολογῶ 'Θεὸν, αὐτὸς ἄρα ἐστὶν ὁ Πατήρ· εἰ γάρ [fors. εἴ γε] 'ἐστιν ὁ Θεὸς, ἔπαθεν δὲ Χριστὸς, αὐτὸς ὢν Θεὸς, 'ἄρα οὖν ἔπαθεν Πατὴρ, Πατὴρ γὰρ αὐτὸς ἦν.' 'Αλλ' οὐχ οὕτως ἔχει, οὐδὲ γὰρ οὕτως αἱ γραφαὶ διηγοῦνται. Χρῶνται δὲ καὶ ἑτέραις μαρτυρίαις, λέγοντες, οὕτω γέγραπται· 'Οὗτος ὁ Θεὸς ἡμῶν· οὐ λογισθήσεται 'ἕτερος πρὸς αὐτόν· ἐξηῦρεν πᾶσαν ὁδὸν ἐπιστήμης, 'καὶ ἔδωκεν αὐτὴν 'Ιακὼβ τῷ παιδὶ αὐτοῦ, καὶ 'Ισ-'ραὴλ τῷ ἠγαπημένῳ ὑπ' αὐτοῦ· μετὰ ταῦτα ἐπὶ γῆς 'ὤφθη, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη.' 'Ορᾷς οὖν, φησὶν, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Θεὸς, ὁ μόνος ὢν, καὶ ὕστερον ὠφθεὶς, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συναναστραφείς.

II. Volunt autem dogma suum constituere et confirmare, quia est in Lege: [a]*Ego sum Deus patrum tuorum. Non erunt vobis alii Dii praeter me.* Et rursus in alio loco, [b]*Ego sum primus et ego novissimus; et post me non est alius.* Sic aiunt se probare unum esse Deum. Et respondent: si Christum confitemur Deum, igitur ipse est Pater, si est Deus: passus vero est Christus Deus, passus igitur est Pater; Pater enim erat ipse. At non sic est. Non enim sic Scripturae exponunt. Utuntur praeterea aliis testimoniis. Sic enim aiunt scriptum esse: [c]*Hic Deus noster; non reputabitur alius ad eum: adinvenit omnem viam scientiae, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo: post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Vides igitur, inquit, quod hic est Deus, qui solus est, et postea in terris visus, et cum hominibus conversatus?

[a] Exod. iii. 6. xx. 3. [b] Esai. xliv. 6. xlv. 5. [c] Baruch iii. 35–37.

[Ἐν] ἑτέρῳ δὲ, φησὶν, λέγει· ‘Ἐκοπίασεν Αἴγυπτος
‘ καὶ ἐμπόρια Αἰθιόπων, καὶ οἱ Σαβαεὶμ, ἄνδρες ὑψηλοὶ
‘ ἐπί σε διαβήσονται, καί σοι ἔσονται δοῦλοι, καὶ πο-
‘ ρεύσονται ὀπίσω σου δεδεμένοι ἐν χειροπέδαις· καὶ ἐν
‘ σοὶ προσκυνήσουσιν, ὅτι ἐν σοὶ ὁ Θεός ἐστι· καὶ ἐν
‘ σοὶ προσεύξονται, καὶ οὔκ ἐστι Θεὸς πλήν σου. Σὺ
‘ γὰρ ἦς [alibi εἶ fors. εἶς] ὁ Θεὸς, καὶ οὐκ ἤδειμεν, ὁ
‘ Θεὸς τοῦ Ἰσραὴλ Σωτήρ.’ Ὁρᾷς, φησὶν, πῶς ἕνα
Θεὸν κηρύσσουσιν αἱ γραφαί; τούτου ἐμφανοῦς [fors.
ἐμφανῶς] δεικνυμένου, τῶν [fors. τούτων] οὕτως μαρ-
τυρουμένων, ἀνάγκην, φησὶν, ἔχω, ἑνὸς ὁμολογου-
μένου, τοῦτον ὑπὸ πάθος φέρειν. Χριστὸς γὰρ ἦν
Θεὸς, καὶ ἔπασχεν δι’ ἡμᾶς αὐτὸς ὢν Πατὴρ, ἵνα
καὶ σῶσαι ἡμᾶς δυνηθῇ. Ἄλλο δὲ, φησὶν, οὐ δυνά-
μεθα λέγειν, καὶ γὰρ ὁ Ἀπόστολος ἕνα Θεὸν ὁμο-
λογεῖ, λέγων, ‘Ὧν οἱ πατέρες, ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ
‘ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς
‘ τοὺς αἰῶνας.’

γ΄. Καὶ ταῦτα βούλονται οὕτω διηγεῖσθαι, καὶ

Et in alio loco ait: [a]*Laboravit Aegyptus, et mercatura Aethiopum, et Sabain; viri celsi in te transibunt, et tui servi erunt; et ibunt post te vincti vinculis manuum, et in te adorabunt; quia in te est Deus, et in te precabuntur, quia non est Deus praeter te. Tu enim es Deus, et nescivimus; Deus Israel Salvator.* Vides, inquit, quomodo Scripturae unum Deum praedicant? Quum hoc aperte declaratum sit, quum haec sic contestata sint, necesse est, uno per confessionem constituto, hunc passioni subjicere. Christus enim erat Deus, et propter nos passus est quum esset Pater, ut posset salvos nos facere. Aliud enim, inquit, dicere non possumus; si quidem Apostolus unum Deum confitetur, quum ait: [b]*Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus benedictus in saecula.*

III. Sic volunt ista recitare, et uti mutilatis, sicut fecit

[a] Esai. xlv. 14, 15.

[b] Rom. ix. 5.

αὐτοῖς μονόκωλα χρώμενοι, ὃν τρόπον εἶπεν Θεόδοτος, ἄνθρωπον συνιστᾷν ψιλὸν βουλόμενος. Ἀλλ' οὔτε ἐκεῖνοί τε [fors. γε] νενοήκασιν ἀληθὲς, οὔθ' οὗτοι, καθὼς αὐταὶ αἱ γραφαὶ ἐλέγχουσιν αὐτῶν τὴν ἀμαθίαν, μαρτυροῦσαι τῇ ἀληθείᾳ. Ὁρᾶτε, ἀδελφοὶ, πῶς προπετὲς καὶ τολμηρὸν δόγμα παρεισήνεγκαν, ἀναισχύντως λέγοντες, αὐτός ἐστι Χριστὸς ὁ Πατὴρ, αὐτὸς Υἱὸς, αὐτὸς ἐγεννήθη, αὐτὸς ἔπαθεν, αὐτὸς ἑαυτὸν ἤγειρεν. Ἀλλ' οὐχ οὕτως ἔχει· αἱ μὲν γραφαὶ ὀρθῶς λέγουσιν, ἄλλα ἂν [fors. ἀλλ' ἀνοήτως] καὶ Νόητος νοεῖ. Οὐκ ἤδη δὲ εἰ Νόητος μὴ νοεῖ, παρὰ τοῦτο ἔκβλητοι αἱ γραφαί. Τίς γὰρ οὐκ ἐρεῖ ἕνα Θεὸν εἶναι; ἀλλ' οὐ τὴν οἰκονομίαν ἀναιρήσει. Ὄντως μὲν οὖν τὰ κεφάλαια διὰ [fors. δύο] ταῦτα πρότερον δεῖ ἀνατραπῆναι κατὰ τὸν ἐκείνων νοῦν, κατὰ δὲ τὴν ἀλήθειαν δειχθῆναι. Πρότερον γὰρ ὄντως ἐστὶν διηγήσασθαι, ὅτι εἷς Θεὸς ὁ Πατὴρ, 'ἐξ οὗ πᾶσα πατριὰ, ' δι' οὗ τὰ πάντα, ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς ἐν αὐτῷ.'

Theodotus, quum vellet probare Christum esse hominem nudum. Sed nec illi, nec isti quidquam intellexerunt; ut ipsae Scripturae inscitiam eorum redarguunt, quae testimonium veritati tribuunt. Videte, fratres, quomodo praeceps et audax dogma introduxerunt, quum impudenter aiunt, Ipse Christus est Pater, ipse Filius; ipse passus est, ipse se excitavit a mortuis. At non sic est: recte enim dicunt Scripturae, sed alia Noetus intelligit. At non quia Noetus non intelligit, idcirco Scripturae repudiandae sunt. Quis enim non dicet unum Deum esse? non tamen continuo oeconomiam, id est, incarnationem, negabit. Primum igitur oportet confutare quidem haec capita secundum sensum illorum; declarare vero ea secundum veritatem. Primum enim re vera est exponere Patrem esse unum Deum, *ex quo omnis paternitas*[a], *per quem omnia, et ex quo omnia, et nos in ipso*[b].

[a] Ephes. iii. 15.

[b] 1 Cor. viii. 6.

δ΄. Ἴδωμεν, ὡς εἶπον, τὴν αὐτοῦ ἀνατροπὴν, εἶθ' οὕτως τὴν ἀλήθειαν διηγησόμεθα. Φησὶν γάρ· ‘Ἔκο-
‘πίασεν Αἴγυπτος, καὶ ἐμπόρια Αἰθιόπων, καὶ οἱ Σα-
‘βαεὶμ,’ καὶ τὰ λοιπὰ, ἵνα εἴπῃ, ‘σὺ γὰρ ὁ Θεὸς τοῦ
‘Ἰσραὴλ Σωτήρ·’ οὐ νοῶν τὸ προειρημένον. Ὁπόταν γὰρ θελήσωσιν πανουργεῖσθαι, περικόπτουσι τὰς γραφάς. Ὁλοκλήρως δὲ εἰπάτω, καὶ εὑρήσει τὴν αἰτίαν πρὸς τίνα λέγεται. Ἀνωτέρω γὰρ μικρὸν ἀρχὴ τοῦ κεφαλαίου τυγχάνει, ὅθεν δεῖ ἀρξάμενον δεῖξαι, πρὸς τίνα λέγει καὶ περὶ τίνος. Ἄνωθεν γὰρ ἡ ἀρχὴ τοῦ κεφαλαίου τοῦτ' ἔχει· ‘Ἐρωτήσατέ με περὶ τῶν υἱῶν
‘μου, καὶ τῶν θυγατέρων μου, καὶ τῶν ἔργων τῶν χει-
‘ρῶν μου ἐντείλασθέ μοι. Ἐγὼ ἐποίησα γῆν καὶ ἄν-
‘θρωπον ἐπ' αὐτῆς· ἐγὼ τῇ χειρί μου ἐστερέωσα τὸν
‘οὐρανόν· ἐγὼ πᾶσιν τοῖς ἄστροις ἐνετειλάμην· ἐγὼ
‘ἤγειρα αὐτὸν, [Excidit μετὰ δικαιοσύνης,] καὶ πᾶσαι αἱ
‘ὁδοὶ αὐτοῦ εὐθεῖαι. Οὗτος οἰκοδομήσει τὴν πόλιν μου,
‘καὶ τὴν αἰχμαλωσίαν ἐπιστρέψει· οὐ μετὰ λύτρων,
‘οὐδὲ μετὰ δώρων, εἶπεν Κύριος Σαβαώθ. Οὕτως εἶ-

IV. Videamus, ut dixi, confutationem, deinde veritatem exponemus. Ait enim: [a] *Laboravit Aegyptus, et mercatura Aethiopum, et Sabain,* et quae sequuntur usque ad eum locum, ubi dicit: *Tu es Deus Israel Salvator.* Haec recitat, non intelligens quod prius dictum est. Quum enim volunt malitiose ac dolo malo agere, circumcidunt Scripturas. Recitet autem integre, et reperiet causam propter quam haec dicuntur. Paulo enim supra, principium capitis est, unde oportet incipere ad docendum cui et de quo dicit. Superius enim principium capitis sic habet: [b] *Interrogate me de filiis meis et de filiabus meis, et de operibus manuum mearum mandate mihi. Ego feci terram, et hominem super eam, ego manu mea firmavi coelum; ego mandavi astris, ego excitavi eum, et omnes viae ejus rectae. Hic aedificabit civitatem meam, et captivitatem reducet, non cum pretio, neque cum bonis, dixit Dominus Sabaoth. Sic dixit Do-*

[a] Esai. xliv. 14.

[b] Esai. xlv. 11–15.

'πεν Κύριος Σαβαώθ· Ἐκοπίασεν Αἴγυπτος καὶ ἐμ-
'πόρια Αἰθιόπων καὶ οἱ Σαβαεὶμ, ἄνδρες ὑψηλοὶ ἐπί σε
'διαβήσονται, καί σοι ἔσονται δοῦλοι, καὶ ὀπίσω σου
'ἀκολουθήσουσιν δεδεμένοι χειροπέδαις, καὶ ἐν σοὶ
'προσκυνήσουσιν, καὶ ἐν σοὶ προσεύξονται, ὅτι ἐν σοὶ
'ὁ Θεός ἐστι, καὶ οὐκ ἐστι Θεὸς πλήν σου. Σὺ γὰρ εἶ
'[fors. εἷς] Θεὸς, καὶ οὐκ ἤδειμεν, ὁ Θεὸς τοῦ Ἰσραὴλ
'Σωτήρ.' 'Ἐν σοὶ' οὖν, φησὶν, 'ὁ Θεός ἐστιν.' Ἐν
τίνι δὲ ὁ Θεὸς ἀλλ' ἢ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Πατρῴῳ
Λόγῳ, καὶ τῷ μυστηρίῳ [fors. κατὰ τὸ μυστήριον] τῆς
οἰκονομίας; Περὶ οὗ πάλιν δεικνύων τὸ κατὰ σάρκα
αὐτοῦ σημαίνει· 'Ἐγὼ ἤγειρα αὐτὸν μετὰ δικαιοσύνης,
'καὶ πᾶσαι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ εὐθεῖαι.' Τί οὖν; περὶ τίνος
μαρτυρεῖ Πατήρ; περὶ τοῦ Υἱοῦ Πατὴρ λέγει, 'Ἐγὼ
'ἤγειρα αὐτὸν μετὰ δικαιοσύνης.' Ὅτι δὲ Πατὴρ ἤγει-
ρεν αὐτοῦ τὸν Υἱὸν ἐν δικαιοσύνῃ, μαρτυρεῖ ὁ Ἀπόστο-
λος Παῦλος, λέγων· 'Εἰ δὲ τὸ Πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος
'Χριστὸν Ἰησοῦν ἐκ νεκρῶν οἰκεῖ ἐν ὑμῖν, ὁ ἐγείρας
'τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν ἐκ νεκρῶν ζωοποιήσει καὶ τὰ

minus Sabaoth: Laboravit Aegyptus, et mercatura Aethiopum, et Sabain; viri celsi in te transibunt, et tibi erunt servi, et post te sequentur ligati vinculis manuum, et in te adorabunt, et in te precabuntur; quoniam in te est Deus, et non est Deus praeter te: tu enim es Deus, et nescivimus; Deus Israel Salvator. In te igitur, inquit, *est Deus.* In quo autem est Deus, nisi in Christo Jesu, Verbo Patris et mysterio oeconomiae, id est, incarnationis? De quo rursus docens, carnem ejus significat, quum ait, [a]*Ego excitavi eum cum justitia, et omnes viae ejus rectae.* Quid igitur? de quo testatur hoc loco Pater? de Filio dicit Pater: *Ego excitavi cum justitia.* Quod autem Pater suscitavit Filium in justitia, testatur Paulus Apostolus, quum ait: [b]*Si autem Spiritus qui suscitavit Christum Jesum a mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Christum Jesum a mortuis, vivificabit etiam mortalia*

[a] Esai. xlv. 13.

[b] Rom. viii. 11.

'θνητὰ σώματα ὑμῶν διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ 'Πνεύματος ἐν ὑμῖν.' Ἰδοὺ συνέστηκεν τὸ διὰ τοῦ προφήτου εἰρημένον· 'ἐγὼ ἤγειρα μετὰ δικαιοσύνης.' Τὸ δὲ εἰπεῖν, 'ὅτι ἐν σοὶ ὁ Θεός ἐστιν,' ἐδείκνυεν μυστήριον [fors. τὸ μ.] οἰκονομίας, ὅτι σεσαρκωμένου τοῦ Λόγου καὶ ἐνανθρωπήσαντος ὁ Πατὴρ ἦν ἐν τῷ Υἱῷ, καὶ ὁ Υἱὸς ἐν τῷ Πατρὶ, ἐμπολιτευομένου τοῦ Υἱοῦ ἐν ἀνθρώποις. Τοῦτο οὖν ἐσημαίνετο, ἀδελφοὶ, ὅτι ὄντως μυστήριον [fors. ἐν τῷ μυστηρίῳ] οἰκονομίας ἐκ Πνεύματος ἁγίου ἦν οὗτος ὁ Λόγος καὶ παρθένου, ἕνα Υἱὸν Θεῷ ἀπεργασάμενος. Τοῦτο δὲ οὐκ ἐγὼ λέγω, ἀλλ' αὐτὸς μαρτυρεῖ ὁ καταβὰς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ· οὕτω γὰρ λέγει· 'Οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, εἰ μὴ 'ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, ὁ 'ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ.' Τί οὖν ζητεῖ παρὰ τὸ εἰρημένον; μήτι ἐρεῖ, ὅτι ἐν οὐρανῷ σὰρξ ἦν; ἔστιν μὲν οὖν σὰρξ ἡ ὑπὸ τοῦ Λόγου τοῦ Πατρῴου προσενεχθεῖσα δῶρον, ἡ ἐκ Πνεύματος καὶ παρθένου, τέλειος Υἱὸς Θεοῦ ἀποδεδειγμένος. Πρόδηλον οὖν, ὅτι αὐτὸς ἑαυ-

corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Ecce comprobavit quod dictum est per Prophetam: *Ego suscitavi cum justitia.* Quod autem dixit, *In te est Deus;* ostendit mysterium oeconomiae, id est, incarnationis, quod incarnato Verbo et facto homine Pater erat in Filio, et Filius in Patre, conversante Filio cum hominibus. Hoc igitur, fratres, significabatur, quod vere mysterium incarnationis ex Spiritu Sancto et ex virgine erat hoc Verbum, quod operatum est Deo Filium unum. Hoc autem non ego dico, sed ipse testatur qui de coelis descendit. Sic enim ait: [a] *Nemo ascendit in coelum, nisi qui de coelo descendit, Filius hominis qui est in coelo.* Quid igitur quaerit iste praeter hoc quod dictum est? Numquid dicturus est quod caro erat in coelo? Est igitur caro, quae a Verbo Patris oblata est dono, caro, inquam, ex Spiritu Sancto et virgine ostensa, perfectus Filius Dei. Manifestum igitur est, quod se ipse

[a] Joh. iii. 13.

τὸν προσέφερεν τῷ Πατρί. Πρὸ δὲ τούτου ἐν οὐρανῷ σὰρξ οὐκ ἦν. Τίς οὖν ἦν ἐν οὐρανῷ ἀλλ' ἢ Λόγος ἄσαρκος, ἀποσταλεὶς ἵνα δείξῃ αὐτὸν, ἐπὶ γῆς ὄντα, εἶναι καὶ ἐν οὐρανῷ. Λόγος σὰρξ ἦν, πνεῦμα ἦν, δύναμις ἦν, εἰς [cor. ὃς] τὸ κοινὸν ὄνομα καὶ παρὰ ἀνθρώποις χωρητὸν ἀνελάμβανεν εἰς ἑαυτὸν, τοῦτο καλούμενος ἀπ' ἀρχῆς υἱὸς ἀνθρώπου διὰ τὸ μέλλον, καίτοι μήπω ὢν ἄνθρωπος, καθὼς ὁ Δανιὴλ μαρτυρεῖ, λέγων· 'Εἶδον, καὶ ἰδοὺ ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ 'οὐρανοῦ ἐρχόμενον ὡς υἱὸν ἀνθρώπου.' Δικαίως οὖν ἐν τῷ οὐρανῷ ὄντα ἔλεγεν τούτῳ ὀνόματι [τοῦτο ἀπ' ἀρχῆς ὄντα fors. delend.] καλεῖσθαι ἀπ' ἀρχῆς Λόγον Θεοῦ.

ε'. Ἀλλὰ τί μοι, φησὶν, λέγει ἐν ἑτέρῳ; 'Οὗτος 'ὁ Θεὸς, οὐ λογισθήσεται ἕτερος πρὸς αὐτόν.' Καλῶς εἶπεν· πρὸς γὰρ τὸν Πατέρα τίς λογισθήσεται; ὁ δὲ λέγει· 'Οὗτος ὁ Θεὸς ἡμῶν, οὐ λογισθήσεται ἕτερος 'πρὸς αὐτόν· ἐξηῦρεν πᾶσαν ὁδὸν ἐπιστήμης, καὶ 'ἔδωκεν αὐτὴν Ἰακὼβ τῷ παιδὶ αὐτοῦ, καὶ Ἰσραὴλ

obtulit Patri. Antea vero non erat in coelo caro. Quis ergo erat in coelo, nisi Verbum sine carne, quod missum est ut ostenderet se, qui in terra erat, esse etiam in coelo? Verbum enim erat, spiritus erat, virtus erat. Unus commune nomen, et in usu apud homines sibi sumpsit, vocatus a principio Filius hominis, propter futurum, quamvis nondum esset homo, sicut Daniel testatur inquiens: [a] *Vidi, et ecce in nubibus coeli venientem tanquam Filium hominis.* Recte igitur dixit, eum qui in coelo erat Verbum Dei, hoc nomine a principio vocari.

V. Sed quid mihi, inquit, dicit Scriptura in alio loco: [b] *Hic est Deus, non reputabitur alius ad eum.* Recte dixit. Quis enim reputabitur ad Patrem? *Hic,* inquit, *Deus noster; non reputabitur alius ad eum. Invenit omnem viam scientiae, et dedit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo.* [c] Bene dicit.

[a] Dan. vii. 13. [b] Baruch iii. 35. [c] Ibid. 35, 36.

'τῷ ἠγαπημένῳ ὑπ' αὐτοῦ.' Καλῶς λέγει. Τίς γάρ ἐστιν Ἰακὼβ ὁ παῖς αὐτοῦ, Ἰσραὴλ ὁ ἠγαπημένος ὑπ' αὐτοῦ, ἀλλ' ἢ οὗτος περὶ οὗ βοᾷ, λέγων· 'Οὗτός 'ἐστιν ὁ Υἱός μου ἀγαπητὸς εἰς ὃν ηὐδόκησα, τούτου 'ἀκούετε;' Πᾶσαν οὖν τὴν ἐπιστήμην παρὰ τοῦ Πατρὸς λαβὼν, ὁ τέλειος Ἰσραὴλ, ὁ ἀληθινὸς Ἰακὼβ, μετὰ ταῦτα ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη. Ἰσραὴλ δὲ τίς ἐστιν ἀλλ' ἢ ἄνθρωπος ὁρῶν τὸν Θεόν; Ὁρῶν δὲ τὸν Θεὸν οὐδ' εἷς εἰ μὴ μόνος ὁ παῖς καὶ τέλειος ἄνθρωπος καὶ μόνος διηγησάμενος τὴν βουλὴν τοῦ Πατρός. Λέγει γὰρ καὶ Ἰωάννης· 'Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακεν πώποτε· μονογενὴς 'Υἱὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ Πατρὸς, αὐτὸς διηγή-'σατο·' καὶ πάλιν· 'ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, ὃ 'ἤκουσεν καὶ ἑώρακεν, μαρτυρεῖ.' Οὗτος οὖν ἐστὶν ᾧ πᾶσαν ἐπιστήμην Πατὴρ ἔδωκεν, ὃς ἐπὶ γῆς ὤφθη, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη.

ϛ'. Ὃ δὲ λέγει ὁ Ἀπόστολος, 'Ὧν οἱ Πατέρες, ἐξ 'ὧν ὁ Χριστὸς ὁ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς

Quis enim est Jacob puer ejus, et Israel dilectus ejus, nisi hic de quo clamat inquiens: [a]*Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite:* qui omnem scientiam a Patre accepit, perfectus Israel, et verus Jacob. *Post haec in terra visus est, et cum hominibus conversatus est.* Quis autem est Israel, nisi homo videns Deum? Videns autem Deum, nemo nisi solus puer et perfectus homo, et qui solus enarrat consilium Patris. Ait enim Joannes: [b]*Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius qui est in sinu Patris; ipse enarravit:* et rursus: [c]*Qui de coelo descendit, quod audivit et vidit, testatur.* Hic igitur est, cui omnem scientiam dedit Pater: qui in terra visus est, et cum hominibus conversatus est.

VI. Quod autem dicit Apostolus: [d]*Quorum Patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus bene-*

[a] Matth. xvii. 5. Cf. iii. 17. [b] Joh. i. 18. [c] Joh. iii. 11. et 13. [d] Rom. ix. 5.

'εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας·' καλῶς διηγεῖται καὶ λαμπρῶς τὸ τῆς ἀληθείας μυστήριον. Οὗτος ὁ ὢν ἐπὶ πάντων, Θεός ἐστιν· λέγει γὰρ οὕτω μετὰ παῤῥησίας, 'Πάντα μοι παραδέδοται ὑπὸ τοῦ Πατρός.' 'Ὁ 'ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς' γεγένηται, καὶ ἄνθρωπος γενόμενος, Θεός ἐστιν εἰς τοὺς αἰῶνας· οὕτως γὰρ καὶ Ἰωάννης εἶπεν· 'Ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχό'μενος, ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ.' Καλῶς εἶπεν παντοκράτορα Χριστόν. Τοῦτο γὰρ εἶπεν, ὅπερ καὶ αὐτῷ [fors. αὐτὸς] μαρτυρήσει ὁ Χριστός. Μαρτυρῶν γὰρ Χριστὸς ἔφη· 'Πάντα μοι παραδέδοται παρὰ τοῦ Πα'τρός·' καὶ πάντων [fors. καὶ εἰ π.] κρατεῖ, παντοκράτωρ παρὰ Πατρὸς κατεστάθη Χριστός. Ἤδη δὲ καὶ Παῦλος δεικνὺς, ὅτι πάντα αὐτῷ παραδέδοται, οὕτως ἔφη· 'Ἀπαρχὴ Χριστὸς, ἔπειτα οἱ τοῦ Χριστοῦ, ἐν τῇ παρ'ουσίᾳ αὐτοῦ· εἶτα τὸ τέλος, ὅταν παραδιδῷ τὴν βα'σιλείαν τῷ Θεῷ καὶ Πατρί· ὅταν καταργήσῃ πᾶσαν 'ἀρχὴν καὶ πᾶσαν ἐξουσίαν καὶ δύναμιν. Δεῖ γὰρ αὐ'τὸν βασιλεύειν, ἄχρις οὗ θῇ πάντας τοὺς ἐχθροὺς ὑπὸ

dictus in saecula: pulchre enarrat et dilucide mysterium veritatis. Hic qui est super omnia, Deus est; sic enim audet dicere, [a]*Omnia mihi tradita sunt a Patre;* [b]*qui est super omnia Deus benedictus,* genitus est, et factus homo, Deus est in saecula. Sic enim Joannes ait: [c]*Qui est, et qui erat, et qui venturus est, Deus omnipotens.* Recte vocavit *omnipotentem* Christum; hoc enim dixit, quod quidem Christus testabitur. Tribuens enim testimonium, [d]*Omnia,* inquit, *mihi tradita sunt a Patre:* et omnium dominatum tenet; omnipotens a Patre constitutus est Christus. Immo et Paulus docens omnia ei data esse, sic dixit: [e]*Primitiae Christus, deinde, qui sunt Christi in adventu ejus: postea finis, quum tradiderit regnum Deo et Patri; quum evacuaverit omnem principatum, et omnem potestatem et virtutem. Oportet enim ipsum regnare, donec ponat omnes ini-*

[a] Matth. xi. 27. [b] Rom. ix. 5. [c] Apoc. i. 8. xi. 17. [d] Matth. xi. 27. [e] 1 Cor. xv. 23.

‘τοὺς πόδας αὐτοῦ. Ἔσχατος ἐχθρὸς καταργεῖται ὁ
‘θάνατος· πάντα γὰρ ὑποτέτακται αὐτῷ. Ὅταν δὲ εἴπῃ,
‘πάντα ὑποτέτακται αὐτῷ, δῆλον, ὅτι ἐκτὸς τοῦ ὑπο-
‘τάξαντος αὐτῷ τὰ πάντα. Τότε καὶ αὐτὸς ὑποτα-
‘γήσεται τῷ ὑποτάξαντι αὐτῷ τὰ πάντα, ἵνα ᾖ ὁ
‘Θεὸς πάντα ἐν πᾶσιν.’ Εἰ οὖν τὰ πάντα ὑποτέτακται
αὐτῷ ἐκτὸς τοῦ ὑποτάξαντος, πάντων κρατεῖ, αὐτοῦ
δὲ ὁ Πατὴρ, ἵνα ἐν πᾶσιν εἷς Θεὸς φανῇ, ᾧ τὰ πάντα
ὑποτάσσεται ἅμα Χριστῷ, ᾧ τὰ πάντα Πατὴρ ὑπέ-
ταξεν παρὲξ ἑαυτοῦ. Τοῦτο γὰρ Χριστὸς ἔφη, ὡς
[fors. ὃς] ἐν τῷ εὐαγγελίῳ καὶ Πατέρα ἴδιον καὶ Θεὸν
ὡμολόγησεν· λέγει γὰρ οὕτως, ‘Ὑπάγω πρὸς τὸν Πα-
‘τέρα μου καὶ Πατέρα ὑμῶν, καὶ Θεόν μου καὶ Θεὸν
‘ὑμῶν.’ Εἰ οὖν Νόητος τολμᾷ λέγειν αὐτὸν εἶναι τὸν
Πατέρα, πρὸς ποῖον Πατέρα ἐρεῖ πορεύεσθαι Χρι-
στὸν κατὰ τὴν εὐαγγελικὴν φωνήν; εἰ δὲ ἀξιοῖ κατα-
λείψαντας ἡμᾶς τὸ εὐαγγέλιον τῇ αὐτοῦ ἀφροσύνῃ
πιστεύειν, μάτην κάμνει· ‘Πειθαρχεῖν γὰρ δεῖ Θεῷ
‘μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις.’

micos sub pedibus ejus. Novissime autem inimica destruetur mors: omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Quum autem dicat: Omnia subjecta sunt ei, sine dubio, praeter eum qui subjecit ei omnia. Quum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Si igitur omnia subjecta sunt ei praeter eum qui ei subjecit omnia, omnium tenet dominatum; ipsius vero dominatum tenet Pater, ut in omnibus unus Deus reperiatur, cui omnia subjecta sunt simul cum Christo, cui omnia Pater subjecit praeter se ipsum. Hoc enim Christus dixit: sicut in evangelio et Patrem suum et Deum confessus est. Ait enim sic: [a] *Vado ad Patrem meum et Patrem vestrum; et Deum meum et Deum vestrum.* Si ergo Noetus audet dicere, ipsum esse Patrem; ad quem Patrem dicet ire Christum secundum vocem Evangelii? Sin vero vult ut, relicto Evangelio, amentiae ejus credamus, frustra laborat; [b] *oportet enim obedire magis Deo, quam hominibus.*

[a] Joh. xx. 17.

[b] Actor. iv. 19. v. 29.

ζ'. Ἐὰν δὲ λέγει, Αὐτὸς εἶπεν· ‘Ἐγὼ καὶ ὁ Πα-
‘τὴρ ἕν ἐσμεν·’ ἐπιστανέτω [fors. ἐπίσταιτο] τὸν νοῦν
καὶ μανθανέτω, ὅτι οὐκ εἶπεν ὅτι ἐγὼ καὶ ὁ Πατὴρ
ἕν εἰμι, ἀλλὰ ἕν ἐσμεν. Τὸ γάρ ‘ἐσμεν’ οὐκ ἐφ' ἑνὸς
λέγεται, ἀλλ' ἐπὶ [fors. ἐπεὶ, ut Interpres] δύο πρόσωπα
ἔδειξεν, δύναμιν δὲ μίαν. Αὐτὸς δὲ αὐτὸ ἀπέλυσεν
[fors. ἐπέλυσεν] εἰπὼν περὶ μαθητῶν πρὸς τὸν Πα-
τέρα· ‘Τὴν δόξαν ἣν ἔδωκάς μοι, ἔδωκα αὐτοῖς, ἵνα
‘ὦσιν ἓν, καθὼς ἡμεῖς ἕν· Ἐγὼ ἐν αὐτοῖς, καὶ Σὺ ἐν
‘ἐμοὶ, ἵνα ὦσιν τετελειωμένοι εἰς ἕν, ἵνα γινώσκῃ ὁ
‘κόσμος ὅτι Σύ με ἀπέστειλας.’ Τί πρὸς ταῦτα ἔχουσι
λέγειν οἱ Νοητιανοί; Μὴ πάντες ἓν σῶμά ἐστιν [fors.
ἐσμεν] κατὰ τὴν οὐσίαν; ἢ τῇ δυνάμει καὶ τῇ διαθέ-
σει τῆς ὁμοφρονίας ἓν γινόμεθα; Τὸν αὐτὸν δὴ τρό-
πον ὁ Παῖς ὁ πεμφθεὶς καὶ ὑπ' αὐτῶν μὴ γινωσκό-
μενος ὄντων ἐν κόσμῳ, ὡμολόγησεν εἶναι ἐν τῷ
Πατρὶ δυνάμει, διαθέσει [fors. καὶ δ.]. Εἷς [fors. Ἔστι]
γὰρ νοῦς Πατρὸς ὁ Παῖς. Οἱ νοῦν Πατρὸς ἔχοντες
οὕτω [fors. τούτῳ] πιστεύομεν. Οἱ δὲ τὸν νοῦν μὴ

VII. Si autem dicat, Ipse dixit, [a]*Ego et Pater unum sumus;* advertat animum, et intelligat quod non dixit: *Ego et Pater unum sum;* sed *unum sumus.* Illud enim, *sumus,* non dicitur de uno, sed sic dixit, quia duas personas demonstravit, unam autem potentiam, sive virtutem. Ipse hoc explicavit, quum dixit de discipulis ad Patrem: [b]*Gloriam quam dedisti mihi, dedi eis; ut sint unum, sic ut nos unum sumus. Ego in ipsis, et tu in me; ut sint perfecti in unum; ut cognoscat mundus quod tu me misisti.* Quid ad haec dicere possunt Noetiani? Numquid omnes unum corpus sunt secundum substantiam? an vero potestate et affectione consensionis et concordiae unum efficimur? Ad eundem modum puer missus, et iis qui in mundo erant, [c]non cognitus, confessus est se esse in Patre potestate, affectione consensionis: una enim mens Patris est puer. Qui autem mentem Patris habemus, sic credimus: qui vero

[a] Joh. x. 30. [b] Id. xvii. 22. [c] Id. i. 10.

ἔχοντες τὸν Υἱὸν ἤρνηνται. Εἰ δὲ καὶ Φίλιππον ἐπερωτᾷν [fors. ἐπερωτῶντα] περὶ Πατρὸς, βούλοιντο λέγειν, ‘ Δεῖξον ἡμῖν τὸν Πατέρα, καὶ ἀρκεῖ ἡμῖν·’ πρὸς ὃν ἀπεκρίθη ὁ Κύριος, λέγων· ‘ Τοσοῦτον χρόνον ‘ μεθ’ ὑμῶν εἰμι, Φίλιππε, καὶ οὐκ ἔγνωκάς με; Ὁ ‘ ἑωρακὼς ἐμὲ ἑώρακε τὸν Πατέρα. Οὐ πιστεύεις ὅτι ‘ ἐγὼ ἐν τῷ Πατρὶ, καὶ ὁ Πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστιν;’ καὶ θέλουσι λέγειν, διὰ τούτου κρατύνεσθαι τὸ δόγμα αὐτῶν, ὁμολογοῦντος αὐτοῦ ἑαυτὸν Πατέρα, γνώτωσαν ὅτι μέγιστον ἑαυτοῖς ἐναντίωμα ἐπιφέρουσιν, ὑπ’ αὐτοῦ τοῦ ῥητοῦ ἐλεγχόμενοι. Τοῦ γὰρ Χριστοῦ ἑαυτὸν ἐν πᾶσιν Υἱὸν εἰπόντος καὶ δείξαντος, οὐκ ἐπέγνωσαν, οὐδὲ καταλαβέσθαι ἢ ἀτενίσαι τὴν δύναμιν ἐδυνήθησαν. Καὶ τοῦτο μὴ χωρήσας Φίλιππος, καθ’ ὃ ἦν ἰδεῖν, τὸν Πατέρα ἠξίου βλέπειν· πρὸς ὃν ὁ Κύριος ἔφη· ‘ Φίλιππε, τοσοῦτον χρόνον μεθ’ ὑμῶν ‘ εἰμι, καὶ οὐκ ἔγνωκάς με; Ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε ‘ τὸν Πατέρα.’ Τουτέστιν, εἰ ἐμὲ ἑώρακας, δι’ ἐμοῦ τὸν

non habent, Filium negaverunt. Si autem velint dicere, quod Philippus de Patre interrogans: [a] *Ostende*, inquit, *nobis Patrem et sufficit nobis*: cui respondit Dominus inquiens: *Tanto tempore vobiscum sum, Philippe, et non cognovisti me? Qui vidit me, vidit et Patrem. Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est?* Et volunt dicere quod his verbis eorum dogma confirmatur, ipso confitente se esse Patrem; sciant maximam repugnantiam in se ipsos inducere, Scriptura eos redarguente et convincente. Quum enim Christus in omnibus se Filium dixisset et demonstrasset, non tamen cognoverant eum, neque virtutem ejus intelligere aut intueri potuerant. Et hoc Philippus quum capere non posset, quoad videre licebat, volebat videre Patrem. Cui Dominus dixit: *Philippe, tanto tempore vobiscum sum, et non cognovisti me? qui vidit me, vidit Patrem.* Id est, si me vidisti, per me potes Pa-

[a] Joh. xiv. 8.

Πατέρα γνῶναι δύνῃ· διὰ γὰρ τῆς εἰκόνος ὁμοίας τυγχανούσης εὔγνωστος ὁ Πατὴρ γίνεται. Εἰ δὲ τὴν εἰκόνα, ἥτις ἔστιν ὁ Υἱὸς, οὐκ ἔγνως, πῶς ἰδεῖν θέλεις τὸν Πατέρα; Ὅτι ταῦτ' οὕτως ἔχει, τὰ ἐπικείμενα τῷ κεφαλαίῳ καὶ ὑποκείμενα ἀπολύει, [fors. ἐπιλύει] τὸν προκείμενον Υἱὸν ἀπεσταλμένον παρὰ Πατρὸς καὶ πρὸς Πατέρα πορευόμενον σημαίνονται [cor. σημαίνοντα].

η'. Πολλὰ δὲ καὶ ἕτερα, μᾶλλον δὲ πάντα ἐστὶν μαρτυροῦντα τῇ ἀληθείᾳ. Ἀνάγκην οὖν ἔχει καὶ μὴ θέλων ὁμολογεῖν Πατέρα Θεὸν παντοκράτορα, καὶ Χριστὸν Ἰησοῦν Υἱὸν Θεοῦ Θεὸν ἄνθρωπον γενόμενον, ᾧ πάντα Πατὴρ ὑπέταξε παρεκτὸς ἑαυτοῦ καὶ Πνεύματος ἁγίου, καὶ τούτους εἶναι οὕτως [legebat ὄντως Turrianus] τρία. Εἰ δὲ βούλεται μαθεῖν πῶς εἷς Θεὸς ἀποδείκνυται, γινωσκέτω ὅτι μία δύναμις τούτου, καὶ ὅσον μὲν κατὰ τὴν δύναμιν, εἷς ἐστι Θεὸς, ὅσον δὲ κατὰ τὴν οἰκονομίαν, τριχῆς [cor. τριχῶς] ἡ ἐπίδειξις, ὡς ὕστερον ἀποδειχθήσεται ἀποδιδόντων ἡμῶν περὶ ἀληθείας λόγον. Ταῦτα μὲν οὖν, ἀδελφοὶ,

trem cognoscere. Per imaginem enim quae similis est, potest facile Pater cognosci. Sin vero imaginem, quae est Filius, non cognovisti, quomodo vis Patrem videre? Quod autem haec ita sint, quae in ipso capite adjecta et subjecta sunt, explicant, quae significant, Filium *propositum*[a] *missum esse a Patre*[b] et *ad Patrem ire*[c].

VIII. Multa alia, immo omnia huic veritati adstipulantur. Necesse ergo est, ut quamvis nolit, confiteatur Patrem Deum omnipotentem, et Christum Jesum Filium Dei, Deum factum hominem, cui omnia Pater subjecit praeter se, et Spiritum Sanctum; et hos esse vere tres. Quod si vult scire quomodo unus Deus demonstratur, sciat unam esse virtutem sive potentiam hujus; et quantum ad virtutem pertinet, unus est Deus; quantum vero ad incarnationem pertinet, tertia est ostensio, ut paulo post docebimus, quum reddemus rationem de veritate. Haec igitur, fratres, dicta

[a] Rom. iii. 25. [b] Joh. v. 30. viii. 16. 18. &c. [c] Id. xiii. 1. xiv. 12.

δείκνυται ἡμῖν συμφώνως εἰρημένα. Εἷς γὰρ Θεός ἐστιν ᾧ δεῖ πιστεύειν, ἀλλ' ἀγένητος, ἀπαθὴς, ἀθάνατος, πάντα ποιῶν ὡς [fors. ἃ] θέλει, καθὼς θέλει, ὅτε θέλει. Τί οὖν πρὸς ταῦτα τολμήσει Νόητος, μὴ νοῶν τὴν ἀλήθειαν; Ἐπειδὴ οὖν ἤδη καὶ ὁ Νόητος ἀνατέτραπται, ἔλθωμεν ἐπὶ τὴν τῆς ἀληθείας ἀπόδειξιν, ἵνα συστήσωμεν τὴν ἀλήθειαν, καθ' ἧς πᾶσαι τοσαῦται αἱρέσεις γεγένηνται, μηδὲν δυνάμεναι εἰπεῖν.

θ'. Εἷς Θεὸς, ὃν οὐκ ἄλλοθεν ἐπιγινώσκομεν, ἀδελφοὶ, ἢ [ἐκ] τῶν ἁγίων γραφῶν. Ὃν γὰρ τρόπον ἐάν τις βουληθῇ τὴν σοφίαν τοῦ αἰῶνος τούτου ἀσκεῖν, οὐκ ἄλλως δυνήσεται τούτου τυχεῖν, ἐὰν μὴ δόγμασι φιλοσόφων ἐντύχῃ, τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον ὅσοι θεοσέβειαν ἀσκεῖν βουλόμεθα, οὐκ ἄλλοθεν ἀσκήσομεν ἢ ἐκ τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ. Ὅσα τοίνυν κηρύσσουσιν αἱ θεῖαι γραφαὶ, ἴδωμεν, καὶ ὅσα διδάσκουσιν, ἐπιγνῶμεν, καὶ ὡς θέλει Πατὴρ πιστεύεσθαι, πιστεύσωμεν, καὶ ὡς θέλει Υἱὸν δοξάζεσθαι, δοξάσωμεν, καὶ ὡς θέλει Πνεῦμα ἅγιον δωρεῖσθαι,

nobis sunt, de quibus inter omnes convenit. Unus enim est Deus, cui credere oportet, sed ingenitus, impatibilis, immortalis, qui omnia facit quae vult, sicut vult, et quando vult. Quid igitur ad haec audebit dicere Noetus, non intelligens veritatem? Quandoquidem igitur hactenus Noetus confutatus est, veniamus ad demonstrationem veritatis; ut confirmemus veritatem, contra quam tot et tantae haereses ortae sunt, quae nihil dicere potuerunt.

IX. Unus Deus est, quem non aliunde, fratres, agnoscimus, quam ex sanctis Scripturis. Quemadmodum enim si quis vellet sapientiam hujus saeculi exercere, non aliter hoc consequi poterit, nisi dogmata philosophorum legat: sic quicumque volumus pietatem in Deum exercere, non aliunde discemus, quam ex Scripturis divinis. Quaecunque ergo sanctae Scripturae praedicant, sciamus; et quaecunque docent, cognoscamus: et sicut vult Pater credi, sic credamus; et sicut vult Filium glorificari, sic glorificemus; et sicut vult donari Spiritum Sanctum, sic ac-

λάβωμεν. Μὴ κατ' ἰδίαν προαίρεσιν, μηδὲ κατ' ἴδιον νοῦν, μηδὲ βιαζόμενοι τὰ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ δεδομένα, ἀλλ' ὃν τρόπον αὐτὸς ἐβουλήθη διὰ τῶν ἁγίων γραφῶν δεῖξαι, οὕτως ἴδωμεν.

ί. Θεὸς μόνος ὑπάρχων καὶ μηδὲν ἔχων ἑαυτῷ σύγχρονον, ἐβουλήθη κόσμον κτίσαι. Ὁ κόσμον ἐννοηθεὶς, θελήσας τε καὶ φθεγξάμενος ἐποίησεν, ᾧ παραυτίκα παρέστη τὸ γενόμενον ὡς ἠθέλησεν. Αὐτάρκης οὖν ἡμῖν ἐστιν μόνον εἰδέναι ὅτι σύγχρονον Θεοῦ οὐδὲν πλὴν αὐτὸς ἦν, αὐτὸς δὲ μόνος ὢν πολὺς ἦν· οὔτε γὰρ ἄλογος, οὔτε ἄσοφος, οὔτε ἀδύνατος, οὔτε ἀβούλευτος ἦν· πάντα δὲ ἦν ἐν αὐτῷ, αὐτὸς δὲ ἦν τὸ πᾶν. Ὅτε ἠθέλησεν, καθὼς ἠθέλησεν, ἔδειξε τὸν Λόγον αὐτοῦ καιροῖς ὡρισμένοις παρ' αὐτῷ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐποίησεν. Ὅτε μὲν θέλει, ποιεῖ, ὅτε δὲ ἐνθυμεῖται, τελεῖ, ὅτε δὲ φθέγγεται, δεικνύει, ὅτε πλάσσει, σοφίζεται· πάντα γὰρ τὰ γενόμενα διὰ λόγου καὶ σοφίας τεχνάζεται, λόγῳ μὲν κτίζων, σοφίᾳ δὲ κοσμῶν. Ἐποίησεν οὖν ὡς ἠθέλησεν, Θεὸς γὰρ

cipiamus. Non secundum propriam voluntatem, neque secundum proprium sensum, neque vim inferentes in ea, quae ab eo data sunt; sed quomodo ipse per sanctas Scripturas docere voluit, sic intelligamus.

X. Deus solus quum esset, nihilque sibi coaevum haberet, voluit mundum efficere, et mundum cogitans, ac volens, et dicens effecit; continuoque exstitit ei factus, sicut voluit perfecit. Satis igitur nobis est scire solum, nihil esse Deo coaevum. Nihil erat praeter ipsum: ipse solus multus erat. Nec enim erat sine ratione, sine sapientia, sine potentia, sine consilio. Omnia erant in eo, ipse erat omnia. Quando voluit, et quomodo voluit, ostendit Verbum suum temporibus apud eum definitis; per quem omnia fecit. Qui quum vult, facit; quando cogitat, perficit; quando loquitur, ostendit; quando format, sapientiam edit. Omnia enim quae facta sunt, ratione quidem creat, sapientia vero ornat. Fecit igitur sicut voluit; Deus enim

ἦν. Τῶν δὲ γινομένων ἀρχηγὸν καὶ σύμβουλον καὶ ἐργάτην ἐγέννα Λόγον, ὃν Λόγον ἔχων ἐν ἑαυτῷ ἀόρατόν τε ὄντα τῷ κτιζομένῳ κόσμῳ ὁρατὸν ποιεῖ· προτέραν φωνὴν φθεγγόμενος, καὶ φῶς ἐκ φωτὸς γεννῶν, προῆκεν τῇ κτίσει Κύριον· τὸν ἴδιον νοῦν, αὐτῷ μόνῳ πρότερον ὁρατὸν ὑπάρχοντα, τῷ δὲ γινομένῳ κόσμῳ ἀόρατον ὄντα, ὁρατὸν ποιεῖ, ὅπως διὰ τοῦ φανῆναι ἰδὼν ὁ κόσμος σωθῆναι δυνηθῇ.

ια'. Καὶ οὕτως παρίστατο αὐτῷ ἕτερος. Ἕτερον δὲ λέγων οὐ δύο Θεοὺς λέγω, ἀλλ' ὡς φῶς ἐκ φωτὸς, ἢ ὡς ὕδωρ ἐκ πηγῆς, ἢ ὡς ἀκτῖνα ἀπὸ ἡλίου. Δύναμις γὰρ μία ἡ ἐκ τοῦ παντὸς, τὸ δὲ πᾶν Πατὴρ, ἐξ οὗ δύναμις Λόγος· οὗτος δὲ Νοῦς, ὃς προβὰς ἐν κόσμῳ ἐδείκνυτο Παῖς Θεοῦ. Πάντα τοίνυν δι' αὐτοῦ, αὐτὸς δὲ μόνος ἐκ Πατρός. Τίς τοίνυν ἀποφαίνεται πληθὺν Θεῶν παραβαλλομένην κατὰ καιρούς; Καὶ γὰρ πάντες ἀπεκλείσθησαν εἰς τοῦτο ἄκοντες εἰπεῖν, ὅτι τὸ πᾶν εἰς ἕνα ἀνατρέχει. Εἰ οὖν τὰ πάντα εἰς ἕνα ἀνα-

erat. Eorum autem quae facta sunt, ducem, consiliarium, et operarium generabat Verbum: quod Verbum quum in se haberet, essetque mundo creato inaspectabile, fecit aspectabile, emittens priorem vocem, et lumen ex lumine generans, depromsit ipsi creaturae Dominum, sensum suum; et qui prius ipsi tantum erat visibilis, mundo autem invisibilis, hunc visibilem fecit, ut mundus quum eum qui apparuit, videret, salvus fieri posset.

XI. Atque ita adstitit ei alius. Quum alium dico, non duos Deos dico, sed tanquam lumen ex lumine, et aquam ex fonte, aut radium a sole. Una enim virtus ex toto; totum vero Pater, ex quo virtus Verbum: hoc vero Mens, sive sensus, qui prodiens in mundum, ostensus est puer Dei. [a] Omnia igitur per eum facta sunt, ipse solus ex Patre genitus. Quis ergo profert multitudinem Deorum, quae per curricula temporum appulsa fuit? Omnes enim eo redacti sunt inviti, ut dicant omnia ad unum recurrere, et-

[a] Joh. i. 3.

τρέχει, καὶ κατὰ Οὐαλεντῖνον καὶ κατὰ Μαρκίωνα, Κηρινθόν τε καὶ πᾶσαν τὴν ἐκείνων φλυαρίαν, καὶ ἄκοντες εἰς τοῦτο περιέπεσαν, ἵνα τὸν ἕνα ὁμολογήσωσιν αἴτιον τῶν πάντων· οὕτως οὖν συντρέχουσιν καὶ αὐτοὶ μὴ θέλοντες τῇ ἀληθείᾳ, ἕνα Θεὸν λέγειν [an λέγοντες?] ποιήσαντα ὡς ἠθέλησεν. Οὗτος δὲ ἔδωκεν Νόμον καὶ Προφήτας· καὶ δοὺς διὰ Πνεύματος ἁγίου ἠνάγκασεν τούτους φθέγξασθαι, ὅπως τῆς πατρῴας δυνάμεως τὴν ἀποπνοίαν λαβόντες τὴν βουλὴν καὶ τὸ θέλημα τοῦ Πατρὸς καταγγείλωσιν.

ιβ'. Ἐν τούτοις τοίνυν πολιτευόμενος ὁ Λόγος ἐφθέγγετο περὶ ἑαυτοῦ, ἤδη γὰρ αὐτὸς ἑαυτοῦ κῆρυξ ἐγένετο, δεικνύων μέλλοντα Λόγον φαίνεσθαι ἐν ἀνθρώποις· δι' ἣν αἰτίαν οὕτως ἐβόα, 'Ἐμφανὴς ἐγενόμην 'τοῖς ἐμὲ μὴ ζητοῦσιν, εὑρεθην τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶ-'σιν.' Τίς δέ ἐστιν ὁ ἐμφανὴς γενόμενος ἀλλ' ἢ ὁ Λόγος τοῦ Πατρός; ὃν ἀποστέλλων Πατὴρ ἐδείκνυεν ἀνθρώποις τὴν παρ' ἑαυτοῦ ἐξουσίαν. Οὕτως οὖν ἐμφανὴς ἐγένετο ὁ Λόγος, καθὼς λέγει· ἀνακεφαλαι-

iam secundum Valentinum, et Marcionem, et Cerinthum, et omnem illorum nugacitatem; et huc nolentes reciderunt, ut unam omnium causam confiteantur. Igitur veritati nolentes consentiunt, esse scilicet unum Deum, qui fecit omnia sicut voluit. Hic autem dedit Legem et Prophetas; et dando coëgit hos per Spiritum Sanctum loqui, ut accipientes virtutis paternae inspirationem, consilium et voluntatem Patris nuntiarent.

XII. In his igitur Verbum versabatur, loquens de ipso. Jam enim ipse suus praeco erat; ostendebatque futurum esse, ut Verbum in hominibus appareret. Idcirco sic clamabat: [a]*Factus sum manifestus iis qui non quaerebant me; inventus sum ab iis qui non interrogabant me.* Quis vero est qui factus est manifestus, nisi Verbum Patris? quod quum Pater misit, potestatem suam ostendit hominibus. Sic igitur factum est manifestum Verbum, sicut ait

[a] Esai. lxv. 1.

οὗται γὰρ ὁ μακάριος Ἰωάννης τὰ διὰ τῶν Προφητῶν εἰρημένα, δεικνὺς τοῦτον εἶναι τὸν Λόγον, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο. Φησὶν γὰρ οὕτω· ''Εν ἀρχῇ ἦν ὁ 'Λόγος, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ Θεὸς ἦν 'ὁ Λόγος. Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ 'ἐγένετο οὐδὲ ἕν.' Ὑπο[βὰς] δὲ ἔφη· ''Ο κόσμος δι' 'αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω. Εἰς 'τὰ ἴδια ἦλθεν, καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον.' Εἰ οὖν, ἔφη, ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ γεγένηται, καθὼς λέγει ὁ Προφήτης· 'Τῷ Λόγῳ Κυρίου οἱ οὐρανοὶ ἐστερεώ- 'θησαν·' ἆρα οὗτός ἐστιν ὁ Λόγος ὁ καὶ ἐμφανὴς δεικνύμενος. Οὐκοῦν ἔνσαρκον Λόγον θεωροῦμεν, Πατέρα δι' αὐτοῦ νοοῦμεν, Υἱῷ δὲ πιστεύομεν, Πνεύματι ἁγίῳ προσκυνοῦμεν.

ιγ'. Ἴδωμεν οὖν τὰ γεγραμμένα, ὅτι μὲν ἐμφανὴς ὁ Λόγος ἐσόμενος ἐκηρύσσετο. Καὶ Ἱερεμίας λέγει· 'Τίς ἔστη ἐν ὑποστήματι Κυρίου, καὶ εἶδεν τὸν Λόγον 'αὐτοῦ;' Λόγος δὲ Θεοῦ μόνος ὁρατὸς, ἀνθρώπου δὲ

beatus Joannes. Repetit enim summatim, quae a Prophetis dicta sunt, demonstrans hoc esse Verbum, per quod omnia facta sunt. Sic enim ait : [a]*In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Et infra ait : [b]*Mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt.* Si mundus, inquit, per ipsum factus est, sicut ait Propheta, [c]*Verbo Domini coeli firmati sunt,* igitur hoc est Verbum, quod factum est manifestum. Ergo Verbum incarnatum cernimus, Patrem per eum intelligimus, Filio credimus, Spiritum Sanctum adoramus.

XIII. Videamus igitur quae scripta sunt, quod praedicabatur quidem Verbum futurum manifestum. Hieremias etiam dicit : [d]*Quis stetit in hypostasi Domini, et vidit Verbum ejus?* Verbum autem Dei solum est visibile, verbum vero hominis

[a] Joh. i. 1. [b] Id. i. 10. [c] Ps. xxxiii. 6. [d] Jer. xxiii. 18.

ἀκουστός. Ὅπου ὁρᾷν τὸν Λόγον λέγει, ἀνάγκην ἔχω πιστεύειν ὁρατὸν τοῦτον ἀπεσταλμένον· οὐκ ἄλλος ἦν ἀλλ' ἢ ὁ Λόγος. Ὅτι δὲ ἀπεστάλθη, μαρτυρεῖ Πέτρος, πρὸς τὸν ἑκατόνταρχον Κορνήλιον λέγων, 'Ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν Λόγον αὐτοῦ τοῖς 'υἱοῖς 'Ισραὴλ διὰ κηρύγματος 'Ιησοῦ Χριστοῦ· οὗτός 'ἐστιν ὁ Θεὸς ὁ πάντων Κύριος.' Εἰ δὲ οὖν Λόγος ἀποστέλλεται διὰ 'Ιησοῦ Χριστοῦ, τὸ θέλημα τοῦ Πατρός ἐστιν 'Ιησοῦς Χριστός.

ιδ'. Ταῦτα μὲν οὖν, ἀδελφοί, σημαίνουσιν αἱ γραφαί, ταύτην τὴν οἰκονομίαν παραδίδωσιν ἡμῖν καὶ ὁ μακάριος 'Ιωάννης ἐν Εὐαγγελίῳ μαρτυρῶν, καὶ τοῦτον τὸν Λόγον Θεὸν ὁμολογεῖ οὕτως λέγων, 'Εν ἀρχῇ 'ἦν ὁ Λόγος, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ 'Θεὸς ἦν ὁ Λόγος.' Εἰ δὲ οὖν ὁ Λόγος πρὸς τὸν Θεὸν, Θεὸς ὤν, τί οὖν φήσειεν ἄν τις, δύο λέγειν [fors. λέγεις] Θεούς; Δύο μὲν οὐκ ἐρῶ Θεοὺς, ἀλλ' ἢ ἕνα, πρόσωπα δὲ δύο, οἰκονομίαν [fors. οἰκονομίᾳ] δὲ τρίτην, τὴν χάριν τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Πατὴρ μὲν

audibile. Quando dicit videre Verbum, necesse est mihi ut credam, hunc visibilem missum esse. Missus autem non est alius quam Verbum. Quod autem missum fuit, testatur Petrus, quum dixit Cornelio centurioni : [a] *Misit Deus Verbum suum filiis Israel per praedicationem Jesu Christi. Hic est Deus omnium Dominus.* Si ergo Verbum mittitur per Jesum Christum, voluntas Patris est Jesus Christus.

XIV. Haec igitur, fratres, significant nobis Scripturae. Hanc oeconomiam, id est, incarnationem, tradit nobis Joannes in Evangelio, testimonio suo ; et hoc Verbum confitetur Deum, sic inquiens : [b] *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Si ergo Verbum erat apud Deum, et Deus erat, quid ergo ? dicet ne aliquis dicere Joannem duos Deos ? Duos quidem non dicam, sed unum ; personas vero duas, oeconomiam tertiam, gratiam dico Sancti Spiritus. Pa-

[a] Actor. x. 36.

[b] Joh. i. 1.

γὰρ εἷς, πρόσωπα δὲ δύο, ὅτι καὶ ὁ Υἱὸς, τὸ δὲ τρίτον τὸ ἅγιον Πνεῦμα. Πατὴρ ἐντέλλεται, Λόγος ἀποτελεῖ, Υἱὸς δὲ δείκνυται, δι' οὗ Πατὴρ πιστεύεται. Οἰκονομίᾳ [fors. καὶ οἰκονομίᾳ] συμφωνίας συνάγεται εἰς ἕνα Θεὸν, εἷς γάρ ἐστιν ὁ Θεὸς, ὁ γὰρ [fors. ὅ γε] κελεύων, Πατὴρ, ὁ δὲ ὑπακούων, Υἱὸς, τὸ δὲ συνετίζον, ἅγιον Πνεῦμα. Ὁ ὢν [fors. οὖν] Πατὴρ ἐπὶ πάντων, ὁ δὲ Υἱὸς διὰ πάντων, τὸ δὲ ἅγιον Πνεῦμα ἐν πᾶσιν. Ἄλλως τε ἕνα Θεὸν νομίσαι μὴ δυνάμεθα, ἐὰν μὴ ὄντως Πατρὶ καὶ Υἱῷ καὶ ἁγίῳ Πνεύματι πιστεύσωμεν. Ἰουδαῖοι μὲν γὰρ ἐδόξασαν Πατέρα, ἀλλ' οὐκ ηὐχαρίστησαν, Υἱὸν γὰρ οὐκ ἐπέγνωσαν. Μαθηταὶ ἐπέγνωσαν Υἱὸν, ἀλλ' οὐκ ἐν Πνεύματι ἁγίῳ, δι' ὃ καὶ ἠρνήσαντο. Γινώσκων οὖν ὁ Πατρῷος Λόγος τὴν οἰκονομίαν καὶ τὸ θέλημα τοῦ Πατρὸς, ὅτι οὐκ ἄλλως βούλεται δοξάζεσθαι ὁ Πατὴρ ἢ οὕτως, ἀναστὰς παρέδωκεν τοῖς μαθηταῖς λέγων· ‘Πορευθέντες μαθη-
‘τεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ
‘ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύ-

ter quidem unus, personae vero duae, quia Filius ; tertia autem Spiritus Sanctus. Pater mandat, Verbum perficit, Filius autem ostenditur, per quem Pater creditur. Oeconomia consensionis redigitur ad unum Deum ; unus enim est Deus, qui mandat, Pater ; qui obedit, Filius ; qui docet scientiam, Spiritus Sanctus. Pater qui est *super omnia*, Filius *per omnia*, Spiritus Sanctus *in omnibus*. Aliter Deum unum intelligere non possumus, nisi vere Patri et Filio et Spiritui S. credamus. Etenim Judaei Patrem glorificaverunt, sed non egerunt gratias ; siquidem non agnoverunt Filium. Discipuli agnoverunt Filium, sed non in Spiritu Sancto : idcirco negaverunt. Sciens igitur Verbum Patris, oeconomiam et voluntatem Patris, quod non vult aliter Pater glorificari, nisi sic, quum resurrexisset, tradidit hoc discipulis ; [a] *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus*

[a] Matt. xxviii. 19.

'ματος,' δεικνύων ὅτι πᾶς ὃς ἂν ἓν τι τούτων ἐκλίπῃ, τελείως Θεὸν οὐκ ἐδόξασεν· διὰ γὰρ τῆς Τριάδος ταύτης Πατὴρ δοξάζεται. Πατὴρ γὰρ ἠθέλησεν, Υἱὸς ἐποίησεν, Πνεῦμα ἐφανέρωσεν. Πᾶσαι τοίνυν αἱ γραφαὶ περὶ τούτου κηρύσσουσι.

ιε'. Ἀλλ' ἐρεῖ μοί τις· Ξένον μοι φέρεις, Λόγον λέγων Υἱόν. Ἰωάννης μὲν γὰρ λέγει Λόγον, ἀλλ' ἄλλως ἀλληγορεῖ. Οὕτως γὰρ. [fors. ἀλλ' ἀλληγορεῖ. Οὐκ ἀλληγορεῖ. Οὕτος γὰρ Vid. notam.] δεικνύων τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ τοῦτον ὄντα ἀπ' ἀρχῆς καὶ νῦν ἀπεσταλμένον, ὑποβὰς, ἐν τῇ Ἀποκαλύψει, ἔφη· 'Καὶ 'ἴδον τὸν οὐρανὸν ἠνεῳγμένον, καὶ ἰδοὺ ἵππος λευκός· 'καὶ ὁ καθήμενος ἐπ' αὐτοῦ πιστὸς καὶ ἀληθινὸς, καὶ 'ἐν δικαιοσύνῃ κρίνει καὶ πολεμεῖ. Οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ 'αὐτοῦ φλὸξ πυρὸς, διαδήματα πολλὰ ἐπὶ τὴν κεφα-'λὴν αὐτοῦ· ἔχων ὄνομα γεγραμμένον ὃ οὐδεὶς οἶδεν 'εἰ μὴ αὐτὸς, καὶ περιβεβλημένος ἱμάτιον ἐρραντισμένον 'αἵματι· καὶ κέκληται τὸ ὄνομα αὐτοῦ ὁ Λόγος τοῦ 'Θεοῦ.' Ὁρᾶτε οὖν, ἀδελφοὶ, πῶς ἐν συμβόλῳ τὸ

Sancti. Docuit hic, quod quicumque unum quid horum omiserit, is perfecte Deum non glorificavit. Per hanc enim Trinitatem Pater glorificatur. Pater enim voluit, Filius fecit, Spiritus Sanctus manifestum fecit : omnes igitur Scripturae de hoc praedicant.

XV. Sed dicet mihi aliquis : Novum Verbum mihi affers, quum Filium vocas. Joannes enim Verbum quidem dicit, sed aliter per allegoriam interpretatur. Immo non aliter per allegoriam interpretatur ; sic enim ostendens hoc Verbum Dei quod ab initio erat, et nunc missum est, dixit postea, in Apocalypsi : [a] *Et vidi coelum apertum, et ecce equus albus : et qui sedebat in eo, fidelis et verax, et in justitia judicat et pugnat. Oculi ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa ; habens nomen scriptum quod nemo novit nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa sanguine : et vocatum est nomen ejus, Verbum Dei.*

[a] Apocal. xix. 11—13.

ἱμάτιον τὸ ἐῤῥαντισμένον αἵματι, τὴν σάρκα διηγήσατο, δι' ἧς καὶ ὑπὸ πάθος ἦλθεν ὁ ἀπαθὴς τοῦ Θεοῦ Λόγος, καθὼς μαρτυροῦσίν μοι οἱ Προφῆται. Λέγει γὰρ οὕτως ὁ μακάριος Μιχαίας· ‘Οἶκος Ἰακὼβ ‘παρώργισε Πνεῦμα Κυρίου· ταῦτα τὰ ἐπιτηδεύματα ‘αὐτοῖς ἐστιν· οὐχ οἱ λόγοι αὐτοῦ καλοὶ μετ' αὐτῶν ‘καὶ ὀρθοὶ πορεύονται· καὶ αὐτοὶ ἀντέστησαν εἰς ἐχ‘θρὰν κατὰ πρόσωπον τῆς εἰρήνης αὐτοῦ, τὴν δόξαν ‘ἐξέδειραν αὐτοῦ·’ τουτέστιν τὸ σαρκὶ παθεῖν αὐτόν. Ὡσαύτως καὶ ὁ μακάριος Παῦλος λέγει· ‘Τὸ γὰρ ‘ἀδύνατον τοῦ Νόμου, ἐν ᾧ ἠσθένει, ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ ‘Υἱὸν πέμψας ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, κατ‘έκρινεν τὴν ἁμαρτίαν τῇ σαρκὶ, ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ ‘Νόμου φανερωθῇ ἐν ἡμῖν τοῖς μὴ κατὰ σάρκα περι‘πατοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα.’ Ποῖον οὖν Υἱὸν ἑαυτοῦ ὁ Θεὸς διὰ τῆς σαρκὸς κατέπεμψεν ἀλλ' ἢ τὸν Λόγον, ὃν Υἱὸν προσηγόρευε διὰ τὸ μέλλειν αὐτὸν γενέσθαι; καὶ τὸ κοινὸν ὄνομα τῆς εἰς ἀνθρώπους φιλοστοργίας [fors. τῇ εἰς ἀνθρώπους φιλοστοργίᾳ]

Videte igitur, fratres, quomodo vestis sanguine aspersa, in symbolo significavit carnem, qua venit ad subeundam passionem impatibile Dei Verbum, sicut mihi Prophetae testantur. Sic enim ait beatus Michaeas : [a] *Domus Jacob irritavit Spiritum Domini, haec sunt eorum studia: non boni sermones ejus, et recte cum ipsis ambulant. Et ipsi suscitaverunt inimicitiam contra pacem ejus, gloriam ejus detraxerunt.* Id est, fecerunt eum pati in carne. Similiter beatus Paulus ait : [b] *Quod enim impossibile erat Legis, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudine carnis peccati, damnavit peccatum in carne, ut justificatio Legis ostenderetur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum.* Qualem igitur Filium suum Deus per carnem misit, nisi Verbum, quod a principio scilicet Filium vocavit, quia futurum erat ut ortum caperet ? et quum Filius vocatur, commune nomen amoris erga homines sumit. Nec

[a] Michae ii. 7.

[b] Rom. viii. 3.

ἀναλαμβάνει, ὁ Υἱὸς καλούμενος. Οὔτε γὰρ ἄσαρκος καὶ καθ' ἑαυτὸν ὁ Λόγος τέλειος ἦν Υἱὸς, καίτοι τέλειος Λόγος ὢν μονογενὴς, οὔθ' ἡ σὰρξ καθ' ἑαυτὴν δίχα τοῦ Λόγου ὑποστῆναι ἠδύνατο, διὰ τὸ ἐν Λόγῳ τὴν σύστασιν ἔχειν. Οὕτως οὖν εἷς Υἱὸς τέλειος Θεοῦ ἐφανερώθη.

ιϛ'. Καὶ ταῦτα μὲν περὶ σαρκώσεως τοῦ Λόγου μαρτύρια· ἔστιν δὲ καὶ ἕτερα πλεῖστα. Ἴδωμεν δὲ καὶ τὸ προκείμενον, ὅτι ὄντως, ἀδελφοὶ, ἡ δύναμις ἡ πατρῴα, ὅ ἐστιν Λόγος, ἀπ' οὐρανοῦ κατῆλθεν, καὶ οὐκ αὐτὸς ὁ Πατήρ. Λέγει γὰρ οὕτως· 'Ἐγὼ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐξῆλθον, καὶ ἥκω.' Τί δέ ἐστιν τὸ, ἐξῆλθον [fors. ὃ ἐξῆλθεν] ἐκ τοῦ Πατρὸς, ἀλλ' ἢ ὁ Λόγος; Τί δὲ τὸ ἐξ αὐτοῦ γεννηθὲν, ἀλλ' ἢ Πνεῦμα, τουτέστιν ὁ Λόγος; Ἀλλ' ἐρεῖς μοι, Πῶς γεγέννηται; Τὴν μὲν κατά σε διήγησιν, ὡς, γεγέννησαι, οὐ δύνῃ ἐξειπεῖν, καίτοι τῆς ἑκάστης ἡμέρας ὁρῶν τὴν κατὰ ἄνθρωπον αἰτίαν· καὶ τὴν περὶ τοῦτον οἰκονομίαν ἀκριβῶς ἐξειπεῖν οὐ δύνασαι. Οὐ γὰρ πάρεστίν σοι γινώσκειν τὴν

enim Verbum per se et sine carne perfectus Filius erat, quum tamen esset perfectum Verbum, unigenitus. Neque caro per se sine Verbo subsistere poterat, quia in Verbo habebat *τὴν σύστασιν*, id est, in Verbo subsistebat. Sic ergo unus Filius Dei perfectus manifestatus est.

XVI. Atque haec quidem sunt de incarnatione Verbi testimonia, et alia plurima. Videamus nunc quod propositum nobis est, quod vere, fratres, virtus Patris, quod est Verbum Dei, e coelo descendit, et non ipse Pater, sic enim ait: [a] *Ego ex Patre exivi, et venio.* Quid est autem quod ex Patre exivit, nisi Verbum? Quid est quod ex ipso genitum est nisi Spiritus, id est, Verbum? Sed dices mihi: Quomodo genitum est? Explicationem quomodo tu genitus es, non potes expromere, quamvis quotidie vides causam humanam; et modum generationis non potes perfecte efferre. Non enim licet tibi cognos-

[a] Joh. xvi. 28

τοῦ δημιουργήσαντος ἔμπειρον καὶ ἀνεκδιήγητον τέχνην, ἀλλ' ἢ μόνον ὁρῶντα νοεῖν καὶ πιστεύειν, ὅτι ἔργον Θεοῦ ἄνθρωπος. Περὶ δὲ Λόγου γένεσιν ζητεῖς, ὅνπερ βουληθεὶς ὁ Θεὸς Πατὴρ ἐγέννησεν ὡς ἠθέλησεν; Οὐ γὰρ αὔταρκές σοι ἐστὶν μαθεῖν ὅτι κόσμον ὁ Θεὸς ἐποίησεν· ἀλλὰ καὶ πόθεν ἐποίησεν, τολμᾷς ἐπιζητεῖν; ἢ οὐκ αὔταρκές σοι ἐστὶν μαθεῖν, ὅτι Υἱὸς Θεοῦ σοι ἐφανερώθη εἰς σωτηρίαν, ἐὰν πιστεύσῃς, ἀλλὰ καὶ πῶς ἐγεννήθη κατὰ Πνεῦμα, πολυπραγμονεῖς; Καὶ τὴν μὲν κατὰ σάρκα γέννησιν αὐτοῦ οὐ πλείονες ἐπιστεύθησαν διηγήσασθαι πλὴν δύο. Καὶ σὺ τολμᾷς ἐπιζητεῖν τὴν κατὰ Πνεῦμα διήγησιν, ἣν παρ' ἑαυτῷ φυλάττει Πατὴρ, ἀποκαλύπτειν μέλλων τότε [fors. ποτε] τοῖς ἁγίοις καὶ ἀξίοις ἰδεῖν τὸ πρόσωπον αὐτοῦ; Αὔταρκές σοι ἤτω τὸ εἰρημένον ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ· ὅτι 'τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ Πνεύματος, 'Πνεῦμά ἐστιν.' Καθὼς διὰ τοῦ Προφήτου τὴν τοῦ Λόγου γέννησιν σημαίνων ὅτι γεγέννηται, τὸ δὲ πῶς

cere artem ejus qui creavit, in experientia et usu positam, et non enarrabilem; sed solum videndo intelligere et credere quod opus Dei est homo. De Verbi autem generationis ratione quaeris, qua Deus Pater generare voluit; generavit sicut voluit. Non satis est tibi scire quod Deus mundum condidit, nisi audeas inquirere, quomodo condidit? Non sufficit tibi cognoscere, quod Filius Dei tibi apparuit ad salutem, si tamen id credis; sed insuper quomodo genitus est secundum Spiritum, curiose indagas? Atque generationem ejus secundum carnem enarrare non pluribus quam duobus concreditum est, et tu audes generationem secundum Spiritum scrutari, quam apud se Pater servat, revelaturus tunc sanctis, qui ut faciem ejus videant digni erunt? Satis habe quod a Christo dictum est: [a]*Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est*, sicut per Prophetam significat Verbi generationem quod genitus est: quomodo vero, reservat apud se in tempus cer-

[a] Joh. iii. 6.

φυλάσσει, καιρῷ ὡρισμένῳ παρ' αὐτῷ μέλλων ἀποκαλύπτειν. Λέγει δὲ οὕτως, 'Ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐξεγέννησά σε.'

ιζ'. Αὐτάρκεις αὗται αἱ μαρτυρίαι πιστοῖς ἀλήθειαν ἀσκοῦσιν· οἱ δὲ ἄπιστοι οὐδενὶ πιστεύουσιν. Καὶ γὰρ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον [Addendum est post Turriani interpr. ἵνα φοβήσῃ,] ἐκ προσώπου τῶν Ἀποστόλων διεμαρτύρατο, λέγων· καὶ 'τίς ἐπίστευσεν τῇ ἀκοῇ 'ἡμῶν;' ὥστε μὴ γενώμεθα ἄπιστοι, μήποτε ἐφ' ἡμῖν τελεσθῇ τὸ εἰρημένον. Πιστεύσωμεν οὖν, μακάριοι ἀδελφοί, κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν Ἀποστόλων, ὅτι Θεὸς Λόγος ἀπ' οὐρανῶν κατῆλθεν εἰς τὴν ἁγίαν παρθένον Μαρίαν, ἵνα σαρκωθεὶς ἐξ αὐτῆς, λαβὼν δὲ καὶ ψυχὴν τὴν ἀνθρωπίνην, λογικὴν δὲ λέγω, γεγονὼς πάντα ὅσα ἐστὶν ἄνθρωπος, ἐκτὸς ἁμαρτίας, σώσῃ τὸν πεπτωκότα, καὶ ἀφθαρσίαν ἀνθρώποις παράσχῃ τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Ἐν πᾶσιν οὖν ἀποδέδεικται ἡμῖν τῆς ἀληθείας λόγος, ὅτι εἷς ἐστιν ὁ Πατὴρ, οὗ [fors. ᾧ] πάρεστι

tum ac praefinitum, quum illud revelaturus est. [a]Sic enim ait: *Ex utero ante Luciferum genui te.*

XVII. Sufficiunt haec testimonia fidelibus veritatis studiosis, infideles enim nulli credunt. Etenim Spiritus Sanctus ut terreret, in persona Apostolorum testatus est: [b]*Domine, quis credidit auditui nostro?* Quamobrem ne simus infideles, ne quando in nobis, quod dictum est, impleatur. Credamus igitur, fratres, secundum traditionem Apostolorum, quod Deus Verbum e coelis descendit in sanctam Virginem Mariam, ut ex ea incarnatus, sumpta anima humana, rationis inquam participe, factus omnia quaecunque homo est, excepto peccato, salvaret Adam qui ceciderat, et immortalitatem hominibus largiretur iis, qui crederent in nomine ejus. In omnibus igitur demonstratum est nobis verbum veritatis, quod unus est Pater, cujus adest Verbum, per quod omnia fecit, quod

[a] Psal. cx. 3. [b] Esai. liii. 1. Joh. xii. 38. Rom. x. 16.

Λόγος, δι' οὗ τὰ πάντα ἐποίησεν· ὃν ὑστέροις καιροῖς, καθὼς εἴπαμεν ἀνωτέρω, ἀπέστειλεν ὁ Πατὴρ πρὸς σωτηρίαν ἀνθρώπων. Οὗτος διὰ Νόμου καὶ Προφητῶν ἐκηρύχθη παρεσόμενος εἰς τὸν κόσμον. Καθ' ὃν οὖν τρόπον ἐκηρύχθη, κατὰ τοῦτον καὶ παρὼν ἐφανέρωσεν ἑαυτὸν ἐκ παρθένου καὶ ἁγίου Πνεύματος, καινὸς ἄνθρωπος γενόμενος, τὸ μὲν οὐράνιον ἔχων τὸ πατρῷον ὡς Λόγος, τὸ δὲ ἐπίγειον ὡς ἐκ παλαιοῦ Ἀδὰμ διὰ παρθένου σαρκούμενος. Οὗτος προελθὼν εἰς κόσμον Θεὸς ἐν σώματι ἐφανερώθη, ἄνθρωπος τέλειος προελθών· οὐ γὰρ κατὰ φαντασίαν ἢ τροπὴν, ἀλλ' ἀληθῶς γενόμενος ἄνθρωπος.

ιη'. Οὕτως οὖν καὶ τὰ ἀνθρώπινα ἑαυτοῦ οὐκ ἀπαναίνεται ἐνδεικνύμενος Θεὸς ὢν, ὅτε πεινᾷ καὶ κοπιᾷ, καὶ κάμνων διψᾷ, καὶ δειλιῶν φεύγει, καὶ προσευχόμενος λυπεῖται, καὶ ἐπὶ προσκεφάλαιον καθεύδει ὁ ἄϋπνον ἔχων τὴν φύσιν ὡς Θεὸς, καὶ ποτηρίου πάθος παραιτεῖται ὁ διὰ τοῦτο παραγεγονὼς ἐν κόσμῳ,

posterioribus temporibus, sicut superius diximus, misit Pater ad salutem hominum. Hoc per Legem et Prophetas praedicatum est venturum esse in mundum. Sicut ergo praedicatum est, sic praesens se ipsum manifestum fecit ex Virgine et Spiritu Sancto novus homo factus, habens coeleste quod paternum erat, tanquam Verbum; terrenum vero, tanquam ex vetere Adam per Virginem incarnatus. Sic in mundum egressus Deus corporatus apparuit, egressus perfectus homo. Non enim per fictionem, aut mutationem, sed vere factus est homo.

XVIII. Sic igitur humana sua non recusat qui demonstrabatur esse Deus, quum esurit[a] et laborat[b], et defatigatus sitit[c]; quum formidans fugit[d]; et super pulvinum dormit[e], qui naturam habet insomnem ut Deus: quum calicem passionis refugit[f], qui propter hoc in

[a] Matth. iv. 3. [b] Ibid. xxvi. 37. [c] Joh. xix. 28. [d] Ibid. iv. 3. [e] Matth. viii. 24. [f] Ibid. xxvi. 39. Marc. xiv. 36. Luc. xxii. 42.

καὶ ἀγωνιῶν ἱδροῖ, καὶ ὑπ' Ἀγγέλου ἐνδυναμοῦται ὁ ἐνδυναμῶν τοὺς εἰς αὐτὸν πιστεύοντας, καὶ θανάτου καταφρονεῖν ἔργῳ διδάξας· καὶ ὑπὸ Ἰούδα παραδίδοται ὁ γινώσκων τὸν Ἰούδαν τίς ἐστιν· καὶ ἀτιμάζεται ὑπὸ Καιάφα, ὁ πρότερον ὑπ' αὐτοῦ ἱερατευόμενος [fors. ἱερατευομένου τιμώμενος] ὡς Θεός· καὶ ὑπὸ Ἡρώδου ἐξουθενεῖται ὁ μέλλων κρῖναι πᾶσαν τὴν γῆν· καὶ μαστίζεται ὑπὸ Πιλάτου ὁ τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἀναδεξάμενος· καὶ ὑπὸ στρατιωτῶν παίζεται, ᾧ παρεστήκουσι χίλιαι χιλιάδες καὶ μυρίαι μυριάδες Ἀγγέλων καὶ Ἀρχαγγέλων· καὶ ὑπὸ Ἰουδαίων ξύλῳ προσπήγνυται, ὁ πήξας ὡς καμάραν τὸν οὐρανόν· καὶ πρὸς Πατέρα βοῶν παρατίθεται τὸ πνεῦμα, ὁ ἀχώριστος τοῦ Πατρός· καὶ κλίνων κεφαλὴν ἐκπνεῖ, ὁ εἴπας, 'Ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι τὴν ψυχήν μου, καὶ ἐξουσίαν ἔχω πάλιν λαβεῖν αὐτήν.' Ὅτι δὲ οὐκ ἐκυριεύετο ὑπὸ θανάτου, ὡς [fors. ὢν]

mundum advenerat[a]: quum in anxietate sudat[b], et ab Angelo roboratur, qui eos qui in eum credunt, roborat; et opere docuit mortem contemnere: quum a Juda proditur[c], qui cognoscebat Judam quis esset[d]; et a Caipha inhonoratur[e], qui erat ab eo sacerdotio fungente, paulo ante tanquam Deus honoratus: quum ab Herode spernitur[f], qui totam terram judicaturus est[g]; et verberatur a Pilato[h] is, qui infirmitates nostras suscepit[i]: et a militibus illuditur[k] is, cui adstant millia millium[l] et decies centena millia angelorum et archangelorum: et in Judaeis in ligno figitur[m], qui tanquam cameram coelum fixit[n]: et clamans ad Patrem spiritum commendat[o], qui est a Patre inseparabilis[p]: et inclinato capite exspirat[q], qui dixit; *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam*[r]. Quod autem non dominabatur

[a] Joh. xii. 27. xviii. 11. [b] Luc. xxii. 44. [c] Matth. xxvi. 15.
[d] Id. vers. 25. [e] Id. 65. seq. [f] Luc. xxiii. 11. [g] Actor. xvii. 31.
[h] Matth. xxvii. 26. Joh. xix. 1. [i] Esai. liii. 4. [k] Matth. xxvi. 67.
[l] Daniel. vii. 10. [m] Matth. xxvii. 35. [n] Esai. xl. 22. [o] Luc. xxiii. 46.
[p] Joh. xiv. 11. [q] Ibid. xix. 30. [r] Ibid. x. 18.

ζωὴ εἶπεν· ‘Ἐγὼ ἀπ᾽ ἐμαυτοῦ τίθημι αὐτήν·’ καὶ πλευρὰν λόγχῃ νύσσεται, ὁ τὴν ζωὴν πᾶσαν χαριζόμενος· καὶ σίνδονι ἐλισσόμενος ἐν μνημείῳ τίθεται, ὁ τοὺς νεκροὺς ἐγείρων· καὶ τριήμερος ὑπὸ Πατρὸς ἀνίσταται, αὐτὸς ὢν ἡ ἀνάστασις καὶ ἡ ζωή. Ταῦτα γὰρ πάντα ἡμῖν κατώρθωσεν, ὁ δι᾽ ἡμᾶς γέγονεν καθ᾽ ἡμᾶς. Αὐτὸς γὰρ τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἀνεδέξατο ‘καὶ τὰς νόσους ἐβάστασεν, καὶ περὶ ἡμῶν ὠδυνᾶτο,’ καθὼς εἶπεν Ἡσαΐας ὁ Προφήτης. Ὁ ὑπ᾽ Ἀγγέλων ὑμνούμενος καὶ ὑπὸ ποιμένων θεωρούμενος, καὶ ὑπὸ Συμεῶνος προσδοκώμενος, καὶ ὑπὸ Ἄννα μαρτυρούμενος· οὗτος ἦν ὁ ζητούμενος ὑπὸ μάγων, καὶ σημαινόμενος ὑπ᾽ ἀστέρος· ὁ καὶ ἐν οἴκῳ Πατρὸς πολιτευόμενος, καὶ ὑπὸ Ἰωάννου δακτυλοδεικτούμενος· ὁ ὑπὸ Πατρὸς ἄνωθεν μαρτυρούμενος· ‘Οὗτός ‘ἐστιν ὁ Υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἀκούετε αὐτοῦ.’ Οὗτος στεφανοῦται κατὰ διαβόλου. Οὗτός ἐστιν Ἰησοῦς ὁ

ei mors qui vita erat, significat, quum dixit[a]; *Ego a me ipso pono eam.* Et latus lancea aperitur ei[b], qui vitam omnibus[c] largitur; et linteo involutus, in monumento ponitur[d], qui mortuos suscitat; et tertia die a Patre excitatur[e] qui est ipse resurrectio et vita[f]. Haec enim omnia nobis operatus est, qui propter nos factus est sicut nos. *Ipse enim infirmitates nostras suscepit, et languores nostros portavit; et pro nobis dolet,* sicut dixit Esaias Propheta[g]. Ab Angelis laudatus[h], a pastoribus visus[i], a Symeone expectatus[k], ab Anna testatus[l], a magis quaesitus[m], ab stella significatus[n], in domo Patris versatus[o], a Joanne digito ostensus[p], cui Pater superne testimonium dedit[q], dicens: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* Hic coronatur[r] contra Diabolum. Hic est Jesus Naza-

[a] Joh. x. 18. [b] Joh. xix. 34. [c] Joh. xi. 25. xiv. 6. [d] Joh. xix. 40. [e] Actor. x. 40. [f] Joh. xi. 25. [g] Esaiæ liii. 4. [h] Luc. ii. 13. [i] Luc. ii. 16. [k] Luc. ii. 25. [l] Id. vers. 36. [m] Matth. ii. 2. [n] Id. vers. 9. [o] Luc. ii. 49. [p] Joh. i. 29. et 15. [q] Matth. xvii. 5. [r] Matth. xxvii. 29.

Ναζαραῖος, ὁ ἐν Κανᾷ ἐν γάμοις κληθεὶς, καὶ τὸ ὕδωρ εἰς οἶνον μεταβαλὼν, καὶ θαλάσσῃ ὑπὸ βίας ἀνέμων κινουμένῃ ἐπιτιμῶν, καὶ ἐπὶ θαλάσσης περιπατῶν ὡς ἐπὶ ξηρᾶς γῆς, καὶ τυφλὸν ἐκ γενετῆς ὁρᾷν ποιῶν, καὶ νεκρὸν Λάζαρον τετραήμερον ἀνιστῶν, καὶ ποικίλας δυνάμεις ἀποτελῶν, καὶ ἁμαρτίας ἀφεὶς, καὶ ἐξουσίαν διδοὺς μαθηταῖς, καὶ αἷμα καὶ ὕδωρ ἐξ ἁγίας πλευρᾶς ῥεύσας, λόγχῃ νυγείς. Τούτου χάριν ἥλιος σκοτίζεται, ἡμέρα οὐ φωτίζεται, ῥήγνυνται πέτραι, σχίζεται καταπέτασμα, τὰ θεμέλια γῆς σείεται, ἀνοίγονται τάφοι καὶ ἐγείρονται νεκροὶ, καὶ ἄρχοντες καταισχύνονται, τὸν γὰρ [fors. τόν γε] κοσμήτορα τοῦ παντὸς ἐπὶ σταυροῦ βλέποντες καμμύσαντα τὸν ὀφθαλμὸν καὶ παραδώσαντα τὸ πνεῦμα· ἰδοῦσα ἡ κτίσις ἐταράσσετο, καὶ τὴν αὐτοῦ ὑπερβάλλουσαν δόξαν χωρῆσαι οὐ δυναμένη ἐσκοτίζετο. Οὗτος ἐμφυσῶν δίδωσι τὸ Πνεῦμα μαθηταῖς, καὶ θυρῶν κεκλεισμένων

raeus, qui in Cana Galilaeae ad nuptias vocatus, aquam in vinum mutavit[a]; et mare vi ventorum agitatum increpavit[b]; et super mare tanquam super terram siccam ambulavit[c]; caecum a nativitate videre fecit[d]; Lazarum jam quatriduo mortuum excitavit[e]; varia miracula edidit; peccata remisit[f]; dedit Apostolis potestatem[g]; lancea ictus sanguinem et aquam[h] ex latere fudit. Propter hunc sol obtenebrescit[i], dies non illuminatur, rumpuntur petrae[k], scinditur velum[l], fundamenta terrae quatiuntur[m], aperiuntur sepulchra, et resurgunt mortui; et principes pudore afficiuntur[n] quum vident in cruce eum qui universum ornavit, claudentem oculos, et tradentem spiritum. Haec quum creatura videret, turbatur, et quum gloriam illius capere non posset[o], tenebras sibi obducebat. Hic insufflans dat discipulis Spiritum[p] et januis clausis

[a] Joh. ii. 9. [b] Matth. viii. 26. [c] Matth. xiv. 25. [d] Joh. ix. 7. [e] Joh. xi. 44. xii. 17. [f] Matth. ix. 2. 6. [g] Matth. xvi. 19. xviii. 18. Joh. xx. 22. [h] Joh. xix. 34. [i] Matth. xxvii. 45. [k] Id. vers. 51. [l] Idem. [m] Id. vers. 52. [n] Idem, vers. 54. [o] Matth. xxvii. 45. [p] Joh. xx. 22.

εἰσέρχεται, καὶ βλεπόντων μαθητῶν ὑπὸ νεφέλης ἀναλαμβάνεται εἰς οὐρανούς, καὶ ἐκ δεξιῶν Πατρὸς καθίζεται, καὶ ζώντων καὶ νεκρῶν παραγίνεται κριτής. Οὗτος ὁ Θεὸς, ὁ ἄνθρωπος δι' ἡμᾶς γεγονὼς, ᾧ πάντα ὑπέταξεν Πατήρ. Αὐτῷ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος ἅμα Πατρὶ καὶ ἁγίῳ Πνεύματι, ἐν τῇ ἁγίᾳ Ἐκκλησίᾳ καὶ νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ingreditur[a]. Hic videntibus Apostolis a nube in coelum susceptus est[b], sedetque ad dexteram Patris, venturus judex vivorum et mortuorum[c]. Hic Deus et homo propter nos factus, cui omnia subjecit Pater[d]: ipsi gloria et imperium cum Patre et Sancto Spiritu, in sancta Ecclesia, et nunc, et in saecula saeculorum. Amen[e].

[a] Joh. xx. 19. [b] Actor. i. 9. [c] Actor. x. 42. 2 Tim. iv. 1.
[d] 1 Cor. xv. 27. [e] Ephes. iii. ult.

IN

S. HIPPOLYTI

CONTRA NOËTUM OPUS ANNOTATIONES.

HOC insigne *ἀποσπασμάτιον* ex Latina Francisci Torrensis sive Turriani versione vulgavit Gerhardus Vossius Tungrensis ad calcem Operum Gregorii Thaumaturgi, Moguntiae A°. MDCIV. 4. Graeca nunc primum profero in lucem beneficio ejusdem, a quo superiorem *ἀπόδειξιν* [haec est S. Hippolyti Ἀποδεικτικὴ *πρὸς* Ἰουδαίους, *Demonstratio adversus Judaeos,*] accepi, viri eruditione ac meritis in literas et insigni virtute venerandi, domini. BERNARDI DE MONTFAUCON, qui illa ex Codice Vaticano descripta ad me misit. Notis Turriani, quas nomen ejus distinguet, meas adspersi. Titulus erat in Turriani edit. *Homilia de Deo trino et uno, et de mysterio Incarnationis contra haeresin Noëti.* In MS. Vaticano etiam Ὁμιλία Ἱππολύτου *εἰς τὴν αἵρεσιν* Νοήτου *τινός.* Sed quum Photius testetur opus Hippolyti adversus haereses in oppugnatione haerescos Noëti desiisse, atque initium hujus scripti manifeste prodat alia processisse, in quibus de aliis dogmatibus, aliorum ut videtur haereticorum disseruit, eaque oppugnavit, habeo illud pro extrema parte libri Hippolytei adversus Haereses, sive *Memoria Haeresium,* ut S. Gelasius appellat, quaedam ex hoc *ἀποσπασματίῳ* referens ad verbum, ut, ad caput 18, annotavi. Neque obstat quod fideles quandoque auctor alloquitur, ut in homiliis fieri solet; nam hoc etiam in scriptis facere veteres, et ad lectores respicere, tralatitium. JO. ALBERT FABRICIUS. Attulerat vir doctissimus in vol. priore Operum S. Hippolyti, Hamburgi anno 1716 typis excuso, p. 225, ex Gelasio Episcopo Romano de Duabus Naturis in Christo, quaedam cum Hippolyti illis infra, cap. 18, fere convenientia, sed, ut ibi ostendi, ex alio Hippolyti libro desumpta. Verum S. Epiphanius adversus Haereses, in Haeresi lvii, haud pauca eorum, quae hic sequuntur, nullo auctore nominato sua fecit. Ceterum mentionem facit Gallandius, qui in Bibliotheca sua Patrum

Hippolyteum hoc opus cum Fabricii notis repetendum curavit, alius praeterea Codicis Graeci, quem detexisse ait Guilielmum Cardinalem Sirletum in S. Basilii monasterio, ejusque meminisse in Epistola Liturgiae S. Marci Evangelistae praemissa. Vid. Prolegg. Gallandii ad tom. II. p. xlviii. Mortuum denique esse cl. Cavium, antequam haec Hippolyti a Fabricio Graece edita e scriptis fuerint, propterea notabo, quod in Historia sua Literaria de iisdem reliquiis tunc tantum a Turriano Latine versis vir praestantissimus minus recte statuit.

P. 49. l. 10. *τὸ μὲν γένος, ἦν Σμυρναῖος*] Smyrnaeum Noëtum fuisse ait etiam Theodoretus, lib. III. Haeret. Fab. cap. 3, et Damascenus, sect. 57, qui solet Epiphanium sequi; et tamen apud Epiphanium, Haeresi 57, legas Noëtum fuisse *Ἀσιανὸν τῆς Ἐφέσου πόλεως*. FABR. Olim notavi ad Reliquiar. Sacr. IV. 246, ubi primum hoc caput opusculi Hippolytei usque ad vocem *συστῆσαι* cum titulo Concilii contra Noëtum collocavi, posse eum, qui ortu Smyrnaeus fuerit, Ephesi sedem postea fixisse suam.

Ibid. *οὐ πρὸ πολλοῦ χρόνου γενομένος*] Praepositionem *πρὸ* uncis inclusit Fabricius, perinde ac si ab apographo Montfauconiano idem abesset, quod quidem contra invenit in codice suo Turrianus Latinus interpres.

Ibid. *οὐ πρὸ πολλοῦ χρόνου γενόμενος*] Epiphanius ait, [Haeresi lvii, num. 1, ubi nonnulla horum, ut dixi, afferuntur] Noëtum prodidisse haeresin suam ante annos circiter CXXX. *οὐ πρὸ ἐτῶν πλειόνων, ἀλλ' ὡς πρὸ χρόνου τῶν τούτων ἑκατὸν τριάκοντα, πλείω ἢ ἐλάσσω*. Scripsit Epiphanius anno Christi CCCLXXV. His si centum ac triginta demas, manet annus CCXLV. Mox idem testatur Noëtum, *ἔναγχος paulo post*, una cum fratre mortuum esse. FABRIC. Vox ista *ἔναγχος nuper*, ut ad Reliquiar. Sacr. locum modo dictum ostendi, quae exstat apud Epiphanium, indicat illum narratiunculam suam ex vetustiore aliquo auctore *κατὰ λέξιν* more suo desumpsisse.

Ibid. l. 12. *ἐπαχθείς*] *Ἐπαρθεὶς*, ut olim monui, reponendum est ex Turriani interpretatione, quae habet, *alieni spiritus existimatione* elatus.

Ibid. l. 17. *ὁ ἔλεγχος αὐτῶν*] Discipulorum Noëti.

P. 50. l. 1. *ἔκβλητος γεγένηται κλήρου ἁγίου.*] A Christianorum coetu, non ordine sacro, ejectus; nam infra habes, *τότε τοῦτον ἐλέγξαντες ἐξέωσαν τῆς Ἐκκλησίας*. Mendose exstat apud Fabricium *γένηται* pro *γεγένηται*.

Ibid. l. 3. *Ἀαρών*] Ita et Epiphanius, et Damascenus. Sed Philastrius, Haeresi 53, ' Noëtiani insensati [*ἀνόητοι*]

'cujusdam nomine Noëti — hic etiam dicebat se Mosen 'esse, et fratrem suum Heliam prophetam.' FABRIC. Conjecturam jam olim ad Reliquias Sacras feci, [IV. 247,] Noëtum et fratrem solitos esse aliquid hujusmodi praedicare, super sese ex coelo descendisse *πνεῦμα καὶ δύναμιν* Mosis atque Aaron fratris; ut propterea plane iidem atque divini illi homines recte censeri possent.

P. 50. l. 4. *οἱ μακάριοι πρεσβύτεροι*] Fortasse hi fuerunt Episcopi cum Presbyteris juncti; etenim ego ostendi, annotans ad locum, [Reliq. Sacr. IV. 247,] Presbyterorum nomine interdum appellatos fuisse Episcopos ab auctoribus saeculo existente secundo, qui tamen ipsi inter Episcopos ac Presbyteros alibi aperte distinguere solent.

Ibid. l. 7. *συνπλανωμένους*] Tantum decem fuisse Epiphanius annotavit. FABRIC.

Ibid. l. 8. *καθαρὸν ὕστερον ἱστᾷ τὸ δόγμα ἐβούλετο*] Quum vice horum substituerit Epiphanius *παῤῥησίᾳ λοιπὸν τὴν αἵρεσιν ἐδογμάτιζε*, verteritque locum Hippolyti Turrianus, *volebat* aperte *dogma suum defendere*, opinabar legi oportere *καὶ θαῤῥῶν* pro voce *καθαρὸν* in Fabricii seu Montfauconii apographo reperta. Vett. Glossae habent *Θαῤῥῶν*, *confidens*.

Ibid. l. 11. *Τί οὖν κακὸν* &c.] Apud Epiphanium, qui ad verbum propemodum eadem de Presbyteris ex Hippolyto, licet haud nominato, refert: *Τί γὰρ κακὸν πεποίηκα; ἕνα Θεὸν δοξάζω, ἕνα ἐπίσταμαι, καὶ οὐκ ἄλλον πλὴν αὐτοῦ, γεννηθέντα, ἀποθανόντα.* p. 480. FABRIC.

Ibid. l. 14. *τὸν Υἱὸν παθόντα*] Quae sequuntur, sunt ipsa verba Symboli, quale exstat apud Irenaeum, lib. I, c. 2, seq. lib. III, cap. 4. Tertullianum contra Praxeam c. 2, et de Praescript. c. 13, et de Virginibus Velandis c. 1, &c. FABR.

Ibid. l. 18. *ἐξέωσαν τῆς Ἐκκλησίας*] Noëtum damnatum a Tranquillo, Episcopo Chalcedoniorum Syriae, scribit auctor Praedestinati, c. 36. Quod autem in Synodico libello quem edidit theologus celebratissimus Argentoratensis, Joannes Pappus, capite XX, leges in Synodo Romana damnatum Noëtum a papa Victore, temporum ratio non patitur. Sed sunt quaedam et alia in illo Synodico parum accurate tradita, licet scriptum ipsum alioqui est neutiquam contemnendum. FABRIC.

P. 51. l. 1. *Οἱ καὶ δεῖξαι βούλονται*] Correxi *οἳ* pro *οἱ*: hi autem sunt Noëti discipuli, qui initio commemorantur.

Ibid. l. 5. *μετ' ἐμὲ*] Habent Biblia edita *πλὴν ἐμοῦ*, nulla ibi notata varietate lectionis.

P. 51. l. 6. *οἱ ἀποκρίνονται*] Legendum videtur *οἱ καὶ ἀποκρίνονται*, prout vertit Turrianus, *et respondent.*

Ibid. l. 8. *εἰ γάρ ἐστιν ὁ Θεὸς*] Vertit Turrianus, tanquam si invenisset, *εἴ γε ἐστὶν ὁ Θεὸς*, quod fortasse melius, et fortius distinguendum est post *Θεός*. Nam ex unitate divina probare volebant haeretici, Christum esse Patrem, quia Deus sit; deinde Patrem passum esse, quia Christus, qui Pater est, passus sit.

Ibid. l. 17. *Ὁρᾷς οὖν, φησὶν,*] Hic *φησὶν* et *φασὶν* per vices usurpantur, quemadmodum verba *inquit* et *inquiunt* apud Arnobium.

P. 52. l. 6. *σὺ γὰρ ἦς ὁ Θεὸς*] Fors. scribendum *εἶς* pro *ἦς*. In Bibliorum exemplis exstat *εἶ*.

Ibid. l. 9. *τούτου ἐμφανοῦς δεικνυμένου, τῶν οὕτως μαρτυρουμένων*] Locus corruptus esse videtur, et. post Interpretem, refingendus, *τούτου ἐμφανῶς δεικνυμένου, τούτων οὕτως μ.*

P. 53. l. 1. *μονόκωλα*] Μονόκωλα apparet adverbialiter poni pro *μονοκώλως* et *μονοτύπως*, quibus verbis Epiphanius, p. 481, Hippolyti vestigiis insistens, utitur: *Βούλονται δὲ διηγεῖσθαι μονοκώλως τοῦτον τὸν τρόπον ὡς Θεόδοτος*. Sensus est, Noëtianos ad unum tantummodo in explicandis S. Scripturae de Christo dictis veluti membrum respicere, divinam scilicet naturam, ita ut plane cum Patre et Spiritu S. eundem faciant Filium *ὑποστατικῶς*: uti vicissim Theodotus ad alterum recurrens extremum in sola haerebat humanitate, et Christum nudum esse hominem affirmabat. De Theodoto praeter alios meminit etiam Timotheus presbyter, a Cotelerio editus, III. 389. *Τοῦτον τὸν Θεόδοτόν φασιν τῆς τοῦ Σαμωσατέως αἱρέσεως ἀρχηγὸν καὶ πατέρα γενέσθαι, πρῶτον εἰπόντα τὸν Χριστὸν ψιλὸν ἄνθρωπον*. Denique observandum, quod *τῷ μονοκώλως*, infra cap. 4, opponitur *ὁλοκλήρως*. FABR.

Ibid. l. 2. *ἄνθρωπον συνιστᾷν ψιλὸν βουλόμενος*] Ita vertit Turrianus, ac si *τὸν Χριστὸν* ante *ἄνθρωπον* aut invenisset, aut certe legendum existimasset.

Ibid. l. 10. *ἄλλα ἂν καὶ Νόητος νοεῖ*] Fortasse scribendum, *ἀλλ' ἀνοήτως καὶ Νόητος νοεῖ*, ut fiat paronomasia in nomine Noëti, qua saepe usus est Epiphanius in Haeresi lvii, quae est Noëtianorum, Hippolytum secutus. Porro et paulo infra *τὴν ἀφροσύνην* Noëto ascribit Hippolytus fine cap. sequentis. Itidem ait in cap. 8, *Τί οὖν πρὸς ταῦτα τολμήσει Νόητος, μὴ νοῶν τὴν ἀληθείαν*;

Ibid l. 13. *ἀλλ' οὐ τὴν οἰκονομίαν ἀναιρήσει*] Frequens in

veterum scriptis, *οἰκονομίαν* ponere pro *Λόγου ἐνανθρωπήσει*, et Divinitati ejusdem opponere. Vide infra c. 14, et Jac. Billium c. 40 Sacrar. Observatt., Grabium ad Irenaeum, p. 419, Vulcanium ad Cyrillum contra Anthropomorphitas, p. 116, Dounaeum ad Chrysostomum, tom. VIII. p. 372, Suicerum in Thesauro, Jo. Philippum Pfeiferum et D. Eliam Veielium *τὸν μακαρίτην* in singularibus de Oeconomia dissertationibus, Casaubonum ad Epistolam Greg. Nysseni, p. 105, seq., seorsum ad Homilias Theophanis Ceramei, p. 459. Dicitur autem *κατ' οἰκονομίαν* geri aliquid, ubi aliud quid oculis se offert, aliud latet, ut pluribus exposuit Gatakerus ad M. Antonini lib. xi, 18, p. 331. FABRIC. Mea quidem sententia rectius dixeris, *οἰκονομίαν* hoc loco dispositionem illam esse monarchiae divinae, qua in salutis nostrae dispensatione Trinitas simul cum monarchia consistit. Vide Tertullian. contra Praxeam, capp. 3, 4, et alibi.

P. 53. l. 14. *διὰ ταῦτα*] Vel delendum cum Interprete est *διὰ*, vel potius *δύο ταῦτα* reponendum; sunt autem haec duo capita monarchia et oeconomia.

P. 54. l. 2. *διηγησόμεθα*] Hoc pro edito *διηγησώμεθα* Interpretem secutus reposui. Mox *πανουργεῖσθαι* pro *πανουργεύεσθαι* imprimendum curavi.

Ibid. l. 4. *σὺ γὰρ ἦς Θεὸς*] Corrigendum *εἷς*, ut supra p. 52. l. 6.

Ibid. l. 16. Hoc loco excidisse videbitur cuique mox sequentia conferenti *τῶν* LXX. illud, *μετὰ δικαιοσύνης*.

P. 55. l. 10. *καὶ τῷ μυστηρίῳ τῆς οἰκονομίας*] Confer quae mox sequuntur. Verum malim, *κατὰ τὸ μυστήριον τῆς οἰκονομίας*.

Ibid. l. 17. *τοῦ ἐγείραντος Χριστὸν Ἰησοῦν*] Jesu nomen hoc loco addunt Epistolae ad Rom. Codices quidam, veteresque scriptores, ut a Jo. Millio annotatum. FABRIC.

P. 56. l. 4. *ἐδείκνυεν μυστήριον οἰκονομίας*] Excidit articulus ante *μυστήριον*.

Ibid. l. 9. *ὄντως μυστήριον οἰκονομίας*] Legerim *ἐν τῷ μυστηρίῳ οἰκονομίας*.

P. 57. l. 5. *εἰς* [*ὃς*] *τὸ κοινὸν ὄνομα* &c.] His similia afferens Epiphanius in Haeresi lvii, num. 8, *ὡς*, non *εἰς*, habet, ubi *ὃς* reponendum esse recte monuit Petavius. Interea locum vertit, tanquam si invenisset *εἷς* Turrianus. Mox pro *τοῦτο* habet *οὕτως* Epiphanius.

Ibid. l. 11. *τούτῳ ὀνόματι—καλεῖσθαι*] Hoc est, nomine Filii hominis. Illud enim, *τοῦτο ἀπ' ἀρχῆς ὄντα*, a Turriano interprete haud inventum, huic loco importune adjectum est.

P. 58. l. 9. *Ὁρῶν τὸν Θεὸν*] Ita expositum esse a multis nomen *Israel*, ostendit Fabricius.

Ibid. l. 10. *ὁ Παῖς*] Filius, ut infra capp. 7, et 11. FABR.

Ibid. l. 16. *ὃς ἐπὶ γῆς ὤφθη*] Conferas cap. 13.

P. 59. l. 1. *λαμπρῶς*] Exstante quidem in Graecis *λαμπρὸν*, sed legente, ut notat Fabricius, Interprete Latino *λαμπρῶς*, hoc reposui.

Ibid. l. 7. *Ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ*] Refert lectorem suum Fabricius ad Apoc. i. 8. Atque ibi restituit lectionem *Κύριος ὁ Θεὸς*, pro solo *ὁ Κύριος* Greisbachius; satisque nobis probabitur his verbis significari Christum, prout hic monet Hippolytus, si conferimus comm. 13 hujus capitis Apocalypsis cum comm. 17, aliisque duobus ejusdem libri locis, scil. xxi. 6, et xxii. 12, 13.

Ibid. l. 9. *καὶ αὐτῷ*] Legendum *καὶ αὐτός*.

Ibid. l. 12. *καὶ πάντων κρατεῖ*] Fortasse legendum, *καὶ εἰ πάντων κρατεῖ*.

P. 60. l. 4. *Τότε καὶ αὐτὸς ὑποταγήσεται*] Abest *ὁ Υἱὸς*, quod Biblia habent, itidem a Vulgata Interp. et aliis praeter Hippolytum Ecclesiae Patribus.

P. 61. l. 2. *ἐπισταvέτω*] Corrige *ἐπίσταιτο*.

Ibid. l. 5. *ἀλλ' ἐπὶ δύο πρόσωπα*] Reponendum videtur *ἐπεὶ*, prout vertit Turrianus interpres.

Ibid. l. 6. *Αὐτὸς δὲ αὐτὸ ἀπέλυσεν*] Corrigendum videtur *ἐπέλυσεν*, ut infra quoque *ἐπιλύει* pro *ἀπολύει*.

Ibid. l. 12. *ἐστιν*] Vel delendum hoc verbum, vel potius in *ἐσμὲν* vertendum.

Ibid. l. 13. *δυνάμει, διαθέσει*] Legendum *δυνάμει καὶ διαθέσει*, ut supra positum est, *τῇ δυνάμει καὶ διαθέσει τῆς ὁμοφρονίας ἓν γινόμεθα*. Ceterum Filium quidem Dei existere de Patris substantia, sive *τῇ οὐσίᾳ*, minime negabat Hippolytus, is qui Filium hoc loco statuit *νοῦν* Patris esse, tum et infra *τὸν ἴδιον νοῦν* Dei eundem appellat. Immo, ineunte sect. xi, lumen ex lumine eum esse affirmat, atque idcirco non existere duos Deos. In eo autem totus occupatur vir sanctus, ut *confusio personarum*, quomodo Ecclesia Latina loquitur, evitetur; quippe quum Graeci vocem *οὐσίαν* non tantum pro *substantia* sed etiam pro *persona subsistente* haud raro usurparent. Quinetiam Filii aeternam subsistentiam loco modo memorato docet Hippolytus. *Τὸν ἴδιον νοῦν*, inquit, *αὐτῷ μόνῳ πρότερον ὁρατὸν ὑπάρχοντα, τῷ δὲ γινομένῳ κόσμῳ ἀόρατον ὄντα ὁρατὸν ποιεῖ, ὅπως διὰ τοῦ φανῆναι ἰδὼν ὁ κόσμος σωθῆναι δυνηθῇ*. cap. 10. Ipse quoque Christus apud S. Joannem ait. se gloriam habuisse apud

Patrem, priusquam mundus exstitisset, xvii. 5; dum Filio Dei haud ascribendum esse *initium dierum*, significat S. Paulus in Epistola ad Hebraeos vii. 3.

P. 61. l. 17. Εἷς γὰρ νοῦς] Melius foret ἔστι quam εἷς.

Ibid. l. 19. οὕτω πιστεύομεν] Legere τούτῳ pro οὕτω propter voces sequentes malim. Vid. et fin. sect. xii.

P. 62. l. 1. ἐπερωτᾷν περὶ Πατρὸς] Postulare videtur loci sensus, ut ἐπερωτῶντα hic scribatur, quemadmodum vertit Interpres.

P. 63. l. 5. ἀπολύει] Videtur ἐπιλύει scribendum, et mox σημαίνοντα pro σημαίνονται.

Ibid. l. 13. οὕτως τρία] Legebat ὄντως, *vere*, quod melius est, Interpres.

Ibid. l. 17. τριχῆς] Corrigend. τριχῇ, vel potius, τριχῶς.

P. 64. l. 3. ὡς θέλει] Legendum cum Interprete, propter id quod sequitur, ἃ θέλει.

P. 66. l. 3. προτέραν φωνὴν φθεγγόμενος] Tunc emisit Pater priorem vocem, quum dixit: *Hic est Filius meus dilectus*, Matth. iii. Ita Turrianus. Sed Hippolyti sententia non alia quam Tertulliani, cap. 13 de Praescript. docentis 'Patrem omnia condidisse per Verbum suum primo 'omnium emissum. Id Verbum Filium ejus appellatum, in 'nomine Dei varie visum a Patriarchis, in Prophetis sem- 'per auditum, postremo delatum ex Spiritu Patris Dei et 'virtute in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, et 'ex ea natum egisse Jesum Christum.' Et contra Praxeam, c. 6. 'Ut primum Deus voluit ea quae cum Sophiae ratione 'et sermone disposuerat intra se et substantias et species suas 'edere, ipsum primum protulit sermonem, habentem in se 'individuas suas rationes et Sophiam, ut per ipsum fierent 'universa, per quem erant cogitata atque disposita, immo et 'facta jam, quantum in Dei sensu.' Gregorius M. lib. xxxii. Moral. in Jobum c. 6. 'Filius ipse vox, quia eum Pater gig- 'nendo dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*' Quod vero Hippolytus addit, Verbum ex inspectabili factum esse aspectabile, ad oeconomiam pertinet, nam, ut Phoebadius libro contra Arianos c. 34, 'nec Filium usquam invenimus 'sine transfiguratione fuisse visibilem, antequam Patri obe- 'diens fieret ex aeternitate corporeus.' FABRIC. Fortasse scripsit Phoebadius *incorporeus*. Hoc quidem statuere videtur Hippolytus, τὸν Λόγον, qui cum Patre semper exsti- terat, quum mundus conderetur, generatum, sive prolatum fuisse; quumque in carne appareret, visibilem tunc factum

esse, ut ostenso atque viso eo mundus servaretur. Atque ita revera docuisse Hippolytum, firmant ea, quae sequuntur capite 12.

P. 66. l. 4. *φῶς ἐκ φωτὸς γεννῶν*] Sic locuti ante Patres Nicaenos, praeter Hippolytum nostrum, sunt Justinus Martyr, Tatianus, et Athenagoras, ut notatum, doctissimo Grabio ad Irenaeum lib. II. c. 23. FABR. Loqui hoc quidem loco Hippolytus videtur, de generato iis temporibus Logo Divino, quando mundus conditus, ac postea servatus est, quum prius Patri soli Logos visibilis fuisset.

Ibid. l. 5. *τὸν ἴδιον νοῦν*] Filius *νοῦς, σοφία* Patris, et infra, c. xiii, voluntas. FABR.

Ibid. l. 9. *ἕτερος*] Justino Martyri quando Filius *ἕτερόν τι* a Patre esse dicitur, et Tertulliano quando *Filium et Patrem esse aliud ab alio* affirmat, eadem quae Hippolyto mens, ut personarum distinctionem ostendant, non ut *ὁμοούσιον* inficientur. FABR.

Ibid. l. 12. *ἐξ οὗ δύναμις Λόγος*] Sic idem Tertullianus, cap. 9 adversus Praxeam Noëti anteambulonem: 'Pater 'tota substantia est, Filius vero derivatio totius et portio." Et c. 2, 'quasi non sic quoque unus sit omnia, dum ex 'uno omnia, per substantiae scilicet unitatem.' Et lib. III adversus Marcion. c. 6, 'Concedas necesse est eos qui Pa- 'trem non agnoverint, nec Filium agnoscere potuisse, per 'ejusdem substantiae conditionem, cujus si plenitudo intel- 'lecta non est, multo magis portio; certe qua plenitudinis 'consors.' FABR.

Ibid. l. 14. *Παῖς Θεοῦ*] *Ὁ Παῖς τοῦ Θεοῦ, Dei Filius*, ut supra, capp. v et vii. FABR.

P. 67. l. 2. *φλυαρίαν*] Valentini Aeonas tangit, et Marcionis Deum Demiurgum a Deo bono ac summo diversum, et Cerinthi angelicas potestates mundi opifices. FABR.

Ibid. l. 5. *ἕνα Θεὸν λέγειν*] Fors. legendum, vel *ὡς ἕνα Θεὸν λέγειν*, vel *ἕνα Θεὸν λέγοντες*.

P. 68. l. 6. *οὐδὲ ἕν.*] Post *οὐδὲ ἕν* in verbis Johannis *στιγμὴν*, praeter Hippolytum, faciunt Irenaeus, Clemens Alex., Origenes, Theophilus Antiochenus et Eusebius pluribus locis, atque e Latinis Tertullianus ac Lactantius, Victorinus, Augustinus et longe post Honorius Augustodunensis, lib. I. de Imagine Mundi, c. 2. Quoniam vero eadem interpunctio placuit etiam haereticis Valentino, Heracleoni, Theodoto, et Macedonianis, Eunomianisque, hinc ab Epiphanio, tom. II. p. 80, et a Chrysostomo rejicitur. FABR. Porro Fabricius, in nota ad Philastrium de Haeresibus

cap. 67, qui quidem Philastrius facit cum novae sententiae a verbis *quod factum est* inceptoribus, nos monuit, non fas esse cum Epiphanio in Ancorato, tom. II. p. 80, illam interpunctionem velut haereticam et Spiritui Sancto iniquam arguere, quum a tot veteribus adhibita fuerit. Idem factum est a S. Victorino in Fragmento operis de Fabrica Mundi apud Reliquias Sacr. vol. III. p. 459.

P. 68. l. 13. *Πνεύματι ἁγίῳ προσκυνοῦμεν*] Conferas locum S. Justini Martyris in Apologia Priore, p. 11; sed a Carolo Ashtono, viro eruditissimo, quum luxata esse viderentur ejus membra, egregie sanatum et restitutum.

P. 69. l. 5. *Ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν Λόγον αὐτοῦ* &c.] Ita quidem intellexisse hunc S. Scripturae locum Hippolytum vides, juxta ac si scripsisset S. Lucas, *Ὁ Λόγος, ὃν ἀπέστειλεν—ἐστι πάντων Κύριος*, Act. x. 36. Et diu, priusquam hujus antiqui Patris vidi interpretationem, in eandem sententiam verba scriptoris sacri accipienda esse ideo existimabam, quia talis expositio tam cum Apostoli Petri ibi loquentis argumento, quam cum structura orationis in aliis locis deprehensa, bene conveniret. Confer enim 1 Pet. ii. 7, Joan. iii. 34, v. 38, et Athanasii Orat. iv. contra Arianos, num. 30—32. At vero aliter me nunc sentire de interpretatione loci omnia diligentius considerantem, confiteor.

Ibid. l. 6. *οὗτός ἐστιν ὁ Θεὸς, ὁ πάντων Κύριος*] Scripsit S. Lucas, *οὗτός ἐστι πάντων Κύριος*. Reliqua verba Hippolyti sunt.

Ibid. l. 16. *δύο λέγειν Θεούς*;] Habet quidem Interpres, *Dicetne aliquis dicere Joannem duos Deos?* Sed reponere velim, *λέγεις* pro *λέγειν*. *Quid ergo? dicet aliquis, dicisne duos Deos?*

Ibid. l. 18. *οἰκονομίαν δὲ τρίτην*] Fortasse legendum, *οἰκονομίᾳ δὲ τρίτην, τὴν χάριν τοῦ Ἁγίου Πνεύματος*.

P. 70. l. 2. *Πατὴρ ἐντέλλεται*] Hoc *mandandi* et *praecipiendi* vocabulo de Patre, et *obediendi* de Filio sine ulla offensione usi sunt non modo ante Concilium Nicaenum S. Irenaeus, Hippolytus noster, Origenes et alii; sed et post illud Concilium adversarii et hostes Arianae haereseos acerrimi, Athanasius, Basilius, Marius Victor, Hilarius, Prosper, &c. Vide Petavium lib. II de Trinitate c. vii, §. 7. Georg. Bullum in Defensione Fidei Nicaenae p. 133, 165, 179, 170. FABR.

Ibid. l. 3. *Οἰκονομίᾳ συμφωνίας συνάγεται εἰς ἕνα Θεὸν*] Ita legit Interpres. Possis etiam legere *οἰκονομίας συμφωνία* [sic]. Certe in MS. meo apographo est *οἰκονομίας συμφωνίας*. FABR. Fortasse totus locus ita refingendus est: *δι'*

οὗ Πατὴρ πιστεύεται οἰκονομίᾳ συμφωνίας συνάγεσθαι εἰς ἕνα Θεόν· vel potius, δι' οὗ Πατὴρ πιστεύεται, καὶ οἰκονομίᾳ συμφωνίας συνάγεται εἰς ἕνα Θεὸν, quum particula καὶ in verbo πιστεύεται absorpta esset.

P. 70. l. 5. Ὁ γὰρ κελεύων Πατὴρ] An ὅ γε κελεύων Π.?

Ibid. l. 7. Ὁ ὢν [fors. οὖν] Πατὴρ ἐπὶ πάντων, ὁ δὲ Υἱὸς διὰ πάντων, &c.] Quum Paulus ait de Deo, ad Ephes. iv. 6, *Qui est super omnia, et per omnia, et in omnibus,* tres personas designat, et unitatem Dei in illis; quia unius ejusdemque virtutis ac potentiae est, esse super omnia, et per omnia, et in omnibus; et secundum ordinem confessionis sanctae Trinitatis, primum tribuit Patri, secundum Filio, tertium Spiritui Sancto, quia est tertia Persona secundum ordinem confessionis, ut antiqui theologi loquuntur, et nos loqui docuerunt. TURRIANUS.

Ibid. l. 11. οὐκ ηὐχαρίστησαν—ἠρνήσαντο] Ex decem leprosis non novem Judaei, sed unus tantum gratias Christo egit sanatus et in eum credens Samaritanus. Luc. xvii. 16. FABR. Hoc dicit propter Petrum, quem legimus in Evangelio negasse. TURRIAN.

P. 71. l. 6. ξένον μοι φέρεις, Λόγον λέγων Υἱόν] Hunc locum puto a Turriano minus bene expressum, atque Hippolytum potius in hanc sententiam scripsisse: *Novum mihi affers, quum Filium Verbum vocas,* sive *Verbi appellas nomine.* FABR.

Ibid. l. 7. ἀλλ' ἄλλως ἀλληγορεῖ] Verbum Dei non allegorice, sed proprie Filium Dei significat. Hoc ipsum beatus Cyrillus, lib. VII Thesauri cap. 1, contra Eunonium docuit, et per Scripturas probavit, esse Verbum proprium nomen Filii; id est, hanc vocem, Verbum, proprie et decenter, et non per abusionem aut allegoriam Filium Dei significare. TURRIAN. Quum ita veterit locum Turrianus, *sed aliter per allegoriam interpretatur. Immo non aliter per allegoriam interpretatur,* videtur ille aliquid praeter lectionem receptam in Codice suo invenisse. Fortasse vero olim scriptum erat, ἀλλ' ἀλληγορεῖ. Οὐκ ἀλληγορεῖ. Οὗτος γὰρ &c. sic enim potius legendum puto, non οὕτως.

Ibid. l. 19. ἐν συμβόλῳ] Hoc est in figura, qua utitur etiam Propheta Esaias lxiii. 2. FABR.

P. 72. l. 8. τὴν δόξαν ἐξέδειραν αὐτοῦ] Sic habebant LXX. in exemplari Hippolyti, δόξαν, non δορὰν, ut nunc in nostris. Convenit haec lectio cum Esai. liii. *Vidimus eum, et non erat species, neque decor.* TURRIAN. Nulla varietas ad vocem δορὰν notata est in edit. τῶν LXX. ab Holmesio et Parsons adornata.

P. 72. l. 12. *ἁμαρτίας*] Omittit verba *καὶ περὶ ἁμαρτίας*, quae et in uno Covelli Codice absunt, sed ab aliis Codicibus, quemadmodum et Versionibus antiquis Epistolae ad Romanos agnoscuntur. FABR. Addidit Covelli Codici alium Viennensem cl. Griesbachius.

Ibid. l. 18. *καὶ τὸ κοινὸν ὄνομα τῆς εἰς ἀνθρώπους φιλοστοργίας ἀναλαμβάνει*] Supra dixerat de Christo, *τὸ κοινὸν ὄνομα καὶ παρὰ ἀνθρώποις χωρητὸν ἀνελάμβανεν εἰς ἑαυτόν.* cap. 4. Sed scribendum hoc loco est, *τῇ εἰς ἀνθρώπους φιλοστοργίᾳ ἀ.*

P. 73. l. 1. *Οὔτε—τέλειος ἦν Υἱὸς*] Nihil deerat Filio Dei ad perfectionem generationis aeternae ex Patre, antequam fieret Filius hominis; sed ad perfectum mysterium oeconomiae deerat Christo Filio Dei, ut fieret Filius hominis, et sic esset perfectus Christus. Quum carne itaque factus est perfectus Christus, et perfectus sive completus Filius; Filius scilicet Dei et Filius hominis: quin hypostasis Christi, ut antiqui Theologi et ecclesiastici Patres tradunt, est quid completum ex duabus naturis, divina scilicet et humana unita Verbo. Et beatus Cyrillus, libro II contra Nestorium, ‘Corpus,’ inquit, ‘ex muliere natum unitum Verbo ‘secundum hypostasim, Christum unum et Filium et Do‘minum perfecit, sive complevit eundem Deum et hominem,’ quod perinde est ut diceret, Filium Dei et eundem Filium hominis. Conveniunt cum his, quae Leontius Byzantius lib. primo contra Nestorianos et Eutychianos scripsit, duplicem esse perfectionem in Christo, unam quae simpliciter dicitur, alteram quae in habitudine cernitur, secundum magnum Gregorium: ‘Perfectum enim,’ inquit, ‘est Ver‘bum, et plenum, et praebens perfectionem; perfecta autem ‘est et anima hominis quantum ad definitionem essentiae ‘suae; sed tamen neque Verbum est perfectus Christus non ‘unita humanitate, quamvis perfectus Deus sit, sicut nec ‘anima perfectus homo est sine corpore, etsi perfectam sub‘stantiam habet:’ hactenus Leontius. TURRIAN. Scilicet non ita insaniit Hippolytus, ut diceret, quod dixisse illum Zwickerus voluit, Verbo sive unigenito quicquam intrinsecae perfectionis revera accessisse ex carnis assumtione: immo contrarium aperte docet. Nam primo diserte ait, Dominum nostrum perfectum fuisse Verbum et unigenitum ante incarnationem. Deinde clare docet Verbum sive unigenitum, *μονογενῆ*, adeo ex carne humana non melioratum esse, ut caro illa ipsam suam subsistentiam Verbo debeat. Quid ergo, inquies, voluit Hippolytus, quum ait Verbum et unigenitum sine carne perfectum non fuisse Filium? Vo-

luit, inquam, manifeste, τὸν Λόγον ante incarnationem non omni filiationis genere, ut ita dicam, defunctum fuisse, sive nondum fuisse omni modo, quo Pater voluit, Dei Filium. Scilicet Domino nostro triplicem nativitatem et filiationem attribuerunt veteres. Prima est, qua ut Λόγος ex mente Patris ab aeterno natus fuit. Ex hac nativitate perfecta hypostasis divina exstitit; nec ipsi quicquam postea accessit, sed potius ceterae nativitates συγκαταβάσεις fuerunt, sive condescensiones Filii Dei. Altera nempe nativitas est, qua ὁ Λόγος a Deo Patre, apud quem, quum nihil adhuc praeter Deum existeret, adeoque ab aeterno fuerat, κατ' ἐνέργειαν exivit, ac tanquam ex utero ejus prodiit, seque demisit ad condenda universa. [Haec est illa γέννησις Λόγου προφορικοῦ apud Theophilum Antiochenum lib. II. p. 80. Sic et Judaei quidam aetate Justini affirmabant ἀτμήτους καὶ ἀχωρίστους Θεοῦ δυνάμεις esse Angelos ἃς ὁ Θεὸς ὅταν βούληται προπηδᾷν ποιεῖ καὶ πάλιν ἀναστέλλει πρὸς ἑαυτὸν, p. 280. Dial. cum Tryphone. Fabric.] Tertia demum nativitas tum fuit, quum idem ὁ Λόγος caro factus est, et e sinu Patris in uterum beatissimae Virginis illapsus, homo ex ipsa natus est per inumbrationem Spiritus S. Haec fuit τοῦ Λόγου extrema συγκατάβασις, a nobis hominibus, adeoque ab ipsis Angelis aeternum adoranda, qua peracta, perfectus Filius Dei factus est, hoc est, ut dixi, omni filiationis genere defunctus est: siquidem ceterae filiationes, quae humanam Christi naturam spectant, ex hac dependent, atque ex ipsa consequuntur. G. BULLUS, Defens. Fidei Nicaenae p. 164. [p. 92. ed. Grabii] a Fabricio allatus. Dixerat quidem Hippolytus, τὸν Λόγον nomine Filii appellatum esse διὰ τὸ μέλλειν αὐτὸν γενέσθαι, hoc vero loco non negat, eum antequam incarnatus existeret, omnino fuisse Filium; sed perfectum Filium fuisse haud concedit. Immo supra, in sect. xi, p. 62, habet, Οὗτος δὲ νοῦς, ὃς προβὰς ἐν κόσμῳ ἐδείκνυτο Παῖς Θεοῦ. Attamen censere videtur Hippolytus, *Filii* appellationem partim ex processione ejus ad res condendas, partim ex incarnatione ejus derivatam esse. Itidem Tertullianus ait, fuisse tempus, quum Filius non fuit; statuens tamen Deum non tum solum fuisse, sed habuisse in semetipso Sermonem de substantia Patris. Confer Tertull. Advs. Hermogenem, cap. 3, et Advs. Praxeam, capp. 4 et 5. Quippe Tertullianus, ut Bullo placuit, existimabat, '*τὸν Λόγον* in hoc imprimis Fi-
'lium Dei declaratum fuisse, quod quum Deus Pater voluit,
'ex ipso processerit, ei tanquam ex utero paternae mentis
'prodierit, et quasi natus fuerit ad condendas creaturas.'
Vid. Op. ejusd. p. 235 vel 207.

P. 73. l. 12. *καὶ ἥκω*] Exstare hoc additamentum in duobus Codd. scriptis, sicut invenitur apud Chrysostomum, ostendunt Var. Lectt. Test. Novi Griesbachianae; in quibus memorari debuerat Hippolytus. Porro scriptum esse in multis Codicibus, quomodo apud Hippolytum, *ἐκ τοῦ Πατρὸς* pro lectione recepta *παρὰ τοῦ Πατρὸς*, eaedem Lectt. probant.

Ibid. *τί δέ ἐστιν τὸ, ἐξῆλθον*] Fors. *τί δέ ἐστιν, ὃ ἐξῆλθεν.* Quod invenisse Interpres videtur.

Ibid. l. 14. *ἀλλ' ἦ Πνεῦμα*] Divina Christi natura, uti est, ita passim etiam dicitur Spiritus antiquis Ecclesiae doctoribus *διὰ τὸ ἀσχημάτιστον*, ut loquitur Proclus CPolitanus. Vide Hugonem Grotium ad Marci cap. ii. vers. 8. FABR.

P. 74. l. 11. *πλὴν δύο*] Matth. et Luc. in Evangel. FABR.

Ibid. l. 13. *ἀποκαλύπτειν μέλλων τότε*] An legend. *ποτε*, *aliquando?*

P. 75. l. 19. *οὗ πάρεστι Λόγος*] Melius videtur *ᾧ π. Λ.*

P. 76. l. 2. *καθὼς εἴπαμεν ἀνωτέρω*] Capp. 10 et 12.

Ibid. l. 10. *Θεὸς ἐν σώματι ἐφανερώθη*] Utrum hic afferatur Apostoli illud in priori Epistola ad S. Timotheum, iii. 16, *Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ*, adhuc lis est. De eadem re agens, haec est incarnatio Christi, Hippolytus in alio ac diverso opere scripsit, *Οὗτος, ὁ προελθὼν εἰς τὸν κόσμον Θεὸς καὶ ἄνθρωπος ἐφανερώθη.* Locus exstat apud Theodoretum in Dialogo ii. p. 132, edit. Schulze. Eum vero afferre non debebat Griesbachius, tanquam quum hoc altero Hippolyti loco verbo tenus discrepantem, in quo Apostolum adduci multi censent; id quod factum in verbis a Theodoreto allatis nemo dixerat. At vero nihil obstat, quin utroque loco Hippolytus, etiamsi apud Apostolum lectionem *ὃς*, non *Θεὸς*, invenerit, ita tamen propterea scriberet, quod relativum *ὃς* cum antecedentibus *Θεοῦ ζῶντος*, interclusis vocibus mediis, construendum statuebat. Sic et inferius habet Apostolus voces easdem inter se connexas. Vide de S. Pauli loco opus egregium, Novi Foederis Interpretationem Anglicam, quam nuper scripsit Granvillius Penn, vir nobilis, idemque in primis ornatus et litteratus.

Ibid. l. 11. *κατὰ φαντασίαν ἢ τροπὴν*] Adversus haeresin Docetarum, quae latissime serpserat, propugnata a Simone Mago, Menandro, Saturnilo, Gnosticis, Cerinthiis, Basilide, Valentino, Secundo, Epiphane, Isidoro, Heracleonitis, Ptolemaeo, Marcosianis, Ophitis, Sethianis, Cerdone, Marcione, Apelle, Bardesane, Harmenio, uti deinceps a Manichaeis, et Priscillianistis. FABR.

P. 77. l. 5. *ὁ πρότερον ὑπ' αὐτοῦ ἱερατευόμενος ὡς Θεός*] Quia Turrianus hoc modo locum vertit, *qui erat ab eo sacer-*

dotio fungente, paulo ante tanquam Deus honoratus, inde haud difficile fuit Graeca ita emendare, ὁ πρότερον ὑπ' αὐτοῦ ἱερατευομένου τιμώμενος ὡς Θεός.

Ibid. l. 6. ὡς Θεός] *Tanquam Deus honoratus.* Quia quum esset pontifex illius anni, prophetavit Caiphas, Joan. cap. xi, quod Jesus moriturus erat pro gente; et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum; quod quidem facere non poterat, nisi Deus esset. TURRIAN.

Ibid. l. 17. ὡς ζωὴ] Melior Interpretis lectio, ὃς ζωὴ, nisi forte ὢν pro ὡς scribendum.

P. 78. l. 10. ὑπὸ ποιμένων θεωρούμενος] Quae hic sequuntur ad verbum fere conveniunt cum eis, quae ex S. Hippolyti Memoria Haeresium laudat S. Gelasius in loco quem habes supra t. i. p. 225. Vide et quae Theodoretus, p. 268. FABR. Prorsus et ad unguem conveniunt Gelasii illa cum iis, quae protulit Theodoretus in Dialogo Secundo ex Hippolyto quidem, sed ut ibidem ait, ex Enarratione ejus Secundi Psalmi desumpta. Falli ergo videtur Gelasius attribuens verba a se prolata ad Hippolyti Memoriam Haeresium, cujus pars est haec contra Noëtum disputatio, in qua tantum similia, non eadem, existunt.

Ibid. l. 17. στεφανοῦται κατὰ διαβόλου] Victores in certaminibus coronabantur; de quo multa Carolus Paschalius libro sexto de Coronis. FABR.

P. 79. l. 12. τὸν γὰρ κοσμήτορα] Legendum, τόν γε κ. cum Interprete, ut haec sententia cum priori conjungatur.

Q. SEPTIMII FLORENTIS
TERTULLIANI

LIBRI

DE ORATIONE

ET

DE PRAESCRIPTIONE HAERETICORUM.

CUM

ANONYMI

ADVERSUS OMNES HAERETICOS

LIBELLO.

TERTULLIANUS.

S. Hieronymus, Lib. de Viris Illustribus, cap. liii. pag. 124. edit. Fabricii.

TERTULLIANUS Presbyter, nunc demum primus post Victorem et Apollonium [a] Latinorum ponitur, provinciae Africae, civitatis Carthaginiensis, patre centurione proconsulari [b]. Hic acris et vehementis ingenii, sub Severo principe et Antonino Caracalla maxime floruit, multaque scripsit volumina [c], quae, quia nota sunt pluribus, praetermittimus. Vidi ego quemdam Paulum, Concordiae [d], quod oppidum [e] Italiae est, senem, qui se beati Cypriani, jam grandis aetatis, notarium, quum ipse admodum esset adolescens, Romae vidisse diceret; referreque sibi solitum, numquam Cyprianum [f] absque Tertulliani lectione unum diem praeterisse; ac sibi crebro dicere, *Da magistrum*, Tertullianum videlicet significans. Hic quum usque ad mediam aetatem Presbyter Ecclesiae permansisset, invidia postea [g] et contumeliis clericorum Romanae Ecclesiae, ad Montani dogma delapsus, in multis libris novae prophetiae meminit: specialiter autem adversum Ecclesiam texuit volumina [h], de Pudicitia, de Persecutione, de Jejuniis, de Monogamia, de Ecstasi libros sex, et septimum, quem adversum Apollonium [i] composuit. Ferturque vixisse usque ad decrepitam aetatem, et multa, quae non exstant [k], opuscula condidisse [l].

[a] De Victore c. 34 ; de Apollonio senatore Rom. c. 42. FABRICIUS.

[b] Eusebius Chron. Vide infra notas H. Gravii. Africae proconsularis provinciae caput, ut notissimum est, Carthago, Tertulliani patria, ubi parens ejus ut centurio sub proconsule stipendia meruit. FABR.

[c] Praeter scripta Tertulliani, quae exstant, fuere liber de Animae Submissione, alius de Superstitione Saeculi, et alius de Carne et Anima, quorum titulos in antiquissimo Codice Agobardino Rigaltius reperit : tum liber de Spe Fidelium, cujus meminit Hieronymus, supra, c. 18, et de S. Trinitate Opus cujus epitomen esse Novatiani librum ejusdem argumenti affirmat, c. 70, et libri vii de Ecstasi, de quibus inferius, hoc ipso capite. De Vestibus Aaronis, nec non de Animalibus mundis et immundis, et de Circumcisione, sed et de Virginitate, quorum opusculorum variis Epistolarum suarum locis meminit idem Hieronymus. Et contra Apellicianos, Vincentius Lerin. cap. 24 Commonitorii. Et de Paradiso, Tertull. c. 55 de Anima : ‘ Habes etiam de Paradiso ‘ a nobis libellum, quo constituimus omnem animam apud inferos ‘ sequestrari in diem Domini.’ Denique, ut idem ipse testis, Graeca opuscula, de Spectaculis, de Baptismo, de Velandis Virginibus, et de Corona Militis. FABR.

[d] MS. Gemblac. *Concordiae, oppido Italiae.* Ad hunc Paulum Concordiensem Epistola Hieronymi xxi, &c. FABR.

[e] Vetus nempe inter Aquileiam et Altinum, non, ut vulgo existimatur, Mirandulae vicinum oppidum. Vid. Epist. in nostra recensione x. VALLARSIUS., Op. S. Hieronymi editor nuperus.

[f] Mirum ne semel quidem Tertullianum citari in Cypriani scriptis quae exstant, licet Hieronymus, Epistola 65, etiam testetur Cypriani scriptis probari, quod Tertulliano magistro usus fuerit. Pro *Da magistrum,* Codex Gembl. tantum habet *magistrum,* quod Suffrido Petri videtur *ἐμφατικώτερον* : ego librarii oscitantis omissione voculam *Da* abesse non dubito. FABR. Fortasse cujus delectabatur ingenio, nominis declinare studuit invidiam. VALLARS.

[g] Circa annum Christi 205 natus annos plus minus xl. Per

clericos Romanae Ecclesiae Zephyrinum Papam potissimum tangere Hieronymus videtur, licet qua demum caussa offensus ab eo usque adeo fuerit Tertullianus, non certo constat. Vide Baronium ad A. C. 201, §. 10, et Tillemontium tom. iii. Memor. H. E. p. 215, 664. seq. Marcianaeus edidit : *Hic usque—permansit, invidia postea* &c. FABR.

[h] Liber Tertulliani de Pudicitia, de Fuga in Persecutione, de Jejuniis, et Monogamia exstant, sed perierunt libri septem de Ecstasi, quorum et supra, c. 24 et 40, Hieronymus meminit. Ex his ut septimus proprie adversus Apollonium, de quo c. 40 dictum est, ita priores sex videntur fuisse scripti adversus Soterem Episcopum Romae. Auctor Praedestinati, Haeresi 26, ' Scripsit contra eos [Montanistas] librum sanctus Soter Papa ' urbis, et Apollonius Ephesiorum antistes. Contra quos scripsit ' Tertullianus, Presbyter Carthaginiensis. Qui quum omnia bene ' et prime et incomparabiliter scripserit, in hoc solum se reprehensibilem fecit, quod Montanum defendit, agens contra Soterem ' supradictum urbis Papam.' Novam operum Tertulliani editionem post Beati Rhenani, Cerdae, Pamelii, Rigaltii et Priorii curas in Gallia hodie parat Malinganus, Ord. Benedictini monachus : et in Italia exspectare jubent viri docti ex emendatione Gasp. Scioppii cum notis Guidonis Pancirolli. FABR. [Neque Gallicam, neque Italicam editionem Tertulliani hic a Fabricio praemonstratam huc usque vidimus.]

[i] [Alium Apollonium atque illum supra commemoratum, confundentibus eos inter se nonnullis. Hic enim Graeca lingua adversus Montanum scripsit opus, cujus fragmenta quaedam Eusebius servavit, H. E. v. 18. De eo agit Hieronymus in cap. 40, ubi haec posuit, ' Tertullianus, sex voluminibus adversus Ecclesiam editis, ' quae scripsit *περὶ ἐκστάσεως*, septimum proprie adversus Apollo' nium elaboravit, in quo omnia quae ille arguit, conatur defen' dere.' De altero Apollonio Romanae urbis senatore, qui pro Christo passus est, sed qui, impetrata venia ut rationem fidei suae redderet, apologiam composuit, alio capite, nempe 42, Hieronymus tractat.]

[k] Contrario sensu, forte et veriore, legit Cod. Vaticanus, *quae nunc exstant*, pro *non exstant*. Et librum quidem de Aaron. Vestibus Hieronymus, Ep. 64, ad Fabiolam, de Vest. Sacerd., in fine, frustra quaesisse se dicit ; sed alia sunt Tertulliani volu-

mina, quae hic non nominat, et tamen jam tum periisse vix credi possit. Fuere liber de Animae Summissione &c. [Hi libri omnes a Fabricio jam supra commemorati fuerunt.] Tot librorum, quos nobis invidit sequior aetas, si tunc quoque temporis non exstitissent, titulos saltem Hieronymus memoriae commendasset. VALLARSIUS.

[1] [Hic denique adjiciendum est S. Hilarii Pictaviensis de Tertulliani libro de Oratione proxime secuturo testimonium. ‘ De orationis sacramenti necessitate nos commentandi Cyprianus ‘ vir sanctae memoriae liberavit. Quanquam et Tertullianus hinc ‘ volumen aptissimum scripserit ; sed consequens error hominis ‘ detraxit scriptis probabilibus auctoritatem.’ Comment. in Matthaeum, cap. v. p. 630. edit. Benedictin.]

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

DE ORATIONE.

DEI spiritus, et Dei sermo, et Dei ratio, sermo rationis, et ratio sermonis, [et spiritus] utrumque Jesus Christus Dominus noster, nobis discipulis Novi Testamenti novam orationis formam determinavit. Oportebat enim in hac quoque specie *novum vinum novis utribus recondi, et novam plagulam novo adsui vestimento.* Ceterum quidquid retro fuerat, aut demutatum est, ut circumcisio; aut suppletum, ut reliqua lex; aut impletum, ut prophetia; aut perfectum, ut fides ipsa. Omnia de carnalibus in spiritalia renovavit nova Dei gratia superducto Evangelio expunctore totius retro vetustatis; in quo et Dei spiritus, et Dei sermo, et Dei ratio approbatus est Dominus noster Jesus Christus, spiritus quo valuit, sermo quo docuit, ratio qua venit [*fors.* sensit][a]. Sic igitur oratio a Christo constituta ex tribus constituta est: ex sermone, quo enunciatur: ex spiritu, quo tantum potest: ex ratione, qua suscipitur. Docuerat et Johannes discipulos suos adorare, sed omnia Johannis Christo praestruebantur, donec ipso aucto, sicut idem Johannes praenunciabat, *illum augeri oportere, se vero deminui*, totum praemin-

CAP. I

Matt. vi.

Matt. ix. 16.

Joh. iii.

[a] [Vide infra, p. 427.]

istri opus cum ipso spiritu transiret ad Dominum. Ideo nec exstat, in quae verba docuerit Johannes
Joh. iii. 31. adorare, quod terrena coelestibus cesserint. *Qui de terra est*, inquit, *terrena fatur; et qui de coelis adest, quae vidit ea loquitur.* Et quid non coeleste, quod Domini Christi est; ut haec quoque orandi disciplina? Consideremus itaque, benedicti, coelestem ejus sophiam in primis de praecepto secrete adorandi: quo et fidem hominis exigebat, ut Dei omnipotentis et conspectum et auditum sub tectis, et in abditis etiam adesse confideret; et modestiam fidei desiderabat, ut quem ubique audire et videre fideret, ei soli religionem suam offerret: sequente sophia [*fors.* sequentes sophiam] in sequenti praecepto; quod etsi proinde pertineat ad fidem et modestiam fidei, si non agmine verborum adeundum putemus ad Dominum, quem ultro suis prospicere certi sumus; attamen brevitas ista, quod ad tertium sophiae gradum faciat, magnae ac beatae interpretationis substantia fulta est; quantumque substringitur verbis, tantum diffunditur sensibus. Neque enim propria tantum orationis officia complexa est, vel venerationem Dei, aut hominis petitionem, sed omnem paene sermonem Domini, omnem commemorationem disciplinae, ut revera in oratione breviarium totius evangelii comprehendatur.

CAP. II. Incipit a testimonio Dei, et merito fidei, quum dicimus PATER QUI IN COELIS ES. Nam et Deum oramus, et fidem commendamus, cujus meritum est
Joh. i. 12. haec appellatio. Scriptum est: *Qui in eum credi-*
Mat. vii. 12. x. 20, 29. *derint, dedit eis potestatem ut filii Dei vocentur.* Quamquam frequentissime Dominus Patrem nobis
Matt. xxiii. 9. pronunciavit Deum, immo et praecepit, *ne quem in*

terris patrem vocemus, nisi quem habemus in coelis. Itaque sic adorantes etiam praeceptum obimus. Felices qui Patrem agnoscunt. Hoc est, quod Israeli exprobratur, quod coelum ac terram Spiritus con-
5 testatur, *Filios*, dicens, *genui, et illi me non agnove-* Esai. i. 2
runt. Dicendo autem Patrem, Deum quoque cognominamus. Appellatio ista et pietatis et potestatis est. Item in Patre Filius invocatur, *Ego enim*, in- Joh. x. 3
quit, *et Pater unum sumus.* Ne mater quidem Ec-
10 clesia praeteritur. Siquidem in filio et patre mater recognoscitur, de qua constat et patris et filii nomen. Uno igitur genere aut [*fors.* generali] vocabulo et Deum cum suis honoramus, et praecepti meminimus, et oblitos Patris denotamus.

15 Nomen Dei Patris nemini proditum fuerat. Etiam CAP. II
qui de ipso interrogaverat Moyses, aliud quidem nomen audierat. Nobis revelatum est in Filio. Jam enim Filius novum Patris nomen est; *Ego veni*, Joh. v. 4
inquit, *in nomine Patris.* Et rursus, *Pater, glori-*
20 *fica nomen tuum.* Et apertius, *Nomen tuum manifestavi hominibus.* Id ergo ut SANCTIFICETUR postulamus. Non quod deceat homines bene Deo optare, quasi sit et alius de quo ei possit optari, aut laboret, nisi optemus. Plane benedici Deum omni loco ac Ps. ciii. 2
25 tempore condecet, ob debitam semper memoriam beneficiorum ejus, ab omni homine. Sed et hoc benedictionis vice fungitur. Ceterum quando non sanctum et sanctificatum est per semetipsum nomen Dei, quum ceteros sanctificet ex semetipso? Cui illa *Angelorum* Esai. vi.
30 *circumstantia non cessant dicere, Sanctus, Sanctus,* Apoc. iv.
Sanctus. Proinde igitur et nos, Angelorum, si meruerimus, candidati, jam hinc coelestem illam in Deum vocem, et officium futurae claritatis ediximus.

Hoc quantum ad gloriam Dei. Alioquin quantum
Matt. vi. 9. ad nostram petitionem, quum dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*, id petimus ut sanctificetur in nobis, qui in illo sumus; simul et in ceteris, quos adhuc gratia
Matt. v. 44. Dei exspectat, ut et huic praecepto pareamus, *orando pro omnibus etiam pro inimicis nostris.* Ideoque suspensa enunciatione non dicentes, Sanctificetur in nobis, in omnibus dicimus.

CAP. IV. Secundum hanc formam subjungimus FIAT VOLUNTAS TUA IN COELIS ET IN TERRA, non quod aliquis obsistat, quominus voluntas Dei fiat, et ei successum voluntatis suae oremus; sed in omnibus petimus fieri voluntatem ejus. Ex interpretatione enim figurata carnis et spiritus, nos sumus coelum et terra. Quamquam et si simpliciter intelligendum est, idem tamen est sensus petitionis, ut in nobis fiat voluntas Dei in terris, ut possit scilicet fieri et in coelis. Quid autem Deus vult, quam incedere nos secundum suam disciplinam? Petimus ergo, substantiam et facultatem voluntatis suae submin-
istret nobis, ut salvi simus et in coelis et in terris; quia summa est voluntatis ejus, salus eorum, quos adoptavit. Est et illa Dei voluntas quam Dominus administravit praedicando, operando, sustinendo. Sic
Joh. vi. 39. enim ipse pronunciavit, *non suam, sed Patris facere se voluntatem.* Sine dubio quae faciebat, ea erant voluntas Patris, ad quae nunc nos velut ad exemplaria provocamur, ut et praedicemus, et operemur, et sustineamus ad mortem usque. Quae ut implere possimus opus est Dei voluntate. Item dicentes, *Fiat voluntas tua*, vel eo nobis bene optamus, quod nihil mali sit in Dei voluntate, etiam si quid pro meritis cujusque secus irrogatur. Jam hoc dicto,

ad sufferentiam nosmetipsos praemonemus. Dominus quoque quum sub instantiam passionis infirmitatem carnis demonstrare jam in sua carne voluisset, *Pater*, inquit, *transfer poculum istud*; et recordatus, *nisi quod mea non, sed tua fiat voluntas.* Ipse erat voluntas et potestas Patris; et tamen ad demonstrationem sufferentiae debitae, voluntati se Patris tradidit. Luc. xxii. 42.

Veniat quoque regnum tuum ad id pertinet, quod et *Fiat voluntas tua*, in nobis scilicet. Nam Deus quando non regnat? *in cujus manu cor omnium regum est.* Sed quicquid nobis optamus, in illum auguramur, et illi deputamus, quod ab illo exspectamus. Itaque si ad Dei voluntatem, et ad nostram suspensionem pertinet regni Dominici repraesentatio, quomodo quidam protractum quemdam in saeculo postulant, quum regnum Dei, quod ut adveniat oramus, ad consummationem saeculi tendat? Optamus maturius regnare, et non diutius servire. Etiam si praefinitum in oratione non esset de postulando regni adventu, ultro eam vocem protulissemus, festinantes ad spei nostrae complexum. *Clamant ad Dominum in visu animae martyrum sub altari: Quonam usque non ulcisceris, Domine, sanguinem nostrum de incolis terrae?* Nam utique ultio illorum a saeculi fine dirigitur. Immo quam celeriter *veniat*, Domine, *regnum tuum.* Votum Christianorum, confusio nationum, exsultatio Angelorum, propter quod conflictamur, immo potius propter quod oramus. CAP. V. Prov. xx. 1. Apoc. vi. Matt. vi. 10.

Sed quam eleganter divina sapientia ordinem orationis instruxit! ut post coelestia, id est post Dei nomen, Dei voluntatem, et Dei regnum, ter- CAP. V

renis quoque necessitatibus petitioni [*fors.* petitione] locum faceret! Nam et edixerat Dominus,
Matt. vi. 33. *Quaerite prius regnum, et tunc vobis etiam haec adjicientur.* Quamquam PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE, spiritaliter potius intelligamus. Christus enim panis noster est, quia vita Christus,
Joh. vi. 35. et vita panis [*fors.* vitae panis. *Schutz.*] *Ego sum,* inquit, *panis vitae.* Et paulo supra, *Panis est Sermo Dei vivi, qui descendit de coelis.* Tum quod
Luc. xxii. 19. et corpus ejus in pane censetur: *Hoc est corpus meum.* Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo, et individuitatem a corpore ejus. Sed et quia carnaliter admittitur ista vox, non sine religione potest fieri, et spiritalis disciplinae [*fors.* spiritali disciplina.] Panem enim peti mandat, quod solum fidelibus necessarium est; *cetera enim nationes requirunt.* Ita et exemplis
Matt. xv. 26. inculcat, et parabolis retractat, quum dicit: Numquid panem filiis pater aufert, et canibus tradit?
Matt. vii. 9. Item: *Numquid filio panem poscenti lapidem tradit?* Ostendit enim, quid a patre filii exspectent. Sed et
Luc. xi. 5. nocturnus ille pulsator panem poscebat. Merito autem adjecit: *Da nobis hodie,* ut qui praemiserat:
Luc. xii. 29. *Nolite de crastino cogitare quid edatis.* Cui rei parabolam quoque accommodavit illius hominis, qui provenientibus fructibus ampliationem horreorum, et longae securitatis spatia cogitavit: is ipsa nocte moritur.

CAP. VII. Consequens erat ut observata Dei liberalitate, etiam clementiam ejus precaremur; quid enim alimenta proderunt, si illi reputamur revera quasi taurus ad victimam? Sciebat Dominus se solum sine delicto esse. Docet itaque, petamus DIMITTI NO-

BIS DEBITA NOSTRA. Exomologesis est, petitio veniae ; quia qui petit veniam, delictum confitetur. Sic et poenitentia demonstratur acceptabilis Deo, quia *vult eam, quam mortem peccatoris.* Debitum autem in Scripturis delicti figura est, quod perinde judicio debeatur, et ab eo exigatur, nec evadat justitiam exactionis, nisi donetur exactio, sicut illi servo Dominus debitum remisit. Huc enim spectat exemplum parabolae totius. Nam et quod idem servus a domino liberatus, non perinde parcit debitori suo, ac propterea delatus penes dominum tortori delegatur ad solvendum novissimum quadrantem, id est, modicum usque delictum, eo competit, quod remittere nos quoque profitemur debitoribus nostris. Jam et alibi ex hac specie orationis : *Remittite*, inquit, *et remittetur vobis.* Et quum interrogasset Petrus, *si septies remittendum esset fratri : Immo*, inquit, *septuagies septies*, ut legem in melius reformaret, quod in Genesi *de Cain septies, de Lamech autem septuagies septies, ultio reputata est.*

Ezech. xxxiii. 11

Matt. xvi 27.

Luc. vi. 3

Matt. xviii. 22.

Gen. iv. 2

CAP. VIII.

Adjecit ad plenitudinem tam expeditae orationis, ut non de remittendis tantum, sed etiam de avertendis in totum delictis supplicaremus, NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM, id est, ne nos patiaris induci, ab eo utique qui tentat. Ceterum absit ut Dominus tentare videatur, quasi aut ignoret fidem cujusque, aut dejicere sit gestiens. Diaboli est et infirmitas et malitia. Nam et Abrahamum non tentandae fidei gratia sacrificare de filio jusserat, sed probandae ; ut per eum faceret exemplum praecepto suo, quo mox praecepturus erat, neque pignora Deo cariora habenda. Ipse a diabolo tentatus, praesidem et artificem tentationis demonstravit. Hunc locum

Luc. xxii. 46. posterioribus confirmat: *Orate*, dicens, *ne tentemini*. Adeo tentati sunt Dominum deserendo, qui somno potius indulserant, quam orationi. Eo respondet clausula, interpretans quid sit, *Ne nos deducas in tentationem*; hoc est enim SED DEVEHE NOS A MALO.

CAP. IX. Anacephalaeosis. Compendiis pauculorum verborum, quot attinguntur edicta Prophetarum, Evangeliorum, Apostolorum, sermones Domini, parabolae, exempla, praecepta! Quot simul expunguntur officia! Dei honor in Patre, fidei testimonium in nomine, oblatio obsequii in voluntate, commemoratio spei in regno, petitio vitae in pane, exomologesis debitorum in deprecatione, solicitudo tentationum in postulatione tutelae. Quid mirum? Deus solus docere potuit, ut se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata religio orationis, et de spiritu ipsius, jam tunc, quum ex ore divino ferretur animata, suo privilegio ascendit in coelum, commendans Patri quae Filius docuit.

CAP. X. Posse nos superadjicere. Luc. xi. 8. Quoniam tamen Dominus prospector humanarum necessitatum, seorsum post traditam orandi disciplinam, *Petite*, inquit, *et accipietis*, et sunt quae petantur pro circumstantia cujusque; praemissa legitima et ordinaria oratione quasi fundamento, accidentium [*fors.* accedentium *Latinus Latinius*] desideriorum [a], jus est superstruendi extrinsecus petitiones, cum memoria tamen praeceptorum, ne quantum a praeceptis, tantum ab auribus Dei longe simus.

CAP. XI. Ne orans Patrem fratri irascaris. Matt. v. 23. Memoria praeceptorum viam orationibus sternit ad coelum, quorum praecipuum est, ne prius ascendamus ad Dei altare, quam si quid discordiae vel offensae cum fratribus contraxerimus, resolvamus. Quid est enim ad pacem Dei accedere sine pace? ad

[a] [Vide infra, p. 431.]

remissionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit Patrem iratus in fratrem, quum omnis ira ab initio interdicta sit nobis? Nam et Joseph dimittens fratres suos ad perducendum patrem, *et ne*, inquit, *irascamini in via;* nos scilicet monuit, (alias enim via cognominatur disciplina nostra,) tum ne in via orationis constituti, ad Patrem cum ira incedamus. Exinde aperte Dominus amplians legem, iram in fratrem [*fors.* quam *addend.*] homicidio superponit, ne verbo quidem malo permittit expungi; *etiam si irascendum est, non ultra solis receptum*, [*an* recessum?] ut Apostolus admonet. Quam autem temerarium est, aut diem sine oratione transigere, dum cessas fratri satisfacere, aut orationem perseverante iracundia perdere! Gen. xlv. 24. Matt. v. 21, 22. Eph. iv. 26.

CAP. XII. Etiam omni animi confusione vacuum esse debere.

Nec ab ira solummodo, sed omni omnino confusione animi libera debet esse orationis intentio, de tali spiritu emissa, qualis est Spiritus, ad quem mittitur. Neque enim agnosci poterit a Spiritu Sancto spiritus inquinatus; aut tristis a laeto, aut impeditus a libero. Nemo adversarium recipit; nemo nisi comparem suum admittit.

CAP. XIII. De lavatione manuum.

Ceterum quae ratio est, manibus quidem ablutis, spiritu vero sordente orationem obire? quando et ipsis manibus spiritales munditiae sint necessariae, ut a falso, a caede, a veneficiis, ab idololatria, ceterisque maculis, quae spiritu conceptae manuum opera transiguntur, purae alleventur. Hae sunt verae munditiae, non quas plerique superstitiose curant, ad omnem orationem etiam cum lavacro totius corporis aquam sumentes. Id quum scrupulose percunctarer, et rationem requirerem, comperi commemorationem esse in Domini deditionem. Nos Dominum adora-

mus, non dedimus. Immo et adversari debemus deditoris exemplo, nec propterea manus abluere, nisi quod conversationis humanae inquinamentum conscientiae caussa lavemus.

CAP. XIV. Apostrophe.

Ceterum satis mundae sunt manus, quas cum toto corpore in Christo semel lavimus. Omnibus licet membris lavet quotidie Israel, numquam tamen mundus est. Certe manus ejus semper immundae, sanguine Prophetarum et ipsius Domini cruentatae in aeternum. Et ideo conscientia patrum hereditarii rei nec attollere eas ad Dominum audent, ne exclamet aliquis Esaias, ne exhorreat Christus. Nos vero non attollimus tantum, sed etiam expandimus e Dominica passione modulantes; et orantes confitemur Christo.

CAP. XV. De expositis paenulis.

Sed quoniam unum aliquod attingimus vacuae observationis, non pigebit cetera quoque denotare, quibus merito vanitas exprobranda est; siquidem sine ullius aut Dominici, aut apostolici praecepti auctoritate fiunt. Hujusmodi enim non religioni, sed superstitioni deputantur, affectata, et coacta, et curiosi potius, quam rationalis officii; certe vel eo coercenda, quod Gentilibus [*fors.* nos adaequant] adaequent. Ut est quorundam, expositis paenulis orationem facere; sic enim adeunt ad idola nationes. Quod utique si fieri oporteret, Apostoli, qui de habitu orandi docent, comprehendissent; nisi si qui putant, Paulum paenulam suam in oratione penes Carpum reliquisse. Deus scilicet non audiat paenulatos, qui tres sanctos in fornace Babylonii regis orantes cum sarabaris et tiaris suis exaudivit!

CAP. XVI. De assiden-

Item quod adsignata oratione, assidendi mos est quibusdam, non perspicio rationem; nisi si Hermas

ille, cujus scriptura fere Pastor inscribitur, transacta oratione non super lectum assedisset, verum aliud quid fecisset, id quoque ad observationem vindicaremus. Utique non; simpliciter enim et nunc positum est, 'Quum adorassem, et assedissem super lectum,' ad ordinem narrationis, non ad instar disciplinae. Alioquin nusquam erit adorandum, nisi ubi fuerit lectus. Immo contra Scripturam fecerit, si quis in cathedra aut subsellio sederit. Porro quum perinde faciant nationes, adoratis sigillaribus suis residendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud idola celebratur. Eo apponitur et irreverentiae crimen, etiam ipsis nationibus, si quid saperent, intelligendum. Siquidem irreverens est assidere sub conspectu, contraque conspectum ejus, quem quam maxime reverearis ac venereris, quanto magis sub conspectu Dei vivi, Angelo adhuc orationis astante, factum istud irreligiosissimum est, nisi exprobramus Deo, quod nos oratio fatigaverit.

do post orationem

Apoc. viii 3, 4.

Atqui cum modestia et humilitate adorantes, magis commendabimus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius elatis [*fors.* delendum], sed temperate ac probe elatis, ne vultu quidem in audaciam erecto. Nam ille publicanus, qui non tantum prece, sed et vultu humiliatus atque dejectus orabat, justificatior pharisaeo procacissimo discessit. Sonos etiam vocis subjectos esse oportet; aut quantis arteriis opus est, si pro sono audiamur? Deus autem non vocis, sed cordis auditor est, sicut conspector. Daemonium oraculi Pythii: 'Et mutum,' inquit, 'intelligo et non loquentem exaudio.' Dei aures sonum exspectant? Quomodo ergo oratio Jonae de ventre ceti per tantae bestiae viscera, ab ipsis

CAP. XVII. De manibus elatis, et de vultu

Hdt. i

abyssis per tantam aequoris molem ad coelum potuit evadere? Quid amplius referent isti, qui clarius adorant, nisi quod proximis obstrepunt? Immo prodendo petitiones suas, quid minus faciunt, quam si in publico orent?

CAP. XVIII. De osculo.

Alia jam consuetudo invaluit; jejunantes, habita oratione cum fratribus, subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis. Quando autem magis conferenda cum fratribus pax est, nisi quum oratio commendabilior ascendit, ut ipsi de nostra operatione participes, jam audeant de sua pace fratri transigere? Quae oratio cum divortio sancti osculi integra? quem Domino officium facientem impedit pax? quale sacrificium est, a quo sine pace receditur? Quaecumque operatio sit, non erit potior praecepti observatione, quo jubemur jejunia nostra celare. Jam enim de abstinentia osculi agnoscimur jejunantes. Sed et si qua ratio est, ne tamen huic praecepto reus sis, potes domi, si forte, inter quos latere jejunium in totum non datur, differre pacem; ubicumque autem alibi operationem tuam abscondere potes, debes meminisse praecepti: ita et disciplinae foris, et consuetudini domi satisfacies. Sic et die paschae, quo communis et quasi publica jejunii religio est, merito deponimus osculum, nihil curantes de occultando quod cum omnibus faciamus.

CAP. XIX. De stationibus.

Similiter et stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obsequium eucharistia resolvit? An magis Deo obligat? Nonne solemnior erit statio tua, si et ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini, et reservato, utrumque salvum est, et par-

ticipatio sacrificii, et exsequutio officii. Si statio de militari exemplo nomen accipit, nam et *militia Dei* sumus, utique nulla laetitia sive tristitia obveniens castris stationes militum rescindit. Nam laetitia libentius, tristitia sollicitius administrabit disciplinam. 2 Cor. x. 4. 1 Tim. i. 18.

De habitu vero dumtaxat feminarum, varietas observationis efficit, post sanctissimum Apostolum nos vel maxime nullius loci homines impudenter retractare: nisi quod non impudenter, si secundum Apostolum retractemus. De modestia quidem cultus et ornatus, aperta praescriptio est etiam Petri, cohibentis eodem ore, quia eodem et spiritu, quo Paulus, et vestium gloriam, et auri superbiam, et crinium lenonem [*fors.* lenoniam. *Vid. Notam*] operositatem. CAP. XX. De habitu feminarum. 1 Pet. iii. 3 1 Tim. ii. 9

Sed quod promiscue observatur per Ecclesias, quasi incertum, id retractandum est, velarine debeant virgines, an non. Qui enim virginibus indulgent capitis immunitatem, hoc niti videnter, quod Apostolus non virgines nominatim, sed mulieres designaverit velandas esse; nec sexum, ut diceret *feminas*, sed gradum sexus, dicendo *mulieres*. Nam si sexum nominasset, *feminas* dicendo, absolute definisset de omni muliere: aut [*fors.* at] quum unum gradum sexus nominat, alium tacendo secernit. Potuit enim, inquiunt, aut et virgines nominare specialiter, aut compendio generaliter feminas. CAP. XXI. De virginibus. 1 Cor. xi. 5

Qui ita concedunt [*fors.* contendunt], recogitare debent de statu vocabuli ipsius, quid est *mulier* a primis quidem literis sanctorum commentariorum; nam inveniunt [*fors.* invenient] sexus esse nomen, non gradum sexus. Siquidem Evam nondum virum expertam Deus *mulierem* et *feminam* cognominavit CAP. XXII. Gen. ii. 23

[feminam, qua sexus generaliter, mulierem, qua gradus sexus specialiter. *delend.*] Itaque [*fors.* Ita quia] jam tunc innupta adhuc Eva mulieris vocabulo [*fors.* sub vocabulo] fuit, commune id vocabulum et virgini factum est. Nec mirum si Apostolus eodem utique Spiritu actus, quocum omnis Scriptura divinitatum, et illa [*fors.* divina, tum et illa] Genesis digesta est, eadem voce usus est, mulierem ponendo; quae exemplo Evae, innuptae et virgini competat. Cetera denique non sonant [*fors.* consonant], nam et hoc ipso, quod virgines non nominavit, sicut alio in loco, ubi de nubendo docet, satis praedicat de omni muliere, et de toto sexu dictum, nec distinctum esse inter virginem, omnino non nominat [*fors.* nominatam]. Qui enim alibi distinguere meminit, ubi scilicet differentia postulat, distinguet autem utramque speciem suis vocabulis designans; ubi non distinguit, dum utramque non nominat, nullam vult differentiam intelligi. Quid, quod Graeco sermone, quo literas Apostolus fecit, usui est mulieres vocare tam feminas, id est γυναῖκας, quam θηλείας. Igitur si pro sexus nomine vocabulum istud frequentatur, quod est interpretatione pro eo, quod est femina, sexum nominavit, dicens γυναῖκα. In sexu autem et virgo contingitur [*fors.* continetur]. Sed et manifesta pronunciatio est: *Omnis*, inquit, *mulier adorans et prophetans intecto capite dedecorat caput suum.* Quid est *omnis mulier*, nisi omnis aetatis, omnis ordinis, omnis conditionis? Nihil mulieris excipit, dicendo *omnis;* sicut nec vir nec velandi [*fors.* nec investis velandus], proinde enim *omnis vir*, inquit. Sicut ergo in masculino sexu sub viri nomine etiam investis velari vetatur, ita et in

1 Cor. xi. 5.

feminino sub nomine mulieris etiam virgo velari jubetur. Aequaliter in utroque sexu minor aetas majoris sequatur disciplinam: aut velentur et virgines masculi, si non velantur et virgines feminae, quia nec isti nominatim tenentur. Aliud sit vir et investis, si aliud est mulier et virgo. Nempe *propter Angelos*, ait, velari oportere, quod Angeli propter filias hominum desciverunt a Deo. Quis ergo contendat, solas mulieres, id est nuptas jam, et virginitati defunctas concupiscentiae [*fors.* virginitate defunctas, concupiscentiae fuisse], nisi si non licet et virgines specie praestare, et amatores invenire? Immo videmus, quod non [*dele* non, *Muratorius*] virgines solas concupierint, quum dicat Scriptura *filias hominum*, quia potuit uxores hominun nominasse vel feminas indifferenter. Etiam quod ait, *Et acceperunt sibi in uxores*, eo facit, quod accipiuntur in uxores, quae vacant scilicet. De non vacantibus autem aliter enunciasset. Itaque [*fors.* Ita quia] vacant tam viduitate, quam et virginitate, adeo sexum nominando generaliter filias, et species in genere commiscuit. Item quum dicit, naturam ipsam docere, feminas velandas esse, quae capillum pro tegumento et ornamento mulieribus assignaret, nonne idem tegumentum et idem honor capitis virginibus quoque adscriptus est? Si *mulieri turpe est radi*, et virgini perinde. In quibus ergo una conditio capitis deputatur, una et disciplina capitis exigitur, etiam ad eas virgines, quas pueritia defendit; a primo enim *femina* nominata est. Sic denique et Israel observat. Sed si non observaret, nostra lex, ampliata atque suppleta, defenderet sibi adjectionem, virginibus quoque injiciens velamentum. Excusetur

1 Cor. xi. 1

Gen. vi.

1 Cor. xi.

nunc aetas, quae sexum suum ignorat, simplicitatis privilegium teneat. Nam et Eva et Adam, ubi eis contigit sapere, texuerunt statim quod agnoverant. Certe in quibus jam pueritia mutavit, sicut naturae [*fors.* naturâ], ita et disciplinae [*fors.* disciplinâ] debet aetas esse munifica. Nam et membris et officiis mulieribus resignantur. Nulla virgo est, ex quo potest nubere, quoniam aetas jam in ea nupsit suo viro, id est tempori. Sed aliqua se Deo vovit; jam et crinem exinde transfigurat, et omnem habitum ad mulieres convertit. Totum ergo asseveret, et totum virginis praestet: quod propter Deum abscondit, plane obumbret. Interest nostra, quod Dei gratia exerceat, solius Dei conscientiae commendare, ne quod a Deo speramus, ab homine compensemus. Quid denudas ante Deum, quod ante homines tegis? Verecundior
1 Cor. iv. 7. eris in publico, quam in Ecclesia? *Si Dei gratia est, et accepisti, quid gloriaris,* inquit, *quasi non acceperis?* Quid alias ostentatione tui judicas? an alias gloria tua ad bonum invitas? Atqui et ipsa periclitaris amittere, si gloriaris; et alias ad eadem pericula cogis. Facile eligitur [*fors.* eliditur] quod affectione gloriae assumitur. Velare virgo, si virgo es; debes enim erubescere. Si virgo es, plures oculos pati noli. Nemo miretur in tuam faciem; nemo mendacium tuum sentiat. Bene mentiris nuptam, si caput veles. Immo mentiri non videris, nupsisti enim Christo, illi carnem tuam tradidisti. Age pro mariti tui disciplina. Si nuptas alienas velari jubet, suas utique multo magis. Sed non putet institutione [*fors.* institutionem] unusquisque antecessoris commovendam. Multi alienae consuetudini prudentiam suam [*fors.* suam addicunt], et constantiam

ejus addicunt[*fors.* adducunt], ne compellantur[*fors.* compellantur virgines] velari. Certe voluntarias prohiberi non oportet, quae se etiam virgines negare non possunt, [*fors.* negare poscunt,] contentae abuti in fama [*fors.* in infamia] suae conscientiae apud Deum securitate. De illis tamen quae sponsis dicantur, constanter super meum modulum pronunciare contestarique possum, velandas ex ea die esse, qua ad primum viri corpus osculo et dextera expaverint. Omnia enim in his praenupserunt, et aetas per maturitatem, et caro per aetatem, et spiritus per conscientiam, et pudor per osculi experimentum, et spes per expectationem, et mens per voluntatem. Satisque nobis exemplo Rebecca est, quae, sponso demonstrato, tantum notitia ejus nubendo velata est. Gen. xxiv. 65.

CAP. XXIII. De genu ponendo.

De genu quoque ponendo varietatem observationis patitur oratio per pauculos quosdam, qui sabbato abstinent genibus. Quae dissensio quum maxime apud Ecclesias causam dicat, Dominus dabit gratiam suam, ut aut cedant, aut sine aliorum scandalo sententia sua utantur. Nos vero, sicut accepimus, solo die Dominico [*fors.* Dominicae,] resurrectionis non ab isto tantum, sed omni anxietatis habitu, et officia [*fors.* officio] cavere debemus, differentes etiam negotia, ne quem diabolo locum demus. Tantumdem et spatio Pentecostes, quae eadem exsultationis solemnitatem dispungimur [*fors.* solemnitate dispungitur]. Ceterum omni die quis dubitet prosternere se Deo vel prima saltem oratione, qua lucem ingredimur? Jejuniis autem et stationibus nulla oratio sine genu et reliquo humilitatis more celebranda est. Non enim oramus tantum, sed et deprecamur, et satis-

facimus Deo Domino nostro. De temporibus orationis nihil omnino praescriptum est, nisi plane omni in tempore et loco orare.

CAP. XXIV. De loco.

Sed quomodo *omni* loco, quum prohibeamur in publico? *Omni*, inquit, *loco*, quem opportunitas aut
1 Tim. ii. 8. etiam necessitas importaret. Neque enim contra praeceptum reputatur ab Apostolis factum, qui in carcere audientibus custodiis orabant et canebant Deo, apud Paulum [*fors.* aut a Paulo *Muratorius*] qui in navi coram omnibus eucharistiam fecit.

CAP. XXV. De tempore.

De tempore vero non erit otiosa extrinsecus observatio etiam horarum quarumdam. Istarum dico communium, quae diei interspatia signat [*fors.* signant], tertia, sexta, nona, quas solemniores in Scripturis invenire est. Primus Spiritus Sanctus congre-
Act. ii. 15. gatis discipulis hora tertia infusus est. Petrus, qua die visionem communitatis omnis [*fors.* omnium]
Act. x. 9. in illo vasculo expertus est, sexta hora ascenderat orandi gratia in superiora. Idem cum Joanne ad
Act. iii. 1. nonam in templum adibat, ubi paralyticum sanitati reformavit suae. Et si simpliciter se habeant sine ullius observationis praecepto, bonum tamen sit aliquam constituere praesumtionem, qua [*fors.* quae] et orandi admonitionem [*fors.* admonitione] constringat, et quasi lege ad tale munus extorqueat a nego-
Dan. vi. 10. tiis interdum; ut quod Danieli quoque legimus observatum, utique ex Israelis disciplina, ne minus ter die saltem adoremus, debitores trium, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Exceptis utique legitimis orationibus, quae sine ulla admonitione debentur ingressu lucis et noctis. Sed et cibum non prius sumere, et lavacrum non prius adire, quam interposita oratione, fideles decet. Priora enim habenda sunt spiritus re-

frigeria et pabula quam carnis, et priora coelestia quam terrena.

CAP. XXVI. De fratrum digressu.

Fratrem domum tuam introgressum ne sine oratione dimiseris. Vidisti, inquit, fratrem, vidisti Dominum tuum, maxime advenam, [*subaudiend.* adverte] ne Angelus forte sit. Sed nec ipse a fratribus exemtis [*fors.* exceptus] priora fecerit [*fors.* feceris] refrigeria terrena coelestibus! Statim enim judicabitur [*fors.* indicabitur] fides tua. Aut quomodo secundum praeceptum *Pax huic domui* dices, nisi et eis, qui in domo sunt, pacem mutuam reddas? Heb. xiii. 2. Luc. x. 5.

CAP. XXVII. De subjungendo Psalmo.

Diligentiores in orando subjungere in orationibus Alleluja solent, et hoc genus psalmos, quorum clausulis respondeant, qui simul sunt. Et est optimum utique institutum omne, quod proponendo et honorando Deo competit, saturatam orationem velut optimam hostiam admovere [*fors.* opimam hostiam admovens].

CAP. XXVIII. Hostia spiritalis quia oratio est.

Haec est enim hostia spiritalis, quae pristina sacrificia delevit. *Quò mihi*, inquit, *multitudinem sacrificiorum? Plenus sum holocaustomatum arietum; et adipem agnorum, et sanguinem taurorum et hircorum nolo. Quis enim requisivit ista de manibus vestris?* Quae ergo quaesierit Deus, Evangelium docet. *Veniet hora*, inquit, *quum veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Deus enim Spiritus est; et adoratores* itaque *tales requirit.* Nos sumus veri adoratores, et veri sacerdotes, qui spiritu orantes spiritu sacrificaremus [*fors.* sacrificamus] orationem Dei propriam et acceptabilem, quam scilicet requisivit, quam sibi prospexit. Hanc de toto corde devotam, fide pastam, veritate curatam, innocentia integram, castitate mundam, agape coronatam, Esai. i. 11. Joh. iv. 23, 24.

cum pompa operum bonorum inter psalmos et hymnos deducere ad Dei altare debemus, omnia nobis a Deo impetraturam.

CAP. ult. De vi et affectu orationis.

Quid enim orationi de spiritu et veritate venienti negavit [*fors.* negabit] Deus, qui eam exigit? Legimus, et audimus, et credimus, quanta documenta efficaciae ejus. Vetus quidem oratio et ab ignibus, et a bestiis, et ab inedia liberabat, et tamen non a Christo acceperat formam. Ceterum quanto amplius oratio Christiana, non roris Angelum in mediis ignibus sistit, nec ora leonibus obstruit, nec esurientibus rusticorum prandium transfert, nullum sensum passionis delegata gratia advertit [*corr.* avertit]; sed patientes, et sentientes, et dolentes sufferentia instruit, virtute ampliat gratiam, ut sciat fides quid a Domino consequatur, intelligens quid pro Dei nomine patiatur. Sed et retro oratio plagas irrogabat, fundebat hostium exercitus, imbrium utilia prohibebat. Nunc vero oratio justitiae omnem iram Dei avertit, pro inimicis excubat, pro persequentibus supplicat. Mirum si aquas coelestes extorquere novit, quae potuit et ignes impetrare? Sola est oratio quae Deum vincit. Sed Christus eam nihil mali novit [*fors.* voluit] operari. Omnem illi virtutem de bono contulit. Itaque nihil novit, nisi defunctorum animas de ipso mortis itinere vocare, debiles reformare, aegros remediare, daemoniacos expiare, claustra carceris aperire, vincula innocentium solvere. Eadem diluit delicta, tentationes repellit, persequutiones exstinguit, pusillanimos consolatur, magnanimos oblectat, peregrinantes deducit, fluctus mitigat, latrones obstupefacit, alit pauperes, regit [*fors.* dirigit] divites, lapsos erigit, cadentes suspendit,

Bel et Draco, 33, 34.

Luc. ix. 54.

stantes continet. Oratio murus est fidei, arma et tela nostra adversus hominem [*fors.* hostem *Oberthur*] qui nos undique observat. Itaque numquam inermes incedamus. Die stationis, nocte vigiliae meminerimus. Sub armis orationis signum nostri Imperatoris custodiamus, tubam Angeli exspectemus orantes. Orant etiam Angeli omnes. Orat omnis creatura. Orant pecudes et ferae, et genua declinant, et egredientes de stabulis ac speluncis, ad coelum non otiosi [*fors.* otiosae *Muratori*] ore suspiciunt, vibrantes [*fors.* suspiciunt vibrante,] spiritu suo movere [*fors.* movente]. Sed et aves nunc exsurgentes eriguntur ad coelum, et alarum crucem pro manibus expandunt, et dicunt aliquid quod oratio videatur. Quid ergo amplius de officio orationis ? Etiam ipse Dominus oravit, cui sit honor et virtus in saecula saeculorum.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI DE PRAESCRIPTIONE HAERETICORUM LIBER.

CAP. I. CONDITIO praesentium temporum, etiam hanc admonitionem provocat nostram, non oportere nos
Matt. xxiv. 1 Cor. xi. mirari super haereses istas sive quia sunt; futurae enim praenunciabantur: sive quia fidem quorumdam
2 Tim. ii. 18. subvertunt; ad hoc enim sunt, ut fides, habendo tentationem, haberet etiam probationem. Vane ergo et inconsiderate plerique hoc ipso scandalizantur, quod tantum haereses valeant, quantum sint [*fors.* possint]. Quum quid sortitum est, ut omnimodo sit, sicut causam accipit ob quam sit, sic vim consequitur, per quam sit, ne [*Alii* nec] esse [*fors.* nec est, si] non possit [a].

CAP. II. Febrem denique inter ceteros mortiferos et cruciarios exitus erogando homini deputatam, neque quia est miramur, est enim; neque quia erogat hominem, ad hoc enim est. Proinde haereses ad languorem et interitum fidei productas, si expavescimus hoc eas posse, prius est ut expavescamus hoc eas esse; quae dum sunt, habent posse; et dum possunt, habent esse. Sed enim febrem, ut malum et de causa, et de potentia sua, ut notum est, abominamur potius quam miramur; et quantum in nobis est, praecavemus, non habentes abolitionem

[a] [l. 15. Vide infra, p. 428.]

ejus in nostra potestate. Haereses vero mortem aeternam, et majoris ignis ardorem inferentes, malunt quidam mirari, quod hoc possint, quam devitare ne possint, quum habeant devitandi potestatem. Ceterum nihil valebunt, si illas tantum valere non mirentur. Aut enim dum mirantur, in scandalum subministrantur; aut quia scandalizantur, ideo mirantur, quasi, quod tantum valeant, ex aliqua veniat veritate. Mirum scilicet ut malum vires suas habeat! nisi quod haereses apud eos multum valeant, qui in fide non valent. In pugna pugilum et gladiatorum, plerumque non quia fortis est, vincit quis, aut quia non potest vinci; sed quoniam ille qui victus est, nullis viribus fuit: adeo idem ille victor bene valenti postea comparatus, etiam superatus recedit. Non aliter haereses de quorundam infirmitatibus habent quod valent, nihil valentes si in bene valentem fidem incurrant.

CAP. III.

Solent quidem isti infirmiores etiam de quibusdam personis ab haeresi captis, aedificari in ruinam. Quare ille vel ille, fidelissimi, prudentissimi, et usitatissimi in Ecclesia, in illam partem transierunt? Quis hoc dicens, non ipse sibi respondet, neque prudentes, neque fideles, neque usitatos aestimandos, quos haereses potuerint demutare? Et hoc mirum, opinor, ut probatus aliqui retro, postea excidat? Saul bonus prae ceteris, livore postea evertitur. 1 Reg. x. David vir bonus secundum cor Domini, postea caedis et stupri reus est. Salomon, omni gratia et sapientia donatus a Domino, ad idololatriam e mulieribus inducitur. Soli enim Dei Filio servabatur sine delicto permanere. Quid ergo si episcopus, si diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr

1 Reg. xiii. 2 Reg. xii. 3 Reg. iii. et xi.

lapsus a regula fuerit, ideo haereses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex
Matt. xi. 19, 25. fide personas? Nemo sapiens est, nisi fidelis: nemo major, nisi Christianus: nemo autem Christianus,
Matt. x. 22. nisi qui ad finem usque perseveraverit. Tu, ut homo, extrinsecus, unumquemque nosti: putas quod vides: vides autem quousque oculos habes. Sed
Esai. ii. 11. LXX. *oculi*, inquit, *Domini alti. Homo in faciem, Deus in*
1 Reg. xvi. 7. *praecordia contemplatur.* Et ideo *cognoscit Dominus*
2 Tim. ii. 19. *qui sunt ejus:* et, *plantam. quam non plantavit*
Matt. xv. 13. *Pater, eradicat:* et *de primis novissimos* ostendit:
Matt. xix. 30. et *ventilabrum in manu portat ad purgandam aream suam.* Avolent quantum volent paleae levis fidei
Marc. x. 31. Matt. iii. 12. quocumque afflatu tentationum; eo purior massa
Luc. iii. 17. frumenti in horrea Domini reponetur. Nonne ab
Joan. vi. 60, 66. ipso Domino quidam discentium scandalizati deverterunt? Nec tamen propterea ceteri quoque discedendum a vestigiis ejus putaverunt; sed qui scierunt illum vitae esse Verbum et a Deo venisse, perseveraverunt in comitatu ejus usque ad finem: quum illis, si vellent et ipsi discedere, placide obtulisset. Minus
2 Tim. i. 15. ii. 17. est si et Apostolum ejus aliqui Phygellus, et Her-
1 Tim. i. 20. mogenes, et Philetus, et Hymenaeus reliquerunt:
Matt. xxvi. 14, 47. ipse traditor Christi de Apostolis fuit. Miramur de Ecclesiis ejus, si a quibusdam deseruntur, quum ea nos ostendant Christianos, quae patimur ad exem-
1 Joan. ii. 19. plum ipsius Christi? *Ex nobis*, inquit, *prodierunt, sed non fuerunt ex nobis; si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.*

CAP. IV. Quin potius memores simus tam Dominicarum praenunciationum, quam apostolicarum litterarum, quae nobis et futuras haereses praenunciarunt, et fugiendas praefinierunt: et sicut esse illas non expa-

vescimus, ita posse id propter quod fugiendae sunt, non miremur. Instruit Dominus multos esse venturos sub pellibus ovium rapaces lupos. Quaenam istae sunt pelles ovium, nisi nominis Christiani extrinsecus superficies? Qui lupi rapaces, nisi sensus, et spiritus subdoli, ad infestandum gregem Christi intrinsecus delitescentes? Qui pseudoprophetae sunt, nisi falsi praedicatores? Qui pseudapostoli, nisi adulteri evangelizatores? Qui antichristi interim et semper, nisi Christi rebelles? Nunc sunt haereses non minus doctrinarum perversitate Ecclesiam lacessentes, quam tunc antichristus persecutionum atrocitate persequetur: nisi quod persecutio et martyras facit, haeresis apostatas tantum. Et ideo *haeresis* quoque *oportebat esse, ut probabiles quique manifestarentur*, tam qui in persecutionibus steterint, quam qui ad haereses non exorbitaverint. Neque enim eos *probabiles* intelligi jubet qui in haeresim fidem demutant: sicut ex diverso sibi interpretantur, quia dixit alibi, *Omnia examinate; quod bonum est, tenete*; quasi non liceat, omnibus male examinatis, in electionem alicujus mali impingere per errorem.

Matt. vii. 15. Act. xx. 29. 2 Cor. xi. 13. 1 Joan. ii. 18. 1 Cor. xi. 19. 1 Thess. v. 21.

CAP. V.

Porro si dissensiones et schismata increpat, quae sine dubio mala sunt, et incontinenti haereses subjungit, quod malis adjungat [*fors.* adjugat, *Junius*], malum utique profitetur, et quidem majus; quum ideo credidisse se dicat de schismatibus et dissensionibus, quia sciret etiam haereses oportere esse. Ostendit enim gravioris mali prospectu de levioribus se facile credidisse: certe non ut ideo de malis crediderit, quia haereses bonae essent, sed uti de pejoris quoque notae tentationibus praemoneret non esse mirandum; quas diceret impendere ad *probabiles*

1 Cor. xi. 16, 19.

1Co.xi.19. *quosque manifestandos*, scilicet quos non potuerint depravare. Denique si totum capitulum ad unitatem continendam, et separationes coercendas sapit, haereses vero non minus ab unitate divellunt quam schismata et dissensiones, sine dubio et haereses in ea conditione reprehensionis constituit, in qua schismata et dissensiones. Ac per hoc non eos *probabiles* facit, qui in haereses diverterint, cum maxime diverti ad ejusmodi objurgans, et docens unum omnes loqui, et idipsum sapere; quod etiam haereses non sinunt.

1 Cor. xi. 19.

1 Cor. i. 10.

CAP. VI. Nec diutius de isto, si idem est Paulus, qui et alibi haereses inter carnalia crimina numerat, scribens ad Galatas; et qui Tito suggerit, *hominem haereticam post primam correptionem* recusandum, quod perversus sit ejusmodi et delinquat, ut a semetipso damnatus. Sed et in omni paene epistola de adulterinis doctrinis fugiendis inculcans, haereses taxat, quarum opera sunt adulterae doctrinae. *Haereses* dictae Graeca voce ex interpretatione *electionis*, qua quis sive ad instituendas, sive ad suscipiendas eas, utitur. Ideo et sibi damnatum dixit haereticum, quia et in quo damnatur, sibi elegit. Nobis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt: sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus adsignaverunt. Itaque *etiamsi Angelus de coelis aliter evangelizaret, anathema* diceretur a nobis. Providerat jam tunc Spiritus Sanctus futurum in virgine quadam Philumene angelum seductionis, transfigurantem se in angelum lucis: cujus signis

Gal. v. 20.

Tit. iii. 10.

Gal. i. 8.

2 Cor. xi. 14.

et praestigiis Apelles inductus, novam haeresim induxit.

Hae sunt doctrinae hominum et daemoniorum, prurientibus auribus natae de ingenio sapientiae saecularis: quam Dominus *stultitiam* vocans, *stulta mundi* in confusionem etiam philosophiae ipsius elegit. Ea est enim materia sapientiae saecularis, temeraria interpres divinae naturae et dispositionis. Ipsae denique haereses a philosophia subornantur. Inde Aeones et formae nescio quae, et trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate: a Stoicis venerat. Et ut anima interire dicatur, ab Epicureis observatur. Et ut carnis restitutio negetur, de una omnium philosophorum schola sumitur. Et ubi materia cum Deo aequatur, Zenonis disciplina est. Et ubi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus intervenit. Eaedem materiae apud haereticos et philosophos volutantur, iidem retractatus implicantur: Unde malum? et quare? et, unde homo? et quomodo? et, quod proxime Valentinus proposuit, unde Deus? Scilicet de enthymesi et ectromate. Sequitur Aristotelem [*fors.* Aristoteles], qui illis dialecticam instituit, artificem struendi et destruendi versipellem, in sententiis coactam, in conjecturis duram, in argumentis operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractaverit. Hinc ille *fabulae* et *genealogiae interminabiles*, et *quaestiones infructuosae*, et *sermones serpentes velut cancer;* a quibus nos Apostolus refraenans, nominatim philosophiam contestatur caveri oportere, scribens ad Colossenses: *Videte ne quis vos circumveniat per philosophiam et inanem*

CAP. VII

Coloss. ii. 8, 18.
1 Tim. iv. 1
2 Tim. iv. 3
1 Cor. iii. 19

1 Tim. i. 4.
Tit. iii. 9,
2 Tim. ii. 17.

Coloss. ii. 8.

seductionem, secundum traditionem hominum, praeter providentiam Spiritus Sancti. Fuerat Athenis, et istam sapientiam humanam, affectatricem et interpolatricem veritatis, de congressibus noverat, ipsam quoque in suas haereses multipartitam varietate sectarum invicem repugnantium. Quid ergo Athenis et Hierosolymis? Quid Academiae et Ecclesiae? Quid haereticis et Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui et ipse tradiderat Dominum *in simplicitate cordis* esse quaerendum. Viderint qui Stoicum, et Platonicum, et dialecticum Christianismum protulerunt.

Act. xvii. 18.

Sap. i, 1.

CAP. VIII.

Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium. Quum credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod ultra credere debeamus. Venio itaque ad illum articulum, quem et nostri praetendunt ad ineundam curiositatem, et haeretici inculcant ad importandam curiositatem. Scriptum est, inquiunt, *Quaerite et invenietis*. Quando hanc vocem Dominus emisit, recordemur; puto in primitiis ipsis doctrinae suae, quum adhuc dubitaretur apud omnes, an Christus esset, et quum adhuc nec Petrus illum Dei Filium pronunciasset, quum etiam Joannes de illo certus esse desisset. Merito ergo tunc dictum est, *Quaerite et invenietis*, quando quaerendus adhuc erat, qui adhuc agnitus non erat, et hoc quantum ad Judaeos. Ad illos enim pertinet totus sermo suggillationis istius, qui habebant ubi quaererent Christum: *Habent*, inquit, *Moysen et Heliam*, id est, Legem et Prophetas Christum praedicantes: secundum quod et alibi aperte: *Scrutamini*, inquit, *Scripturas, in quibus*

Matt. vii. 7.

Matt. xvi. 16.

Matt. xi. 2.

Luc. xvi. 29.

Joan. v. 39.

salutem speratis; illae enim de me loquuntur. Hoc erit, *Quaerite et invenietis.* Nam et sequentia in Judaeos competere manifestum est: *Pulsate, et aperietur vobis.* Judaei retro penes Deum fuerant: dehinc, ejecti ob delicta, extra Deum esse coeperunt. Nationes vero numquam penes Deum, nisi *stillicidium de situla, et pulvis ex area*, et foris semper. Itaque qui foris semper, quomodo pulsabit eo, ubi numquam fuit? quam januam novit, in quam nec receptus, nec ejectus aliquando? An [*fors.* At *sine interrog.*] qui scit se intus fuisse et foras actum, is potius pulsabit, et ostium novit? Etiam, *Petite, et accipietis*, ei competit, qui sciebat a quo esset petendum, a quo et erat aliquid repromissum; a Deo scilicet Abraham, Isaac, et Jacob, quem nationes non magis noverant, quam ullam repromissionem ejus. Et ideo ad Israel loquebatur: *Non sum*, inquit, *missus, nisi ad oves perditas domus Israel.* Nondum canibus jactabat panem filiorum, nondum in viam nationum ire mandabat. Siquidem in fine praecepit, ut vaderent ad docendas et tinguendas nationes, consequuturi mox Spiritum Sanctum Paracletum, qui illos deducturus esset in omnem veritatem. Et hoc erga illos facit. Quod si nationibus destinati doctores Apostoli, ipsi quoque doctorem consequuturi erant Paracletum, multo magis vacabat erga nos *Quaerite, et invenietis*, quibus ultro erat obventura doctrina per Apostolos, et ipsis Apostolis per Spiritum Sanctum. Omnia quidem dicta Domini omnibus posita sunt, quae per aures Judaeorum ad nos transierunt; sed pleraque in personas directa, non proprietatem admonitionis nobis constituerunt, sed exemplum.

Matt. vii. 7.

Isai. xl. 15.

Matt. vii. 7.

Exod. iii. 6.

Matt. xv. 24.

Matt. x. 5, 6.

Matth. xxviii. 19.

Joan. xvi. 13.

Matt. vii. 7.

Rom. xv. 9-12.

CAP. IX. Cedo nunc sponte de gradu isto. Omnibus dictum sit, *Quaerite, et invenietis;* tamen et hic expedit sensu [*fors.* de sensu] certare cum interpretationis gubernaculo. Nulla vox divina ita dissoluta est et diffusa, ut verba tantum defendantur, et ratio verborum non constituatur. Sed in primis hoc propono: unum utique et certum aliquid institutum esse a Christo, quod credere omnimodo debeant nationes, et idcirco quaerere, ut possint quum invenerint credere. Unius porro et certi instituti infinita inquisitio non potest esse. Quaerendum est donec invenias, et credendum ubi inveneris: nihil amplius, nisi custodiendum quod credidisti. Dum hoc insuper credas, aliud non esse credendum, ideoque nec requirendum, quum id inveneris et credideris quod ab eo institutum est qui non aliud tibi mandat inquirendum, quam quod instituit. De hoc quidem si qui dubitat, constabit penes nos esse id quod a Christo institutum est. Interim ex fiducia probationis praevenio, admonens quosdam nihil esse quaerendum ultra quod crediderunt; id esse quod quaerere debuerunt: ne, *Quaerite, et invenietis*, sine disciplina rationis interpretentur.

CAP. X. Ratio autem dicti hujus in tribus articulis constitit; in re, in tempore, in modo: in re, ut quid sit quaerendum consideres; in tempore, ut quando; in modo, ut quousque. Igitur quaerendum est quod Christus instituit; utique quando non invenis; utique donec invenias. Invenisti autem quum credidisti; nam non credidisses, si non invenisses; sicut nec quaesisses, nisi ut invenires. Ad hoc ergo quaeris ut invenias, et ad hoc invenis ut credas. Omnem prolationem quaerendi et inveniendi credendo fix-

isti. Hunc tibi modum statuit fructus ipse quaerendi. Hanc tibi fossam determinavit ipse qui te non vult aliud credere, quam quod instituit, ideoque nec quaerere. Ceterum, si quia et alia tanta ab aliis sunt instituta, propterea in tantum quaerere debemus, in quantum possumus invenire, semper quaeremus, et numquam omnino credemus. Ubi enim erit finis quaerendi? ubi statio credendi? ubi expunctio inveniendi? Apud Marcionem? sed et Valentinus proponit *Quaerite, et invenietis.* Apud Valentinum? sed et Apelles hac me pronunciatione pulsabit; et Hebion, et Simon, et omnes ordine non habent aliud quo, se mihi insinuantes, me sibi addicant. Ero itaque nusquam, dum ubique convenio *Quaerite, et invenietis:* et velim [*subaudiendum videtur*, dicere. *Vid. notam*] sic nusquam, quasi qui nunquam apprehenderim illud, quod Christus instituit, quod quaeri oportet, quod credi necesse est.

CAP. XI. Impune erratur, nisi delinquatur; quamvis errare delinquere est: impune, inquam, vagatur, qui nihil deserit. At enim si quod debui credere, credidi, et aliud denuo puto requirendum, spero utique et aliud esse inveniendum: nullo modo speraturus istud, nisi quia aut non credideram qui videbar credidisse, aut desii credidisse. Ita fidem meam deserens, negator invenior. Semel dixerim, nemo quaerit, nisi qui aut non habuit, aut perdidit. Perdiderat unam ex decem drachmis anus illa, et ideo quaerebat: ubi tamen invenit, quaerere desiit. Panem vicinus non habebat, et ideo pulsabat: ubi tamen apertum est ei, et accepit, pulsare cessavit. Vidua a judice petebat audiri, quia non admittebatur; sed

Luc. xv. Luc. xi. Luc. xviii.

ubi audita est, hactenus institit. Adeo finis est et
Luc. xi. quaerendi, et pulsandi, et petendi. *Petenti enim dabitur*, inquit, *et pulsanti aperietur, et quaerenti invenietur*. Viderit qui quaerit semper, quia non invenit [*fors.* inveniet, *Anon.*]; illic enim quaerit ubi non invenietur. Viderit qui semper pulsat, quia numquam aperietur; illic enim pulsat, ubi nemo est. Viderit qui semper petit, quia numquam audietur; ab eo enim petit, qui non audit.

CAP. XII. Nobis etsi quaerendum esset adhuc et semper, ubi, tamen, quaeri oportet. Apud haereticos, ubi om-
2 Joan. 10. vel potius, Rom. xvi. 17. nia extranea et adversaria nostrae veritati, ad quos vetamur accedere? Quis servus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico domini sui sperat? Quis miles ab infoederatis, ne dicam ab hostibus regibus, donativum et stipendium captat; nisi plane desertor et
Luc. xv. transfuga, et rebellis? Etiam anus illa intra tectum
Luc. xi. suum drachmam requirebat: etiam pulsator ille vi-
Luc. xviii. cini januam tundebat: etiam vidua illa non inimicum, licet durum judicem interpellabat. Nemo inde strui potest unde destruitur. Nemo ab eo illuminatur, a quo contenebratur. Quaeramus ergo in nostro, et a nostris, et de nostro; idque dumtaxat, quod, salva regula fidei, potest in quaestionem devenire.

CAP. XIII. Regula est autem fidei, ut jam hinc quid defen-
Deut. vi. 4. Isai. xliv. 8. 2 Mac. vii. 28. Joan. i. 1–3. damus profiteamur, illa scilicet qua creditur, Unum omnino Deum esse, nec alium praeter mundi conditorem, qui universa de nihilo produxerit per Verbum suum primo omnium emissum: id Verbum
Gen. xxxii. Hebr. i. 1. Filium ejus apellatum, in nomine Dei varie visum a Patriarchis, in Prophetis semper auditum, postremo delatum ex Spiritu Patris Dei et virtute in vir-

ginem Mariam, carnem factum in utero ejus; et ex ea natum egisse Jesum Christum: exinde praedicasse novam legem, et novam promissionem regni coelorum; virtutes fecisse; fixum cruci; tertia die resurrexisse; in coelos ereptum sedisse ad dexteram Patris; misisse vicariam vim Spiritus Sancti, qui credentes agat; venturum cum claritate ad sumendos sanctos in vitae aeternae et promissorum coelestium fructum, et ad profanos adjudicandos igni perpetuo, facta utriusque partis resuscitatione cum carnis restitutione. Matt. i. 18. xxviii. Matt. iv. 23. Matt. ix. Marc. xvi. 19. Act. ii. Matt. xxv. 31. Joan. v. 28, 29.

CAP. XIV.

Haec regula a Christo, ut probabitur, instituta, nullas habet apud nos quaestiones, nisi quas haereses inferunt, et quae haereticos faciunt. Ceterum manente forma ejus in suo ordine, quantumlibet quaeras, et tractes, et omnem libidinem curiositatis effundas, si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari, est utique frater aliqui doctor gratia scientiae donatus, est aliqui inter exercitatos conversatus, aliqui tecum, curiosius tamen, quaerens. Novissime, ignorare melius est, ne quod non debeas noris, quia quod debeas nosti. *Fides*, inquit, *tua te salvum fecit:* non exercitatio Scripturarum. Fides in regula posita est: habes legem, et salutem de observatione legis: exercitatio autem in curiositate consistit, habens gloriam solam de peritiae studio. Cedat curiositas fidei, cedat gloria saluti. Certe aut non obstrepant, aut quiescant. Adversus regulam nihil scire, omnia scire est. Ut non inimici essent veritatis haeretici, ut de refugiendis eis non praemoneremur, quale est conferre cum hominibus, qui et ipsi adhuc se quaerere profiteantur? Si enim adhuc vere quaerunt, nihil adhuc certi repere- Luc. xviii. 42.

runt; et ideo quodcumque videntur interim tenere, dubitationem suam ostendunt quamdiu quaerunt. Itaque tu, qui perinde quaeris, spectans ad eos qui et ipsi quaerunt, dubius a dubiis, incertus ab incertis, caecus a caecis, in foveam deducaris necesse est. Sed quum decipiendi gratia praetendunt se adhuc quaerere, ut nobis per sollicitudinis injectionem tractatus suos insinuent, denique ubi adierint ad nos, statim, quae dicebant quaerenda esse, defendunt, jam illos sic debemus refutare, ut sciant nos non Christo, sed sibi negatores esse. Quum enim quaerunt adhuc, nondum tenent; quum autem non tenent, nondum crediderunt; quum autem nondum crediderunt, non sunt Christiani. At quum tenent quidem et credunt, quaerendum tamen dicunt ut defendant: antequam defendant, negant quod credunt, confitentes se nondum credidisse, dum quaerunt. Qui ergo nec sibi sunt Christiani, quanto magis nobis? Qui per fallaciam veniunt, qualem fidem disputant? Cui veritati patrocinantur, qui eam a mendacio inducunt?

Matt. xv. 14.

CAP. XV. Sed ipsi de Scripturis agunt, et de Scripturis suadent. Aliunde scilicet loqui possent de rebus fidei, nisi ex litteris fidei? Venimus igitur ad propositum; huc enim dirigebamus, et hoc praestruebamus adlocutionis praefatione, ut jam hinc de eo congrediamur, de quo adversarii provocant. Scripturas obtendunt, et hac sua audacia statim quosdam movent; in ipso vero congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hunc igitur potissimum gradum obstruimus, non admittendos eos ad ullam de Scripturis disputationem. Si hae sunt illae vires eorum, uti eas

habere possint, dispici debet, cui competat possessio Scripturarum, ne is admittatur ad eam, cui nullo modo competit.

Hoc de consilio diffidentiae, aut de studio aliter ineundae constitutionis induxerim, nisi ratio constiterit, in primis illa, quod fides nostra obsequium Apostolo debeat prohibenti quaestiones inire, novis vocibus aures accommodare, *haereticum post unam correptionem* convenire, non post disputationem. Adeo interdixit disputationem, correptionem designans causam haeretici conveniendi; et [*fors.* ex] hoc *unam*, scilicet, quia non est Christianus, ne more Christiani, semel et iterum, et sub duobus aut tribus testibus castigandus videretur: quum ob hoc sit castigandus, propter quod non sit cum illo disputandum, deinde quoniam nihil proficiat congressio Scripturarum, nisi plane ut aut stomachi qua ineat eversionem, aut cerebri. CAP. XVI. 1 Tim. vi. 20. Tit. iii. 9, 10. Matt. xviii. 16.

Ista haeresis non recipit quasdam Scripturas, et si quas recipit, non recipit integras; adjectionibus et detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit, et si aliquatenus integras praestat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum et corruptor stylus. Variae [*fors.* vanae. *Canterus*] praesumptiones necessario nolunt agnoscere ea, per quae revincuntur. His nituntur quae ex falso composuerunt, et quae de ambiguitate ceperunt. Quid promovebis exercitatissime Scripturarum quum si quid defenderis, negetur? ex diverso, si quid negaveris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione, nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione. CAP. XVII.

CAP. XVIII. Ille vero, si quis est cujus causa in congressum descendis Scripturarum, ut eum dubitantem confirmes, ad veritatem, an magis ad haereses deverget? Hoc ipso motus, quod te videat nihil promovisse, aequo gradu negandi et defendendi diversa [*fors.* a diversa] parte statutum, certe de pari altercatione incertior discedet, nesciens quam haeresim judicet. Haec utique et ipsi habent in nos retorquere. Necesse est enim et illos dicere, a nobis potius adulteria Scripturarum et expositionum mendacia inferri, qui proinde [*fors.* perinde] sibi defendant veritatem.

CAP. XIX. Ergo non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est, aut par incertae. Nam etsi non ita evaderet conlatio Scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat, illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: Quibus competat fides ipsa? Cujus sint Scripturae? A quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani? Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei Christianae, illic erit veritas Scripturarum, et expositionum, et omnium traditionum Christianarum.

CAP. XX. Christus Jesus Dominus noster, (permittat dicere interim, quisquis est, cujuscumque Dei Filius, cujuscumque materiae homo et Deus, cujuscumque fidei praeceptor, cujuscumque mercedis repromissor; quid esset, quid fuisset, quam Patris voluntatem administraret, quid homini agendum determinaret,) quamdiu in terris agebat, ipse pronunciabat sive populo palam, sive discentibus seorsum, ex quibus duodecim praecipuos lateri suo adlegerat, destinatos

Joan. ix. Joan. viii. Joan. vi. Matt. xix. Matt. v. Matt. xii. Matt. x. Matt. xxvii.

nationibus magistros. Itaque uno eorum decusso, reliquos undecim, digrediens ad Patrem post resurrectionem, jussit ire et docere nationes, intinguendas in Patrem et in Filium et in Spiritum Sanctum. Matt. xxviii. 19.
Statim igitur Apostoli, quos haec appellatio *missos* interpretatur, assumpto per sortem duodecimo Matthia in locum Judae ex auctoritate prophetiae quae est in psalmo David, consecuti promissam vim Spiritus Sancti ad virtutes et eloquium, primo per Judaeam contestata fide in Jesum Christum, et Ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt; et proinde Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinae ceterae exinde Ecclesiae mutuatae sunt, et quotidie mutuantur, ut Ecclesiae fiant. Ac per hoc et ipsae apostolicae deputantur, ut soboles apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur, necesse est; itaque tot ac tantae Ecclesiae, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primae, et omnes apostolicae, dum una omnes. Probant unitatem communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis: quae jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio.

Act. i. Ps. cix. 8. Act. ii. Act. viii, ix, xi. Act. xiii, xiv.

CAP. XXI.

Hinc igitur dirigimus praescriptionem: si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad praedicandum, alios non esse recipiendos praedicatores quam quos Christus instituit, quia *nec alius Patrem novit nisi Filius, et cui Filius revelavit.* Nec aliis videtur revelasse Filius, quam Apostolis, quos misit ad praedicandum utique quod illis revelavit. Quid autem praedicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit,

Matt. x. 7. Luc. x. 22.

et hic praescribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi, eis praedicando, tam viva quod aiunt voce, quam per epistolas postea. Si haec ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis Ecclesiis apostolicis, matricibus et [*fors.* et *delend.*] originalibus fidei, conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem [*fors.* tenentibus] quod Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit; reliquam vero omnem doctrinam de mendacio praejudicandam, quae sapiat contra veritatem Ecclesiarum, et Apostolorum, et Christi, et Dei. Superest ergo uti demonstremus an haec nostra doctrina, cujus regulam supra edidimus, de Apostolorum traditione censeatur, et ex hoc ipso, an ceterae de mendacio veniant. Communicamus cum Ecclesiis apostolicis, quod nulla doctrina diversa. Hoc est testimonium veritatis.

2 Thess. ii. 2, 7.

CAP. XXII. Sed quoniam tam expedita probatio est, ut si statim proferatur, nihil jam sit retractandum, ac si prolata non sit a nobis, locum interim demus diversae parti, si quid putant ad infirmandam hanc praescriptionem movere se posse. Solent dicere, non omnia Apostolos scisse; eadem agitati dementia, qua rursus [*fors.* qua susum jusum *Rigalt. Vid. not.*] convertunt, omnia quidem Apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse: in utroque Christum reprehensioni subjicientes, qui aut minus instructos, aut parum simplices Apostolos miserit. Quis igitur integrae mentis credere potest, aliquid eos ignorasse, quos magistros Dominus dedit, individuos habens in comitatu, in discipulatu, in convictu, quibus obscura quaeque seorsim disserebat, illis dicens datum esse cognoscere arcana, quae populo intelligere non

Matt. xxviii. 19.

Matt. xiii.

liceret? Latuit aliquid Petrum, aedificandae Ecclesiae petram dictum, claves regni coelorum consecutum, et solvendi et alligandi in coelis et in terris potestatem? Latuit et Joannem aliquid, dilectissimum Domino, pectori ejus incubantem, cui soli Dominus Judam traditorem praemonstravit, quem loco suo filium Mariae demandavit? Quid eos ignorasse voluit, quibus etiam gloriam suam exhibuit, et Moysen et Heliam, et insuper de coelo Patris vocem, non quasi ceteros reprobans, sed quoniam *in tribus testibus stabit omne verbum?* Ignoraverunt itaque et illi, quibus post resurrectionem quoque in itinere omnes Scripturas edisserere dignatus est? Dixerat plane aliquando: *Multa habeo adhuc vobis loqui, sed non potestis modo ea sustinere;* tamen adjiciens, *Quum venerit ille Spiritus veritatis, ipse vos deducet in omnem veritatem,* ostendit illos nihil ignorasse, quos *omnem veritatem* consecuturos per *Spiritum veritatis* repromiserat; et utique implevit repromissum, probantibus Actis Apostolorum descensum Spiritus Sancti. Quam Scripturam qui non recipiunt, nec Spiritus Sancti esse possunt, qui necdum Spiritum Sanctum possint agnoscere discentibus missum; sed nec Ecclesiam defendere, qui, quando, et quibus incunabulis institutum est hoc corpus, probare non habent. Tanti enim est illis non habere probationes eorum quae defendunt, ne pariter admittantur traductiones eorum quae mentiuntur.

Matt. xvi. 19. Joan. xiii. 26. Joan. xix. 27. Matt. xvii. 1—5. Deut. xix. 15. Joan. xvi. 12, 13. Act. ii. 11.

CAP. XXIII.

Proponunt ergo ad suggillandam ignorantiam aliquam Apostolorum, quod Petrus et qui cum eo reprehensi sint a Paulo. Adeo, inquiunt, aliquid eis defuit; ut ex hoc etiam illud struant, potuisse postea pleniorem scientiam supervenire, qualis obvenerit

Gal. ii.

Paulo reprehendenti antecessores. Possumus et hic Acta Apostolorum repudiantibus dicere, prius est uti ostendatis quis iste Paulus, et quid ante Apostolum, et quomodo Apostolus: quatenus et alias ad quaestiones plurimum eo utuntur. Neque enim si ipse se Apostolum de persecutore profitetur, sufficit unicuique examinate credenti, quando nec Dominus ipse de se testimonium dixerit. Sed credant sine Scripturis, ut credant adversus Scripturas: tamen doceant ex eo, quod allegant Petrum a Paulo reprehensum, aliam Evangelii formam a Paulo superductam, citra eam quam praemiserat Petrus et ceteri. Atqui demutatus in praedicatorem de persecutore, deducitur ad fratres a fratribus ut unus ex fratribus, et ad illos ab illis qui ab Apostolis fidem induerant. Dehinc, sicut ipse enarrat, ascendit Hierosolymam cognoscendi Petri causa, ex officio et jure scilicet ejusdem fidei et praedicationis. Nam et illi non essent admirati de persecutore factum praedicatorem, si aliquid contrarium praedicaret; nec Dominum praeterea magnificassent, quia adversarius ejus Paulus obvenerat. Itaque et dexteram ei dederunt, signum concordiae et convenientiae, et inter se distributionem officii ordinaverunt, non separationem Evangelii; nec ut aliud alter, sed ut aliis alter praedicaret, Petrus in circumcisionem, Paulus in nationes. Ceterum si reprehensus est Petrus, quod, quum convixisset ethnicis, postea se a convictu eorum separabat personarum respectu, utique conversationis fuit vitium, non praedicationis. Non enim ex hoc alius Deus, quam Creator, et alius Christus, quam ex Maria, et alia spes, quam resurrectio annuntiabatur.

Act. ix. 1—17.
Gal. i. 13.
Joan. v. 31.
Gal. ii. 11.
Act. ix. 20.
Gal. ii. 1.
Act. ix.
Act. xxi. 17.
Gal. ii. 9.

CAP. XXIV.

Non mihi tam bene est, immo non mihi tam male est, ut Apostolos committam. Sed quoniam perversissimi isti illam reprehensionem ad hoc obtendunt, ut suspectam faciant doctrinam superiorem, respondebo, quasi pro Petro, ipsum Paulum dixisse, factum se esse omnibus omnia, Judaeis Judaeum, non Judaeis non Judaeum, ut omnes lucrificaret. Adeo pro temporibus, et personis, et causis quaedam reprehendebant, in quae et ipsi aeque pro temporibus et personis et causis committebant; quemadmodum si et Petrus reprehenderet Paulum, quod prohibens circumcisionem, circumciderit ipse Timotheum. Viderint qui de Apostolis judicant. Bene quod Petrus Paulo et in martyrio adaequatur. Sed etsi in tertium usque coelum ereptus Paulus, et in paradisum delatus, audiit quaedam illic, non possunt videri ea fuisse, quae illum in aliam doctrinam instructiorem praestarent; quum ita fuerit conditio eorum, ut nulli hominum proderentur. Quod si ad alicujus conscientiam manavit nescio quid illud, et hoc se aliqua haeresis sequi affirmat, aut Paulus secreti proditi reus est, aut et alius postea in paradisum ereptus debet ostendi, cui permissum sit eloqui quae Paulo mutire non licuit.

1 Cor. ix. 19-22.

Act. xvi. 3.

2 Cor. xii.

CAP. XXV.

Sed, ut diximus, eadem dementia est, quum confitentur quidem nihil Apostolos ignorasse, nec diversa inter se praedicasse, non tamen omnia volunt illos omnibus revelasse; quaedam enim palam et universis, quaedam secreto et paucis demandasse, quia et hoc verbo usus est Paulus ad Timotheum: *O Timothee, depositumcustodi;* et rursum, *Bonum depositum custodi.* Quod hoc depositum est tam idoneum [*Alii* tacitum: *fors. legendum*, tam tacitum, ido-

1 Tim. vi. 20. 2 Tim. i. 14.

neum] ut alteri doctrinae deputetur? An illius de-
1 Tim. i. 18. nuntiationis, de qua ait: *Hanc denuntiationem com-*
1 Tim. vi. 13. *mendo apud te, fili Timothee?* Item illius praecepti, de quo ait, *Denuntio tibi ante Deum, qui vivificat omnia, et Jesum Christum, qui testificatus est sub Pontio Pilato bonam confessionem, ut custodias praeceptum?* Quod autem praeceptum, et quae denuntiatio? Ex supra et infra scriptis intelligetur, non nescio quid subostendi hoc dicto de remotiore doctrina, sed potius inculcari de non admittenda alia praeter eam, quam
2 Tim. ii. 2. audierat ab ipso, et puto palam: *Coram multis*, inquit, *testibus*. Quos multos testes, si nolunt Ecclesiam intelligi, nihil interest; quando nihil tacitum fuerit, quod sub multis testibus proferebatur. Sed
Ibid. nec quia illum monet *haec fidelibus hominibus demandare, qui idonei sint et alios docere*, id quoque ad argumentum occulti alicujus Evangelii interpretandum est. Nam quum dicit, *haec*, de eis dicit, de quibus in praesenti scribebat; de occultis autem ut de absentibus apud conscientiam, non *haec*, sed *illa* dixisset.

CAP. XXVI. Porro consequens erat, ut cui demandabat Evangelii administrationem, non passim nec inconsiderate administrandam adjiceret, secundum Domini-
Matt. vii. 6. cam vocem, *ne margaritam porcis, et sanctum canibus jactaret*. Dominus palam edixit, sine ulla significa-
Matt. x. 27. tione alicujus taciti sacramenti. Ipse praeceperat, si quid in tenebris et in abscondito audissent, in
Luc. xix. 20. luce et in tectis praedicarent. Ipse per similitudinem praefiguraverat, ne unam *mnam*, id est, unum verbum ejus, sine fructu in abdito reservarent. Ipse docebat, lucernam non sub modium abstrudi solere,
Matt. v. 15. sed in candelabrum constitui, *ut luceat omnibus qui*
Act. iv. 20, 33. *in domo sunt*. Haec Apostoli aut neglexerunt, aut

minime intellexerunt, si non adimpleverunt, abscondentes aliquid de lumine, id est, de Dei verbo, et Christi sacramento. Neminem, quod scio, verebantur, non Judaeorum vim, non ethnicorum: quo magis utique in Ecclesia libere praedicabant, qui in synagogis et in locis publicis non tacebant. Immo neque Judaeos convertere, neque ethnicos inducere potuissent, nisi quod credi ab eis volebant ordine exponerent. Multo magis jam credentibus Ecclesiis nihil subtraxissent, quod aliis paucis seorsum demandarent: quamquam, et si quaedam inter domesticos, ut ita dixerim, disserebant, non tamen ea fuisse credendum est, quae aliam regulam fidei superducerent, diversam et contrariam illi quam catholice in medium proferebant: ut alium Deum in Ecclesia dicerent, alium in hospitio; et aliam Christi substantiam designarent in aperto, aliam in secreto; et aliam spem resurrectionis apud omnes annuntiarent, aliam apud paucos: quum ipsi obsecrarent in epistolis suis, ut *id ipsum* et unum loquerentur omnes, et non essent schismata et dissensiones in Ecclesia, quia sive Paulus, sive alii, eadem praedicarent. Alioquin meminerant *Sit sermo vester, Est, est; Non, non: quod amplius, hoc a malo est:* ne scilicet Evangelium in diversitate tractarent.

1 Cor. iv. 1. Col. iv. 4. Eph. iii. 4.

1 Cor. i. 10.

Matt. v. 37.

CAP. XXVII.

Si ergo incredibile est, vel ignorasse Apostolos plenitudinem praedicationis, vel non omnem ordinem regulae omnibus edidisse, videamus, ne forte Apostoli quidem simpliciter et plene, Ecclesiae autem suo vitio aliter acceperint quam Apostoli proferebant. Omnia ista scrupulositatis incitamenta invenias praetendi ab haereticis. Tenent correptas ab Apostolis Ecclesias: *O insensati Galatae, quis vos fascinavit?*

Gal. iii. 1.

Gal. v. 7. et, *Tam* [*fors.* item, pro, et, *Tam, Junius. Vid. not.*]
Gal. i. 6. *bene currebatis, quis vos impedit?* Ipsumque principium, *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam, ad aliud Evangelium.*
1 Cor. iii. 1, 2. 1 Cor. viii. 2. Item ad Corinthios scriptum, quod essent adhuc carnales, qui lacte educarentur, nondum idonei ad pabulum, qui putarent se scire aliquid, quando nondum scirent quemadmodum sciri oporteret. Quum correptas Ecclesias opponunt, credant emendatas.
Rom. xv. 14. Ephes. i. 15, 16. Philipp. i. 3. Sed et illas recognoscant, de quarum fide et scientia et conversatione Apostolus gaudet et Deo gratias agit: quae tamen hodie cum illis correptis unius institutionis jura miscent.

CAP. XXVIII. Joan. xiv. 26. xv. 26. Age nunc: Omnes erraverint; deceptus sit et Apostolus de testimonio reddendo quibusdam; nullam respexerit Spiritus Sanctus uti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis; neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos praedicabat: ecquid verisimile est, ut tot ac tantae in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus: exitus variasse debuerat ordinem [*fors.* Nullus inter multos eventus unus exitus: variasse debuerant ordine, *Vide notam*] doctrinae Ecclesiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere, illos errasse qui tradiderunt.

CAP. XXIX. Quoquo modo sit erratum, tamdiu utique regnavit error, quamdiu haereses non erant; aliquos Marcionitas et Valentinianos liberanda veritas exspectabat: interea perperam evangelizabatur, perperam crede-

batur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata. Aut si non perperam, nec in vacuum, quale est ut ante res Dei currerent, quam cujus Dei notum esset? ante Christiani, quam Christus inventus? ante haeresis, quam vera doctrina? Sed enim in omnibus veritas imaginem antecedit, post rem similitudo succedit. Ceterum satis ineptum, ut prior in [*fors.* illa] doctrina haeresis habeatur, vel quoniam ipsa est quae futuras haereses cavendas praenuntiabat. Ad ejus doctrinae Ecclesiam scriptum est, immo ipsa doctrina ad Ecclesiam suam scribit: *Et si Angelus de coelo aliter evangelizaverit citra quam nos, anathema sit.* Matt. xxiv. 11, 24. Gal. i. 8.

CAP. XXX.

Ubi tunc Marcion, Ponticus nauclerus, Stoicae studiosus? ubi Valentinus, Platonicae sectator? Nam constat illos neque adeo olim fuisse, Antonini fere principatu, et in Catholicae primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem sub episcopatu Eleutheri benedicti, donec ob inquietam semper eorum curiositatem, qua fratres quoque vitiabant, semel et iterum ejecti, (Marcion quidem cum ducentis sestertiis, quae Ecclesiae intulerat) novissime in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminaverunt. Postmodum idem Marcion poenitentiam confessus, quum conditioni datae sibi occurrit, ita pacem recepturus, si ceteros quos perditioni erudisset Ecclesiae restitueret, morte praeventus est. Oportebat enim haereses esse, nec tamen ideo bonum haereses, quia eas esse oportebat. Quasi non et malum oportuerit esse. Nam et 1 Cor. xi. 19.

Marc. xiv. 21. Dominum tradi oportebat; sed *Vae* traditori: ne quis etiam hinc haereses defendat. Si et Apellis stemma retractandum est, tam non [*fors.* non tam] vetus et ipse, quam Marcion institutor et praeformator ejus; sed lapsus in feminam, desertor continentiae Marcionensis, ab oculis sanctissimi magistri Alexandriam secessit. Inde post annos regressus non melior, nisi tantum qua jam non Marcionites, in alteram feminam impegit, illam virginem Philumenen, quam supra edidimus, postea vero immane postibulum, et ipsam cujus energemate circumventus, quas ab ea didicit, Phaneroseis scripsit. Adhuc in saeculo supersunt qui meminerint eorum, etiam proprii discentes et successores ipsorum, ut ne posteriores negare possint. Quamquam et de operibus suis, ut Matt. vii. 16. dixit Dominus, revincuntur. Si enim Marcion novum Testamentum a vetere separavit, posterior est eo, quod separavit; quia separare non posset, nisi quod unitum fuit. Unitum ergo ante quam separaretur, postea separatum, posteriorem ostendit separatorem. Item Valentinus, aliter exponens et sine dubio emendans, hoc nomine quicquid emendat ut mendosum retro, anterius fuisse demonstrat. Hos ut insigniores et frequentiores adulteros veritatis nominamus. Ceterum et Nigidius nescio quis, et Acts xiii. 10. Hermogenes, et multi alii, adhuc ambulant pervertentes vias Dei: cupio ostendant mihi ex qua auctoritate prodierunt. Si alium Deum praedicant, quomodo ejus Dei rebus, et litteris, et nominibus utuntur adversus quem praedicant? si eundem, quomodo aliter? Probent se novos Apostolos esse: dicant Christum iterum descendisse, iterum ipsum docuisse, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum resusci-

tatum: sic enim Apostolos solet facere, dare illis praeterea virtutem eadem signa edendi, quae et ipse. Volo igitur et virtutes eorum proferri, nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, qua Apostolos in perversum aemulantur; illi enim de mortuis suscitabant, isti de vivis mortuos faciunt. Marc. xvi.

CAP. XXXI.

Sed ab excessu revertar ad principalitatem veritati, et posteritatem mendacitati deputandam, ex illius quoque parabolae patrocinio, quae bonum semen frumenti a Domino seminatum in primore constituit, avenarum autem sterilis foeni adulterium ab inimico diabolo postea superducit. Proprie enim doctrinarum distinctionem figurat, quia et alibi verbum Dei seminis [*fors.* ut alibi verbi Dei semen] similitudo est; ita ex ipso ordine manifestatur, id esse Dominicum et verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum et falsum, quod sit posterius immissum. Ea sententia manebit adversus posteriores quasque haereses; quibus nulla constantia de conscientia competit ad defendendam sibi veritatem. Matt. xiii. 24–30. Luc. viii. 11.

CAP. XXXII.

Ceterum, si quae audent interserere se aetati apostolicae, ut ideo videantur ab Apostolis traditae, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere, edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae apostolicae census suos deferunt: sicut Smyrnaeorum Ecclesia Polycarpum ab Joanne conlocatum refert; sicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum itidem; perinde utique et ceterae exhibent, quos ab Apostolis

in episcopatum constitutos, apostolici seminis traduces habeant [*fors.* habent, *Latinius*]. Confingant tale aliquid haeretici. Quid enim illis post blasphemiam inlicitum est? Sed, etsi confinxerint, nihil promovebunt. Ipsa enim doctrina eorum, cum apostolica comparata, ex diversitate et contrarietate sua pronuntiabit, neque Apostoli alicujus auctoris esse, neque apostolici: quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ita et apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi qui ab Apostolis desciverunt, et aliter praedicaverunt. Ad hanc itaque formam provocabuntur ab illis Ecclesiis, quae licet nullum ex Apostolis vel apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quae denique quotidie instituuntur, tamen in eadem fide conspirantes, non minus apostolicae deputantur pro consanguinitate doctrinae. Ita omnes haereses ad utramque formam a nostris Ecclesiis provocatae, probant se quaqua putant apostolicas. Sed adeo nec sunt, nec probare possunt; quod non sunt, nec recipiuntur in pacem et communicationem ab Ecclesiis quoquo modo apostolicis: scilicet ob diversitatem sacramenti nullo modo apostolicae.

CAP. XXXIII. Adhibeo super haec ipsarum doctrinarum recognitionem, quae tunc sub Apostolis fuerunt, ab iisdem Apostolis et demonstratae et dejeratae. Nam et sic facilius traducentur, dum aut jam tunc fuisse deprehendentur aut ex illis, quae jam tunc fuerunt, semina sumpsisse. Paulus in prima ad Corinthios
1 Cor. xv. notat negatores et dubitatores resurrectionis. Haec opinio propria Sadducaeorum: partem ejus usurpat Marcion, et Apelles, et Valentinus, et si qui alii resurrectionem carnis infringunt. Et ad Galatas

scribens, invehitur in observatores et defensores circumcisionis et legis: Hebionis haeresis est. Timotheum instruens nuptiarum quoque interdictores suggillat: ita instituunt Marcion, et Apelles ejus secutor. Aeque tangit eos, qui dicerent factam jam resurrectionem: id de se Valentiniani adseverant. Sed et quum *genealogias indeterminatas* nominat, Valentinus agnoscitur: apud quem Aeon ille nescio qui novi et non unius nominis, generat e sua Charite Sensum et Veritatem; et hi aeque procreant duos, Sermonem et Vitam: dehinc et isti generant Hominem et Ecclesiam; estque haec prima ogdoas Aeonum. Exinde decem alii, et duodecim reliqui Aeones miris nominibus oriuntur, in meram fabulam triginta Aeonum. Idem Apostolus, quum improbat elementis servientes, aliquem Hermogenem ostendit, qui materiam non natam introducens, Deo non nato eam comparat, et ita matrem elementorum deam faciens, potest ei servire, quam Deo comparat. Joannes vero in Apocalypsi idolothyta edentes et stupra committentes jubet castigare. Sunt et nunc alii Nicolaïtae; Caïana haeresis dicitur. At in epistola eos maxime antichristos vocat, qui Christum negarent in carne venisse, et qui non putarent Jesum esse Filium Dei: illud Marcion, hoc Hebion vindicavit. Simonianae autem magiae disciplina Angelis serviens, utique et ipsa inter idololatrias deputabatur, et a Petro Apostolo in ipso Simone damnabatur.

Gal. v. 2-4. 1 Tim. iv. 3. 2 Tim. ii. 18. 1 Tim. i. 4. Tit. iii. 9. Gal. iv. 9. Apoc. ii. 14. 1 Joan. iv. Col. ii. 18. Act. viii. 20.

CAP. XXXIV.

Haec sunt, ut arbitror, genera doctrinarum adulterinarum, quae sub Apostolis fuisse ab ipsis Apostolis discimus; et tamen nullam invenimus institutionem inter tot diversitates perversitatum, quae de Deo

creatore universorum controversiam moverit. Nemo alterum Deum ausus est suspicari : facilius de Filio, quam de Patre haesitabatur, donec Marcion, praeter creatorem, alium Deum solius bonitatis induceret : Apelles creatorem Angelum nescio quem gloriosum superioris Dei, faceret Deum legis et Israelis, illum igneum affirmans : Valentinus Aeonas suos spargeret, et unius Aeonis vitium in originem deduceret Dei creatoris. His solis et his primis revelata est veritas Divinitatis, majorem scilicet dignationem et pleniorem gratiam a diabolo consecutis, qui Deum sic quoque voluerit aemulari, ut de doctrinis venenorum, quod Dominus negavit, ipse faceret discipulos super magistrum. Eligant igitur sibi tempora universae haereses, quae [*fors. delend.*] quando fuerint, dum [*fors.* quum] non intersit quae [*fors. distinguendum post* quae] quando de veritate non sint. Utique quae ab Apostolis nominatae non fuerunt, sub Apostolis fuisse non possunt. Si enim fuissent, nominarentur et ipsae, ut et ipsae coercendae. Quae vero sub Apostolis fuerunt, in sua nominatione damnantur. Sive ergo eaedem nunc sunt aliquanto expolitiores, quae sub Apostolis rudes, habent suam exinde damnationem ; sive aliae quidem illae fuerunt, aliae autem postea obortae quasdem ex illis opiniones usurpaverunt, habendo cum eis consortium praedicationis, habeant necesse est etiam consortium damnationis, praecedente illo fine [*fors.* fune, *Junius*] supradicto posteritatis, quo, etsi nihil de damnatitiis participarent, de aetate sola praejudicarentur ; tanto magis adulterae, quanto nec ab Apostolis nominatae. Unde firmius constat, has esse, quae adhuc tunc nuntiabantur futurae.

Luc. vi. 40.

His definitionibus provocatae a nobis et revictae haereses omnes, sive quae posterae, sive quae coaetaneae Apostolorum, dummodo diversae; sive generaliter, sive specialiter notatae ab eis, dummodo praedamnatae, audeant respondere [*fors.* reponere] et ipsae aliquas ejusmodi praescriptiones adversus nostram disciplinam. Si enim negant veritatem ejus, debent probare illam quoque haeresim esse, eadem forma revictam, qua ipsae revincuntur; et ostendere simul, ubinam quaerenda sit veritas, quam apud illas non esse jam constat. Posterior nostra res non est: immo omnibus prior est. Hoc erit testimonium veritatis ubique occupantis principatum. Quod ab Apostolis utique non damnatur, immo defenditur: hoc erit indicium proprietatis. Quam enim non damnant qui extraneam quamque damnaverunt, suam ostendunt, ideoque et defendunt. CAP. XXXV.

Age jam, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae Apostolorum suis locis praesident, apud quas ipsae authenticae litterae eorum recitantur, sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix Ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicae adaequatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi Apostolus Joannes postea quam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur; CAP. XXXVI.

videamus quid didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit. Unum Deum novit creatorem universitatis, et Christum Jesum ex virgine Maria Filium Dei creatoris, et carnis resurrectionem ; Legem et Prophetas cum evangelicis et apostolicis litteris miscet, et inde potat fidem ; eam aqua signat, Sancto Spiritu vestit, eucharistia pascit, martyrium exhortatur, et ita adversus hanc institutionem neminem recipit. Haec est institutio non dico jam quae futuras haereses praenuntiabat, sed de qua haereses prodierunt. Sed non omnes [*fors.* omnino] ex illa, ex quo factae sunt adversus illam. Etiam de olivae nucleo mitis et opimae et necessariae asper oleaster oritur : etiam de papavere ficus gratissimae et suavissimae ventosa et vana caprificus exsurgit. Ita et haereses de nostro fructificaverunt, non nostrae, degeneres veritatis grano, et mendacio silvestres.

1 Joan. ii. 19.

CAP. XXXVII.

Si haec ita se habent ut veritas nobis adjudicetur, quicumque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit, constat ratio propositi nostri, definientis non esse admittendos haereticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere. Si enim haeretici sunt, Christiani esse non possunt, non a Christo habendo quod de sua electione sectati haereticorum nomine admittunt. Ita non-Christiani nullum jus capiunt Christianarum litterarum. Ad quos merito dicendum est, Qui estis ? quando, et unde venistis ? quid in meo agitis non mei ? quo denique Marcion jure sylvam meam caedis ? qua licentia Valentine fontes meos transvertis ? qua potestate Apelles

limites meos commoves? Mea est possessio. Quid hic ceteri ad voluntatem vestram seminatis et pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum haeres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certe exhaeredaverunt semper et abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos. Unde autem extranei, et inimici Apostolis haeretici, nisi ex diversitate doctrinae, quam unusquisque de suo arbitrio, adversus Apostolos aut protulit, aut recepit?

CAP. XXXVIII.

Illic igitur et Scripturarum et expositionum adulteratio deputanda est, ubi diversitas doctrinae invenitur. Quibus fuit propositum aliter docendi, necessitas institit aliter disponendi instrumenta doctrinae. Alias enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent per quae docerent. Sicut illis non potuisset succedere corruptela doctrinae sine corruptela instrumentorum ejus, ita et nobis integritas doctrinae non competisset sine integritate eorum, per quae doctrina tractatur. Etenim quid contrarium nobis in nostris? quid de proprio intulimus, ut aliquid contrarium ei, quod esset in Scripturis deprehensum, detractione vel adjectione vel transmutatione remediaremus? Quod sumus, hoc sunt Scripturae jam inde ab initio suo: ex illis sumus, antequam [*fors.* antiquum *Junius*] nihil aliter fuit, quam sumus. Quid denique fuit, antequam a nobis interpolarentur? Quum autem omnis interpolatio posterior credenda sit, veniens utique ex causa aemulationis, quae neque prior neque domestica unquam est ejus quod aemulatur, tam incredibile est sapienti cuique, ut nos adulterum stylum intulisse videamur Scripturis, qui sumus

et primi et ex ipsis, quam illos non intulisse, qui sunt et posteri et adversi. Alius manu Scripturas, alius sensus expositione intervertit. Neque enim si Valentinus integro instrumento uti videtur, non callidiore ingenio quam Marcion manus intulit veritati. Marcion enim exserte et palam machaera, non stylo usus est, quoniam ad materiam suam caedem Scripturarum confecit. Valentinus autem pepercit, quoniam non ad materiam Scripturas, sed materiam ad Scripturas excogitavit; et tamen plus abstulit et plus adjecit, auferens proprietates singulorum quoque verborum, et adjiciens dispositiones non comparentium rerum.

CAP. XXXIX.

Haec sunt ingenia de spiritalibus nequitiae, cum quibus luctatio est nobis, fratres, merito contemplanda; fidei necessaria, ut electi manifestentur, ut reprobi detegantur. Et ideo habent vim, et in excogitandis instruendisque erroribus felicitatem non adeo mirandam, quasi difficilem et inexplicabilem; quum de saecularibus quoque scripturis exemplum praesto sit ejusmodi facilitatis; quo jus [*fors.* quo vides *Cons. notam*] hodie ex Virgilio fabulam in totum aliam componi, materia secundum versus, versibus secundum materiam concinnatis. Denique Hosidius Geta Medeam tragoediam ex Virgilio plenissime exsuxit. Meus quidam propinquus ex eodem poëta, inter cetera styli sui otia, Pinacem Cebetis explicuit. Homero-centonas etiam vocare solent, qui de carminibus Homeri propria opera more centonario ex multis hinc inde compositis in unum sarciunt corpus. Et utique foecundior divina litteratura ad facultatem cujuscunque materiae. Nec periclitor dicere, ipsas quoque Scripturas sic esse ex

Ephes. vi. 12.
1 Cor. xi. 19.

Dei voluntate dispositas ut haereticis materias subministrarent, quum legam, oportere haereses esse, quae sine Scripturis esse non possunt.

Sed quaeritur, a quo intellectus intervertatur CAP. XL.
eorum, quae ad haereses faciant? A diabolo scilicet, cujus sunt partes intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res sacramentorum divinorum in idolorum mysteriis aemulatur. Tingit et ipse quosdam, utique credentes et fideles suos: expositionem delictorum de lavacro repromittit; et si adhuc initiat Mithra, signat illic in frontibus milites suos: celebrat et panis oblationem; et imaginem resurrectionis inducit, et sub gladio redimit coronam. Quid, quod et summum pontificem in unis nuptiis statuit? Habet et virgines; habet et continentes. Ceterum si Numae Pompilii superstitiones revolvamus, si sacerdotalia officia, insignia et privilegia, si sacrificantium ministeria, et instrumenta et vasa ipsorum sacrificiorum, ac piaculorum et votorum curiositates consideremus, nonne manifeste diabolus morositatem illam Judaicae Legis imitatus est? Qui ergo ipsas res, de quibus sacramenta Christi administrantur, tam aemulanter affectavit exprimere, in negotiis idololatriae, utique et idem et eodem ingenio gestiit, et potuit instrumenta quoque divinarum rerum et sanctorum [*Al.* sacramentorum. *Vid. not.*] Christianorum, sensum de sensibus, verba de verbis, parabolas de parabolis, profanae et aemulae fidei attemperare. Et ideo, neque a diabolo immissa esse spiritalia nequitiae, ex quibus etiam haereses veniunt, dubitare quis debet; neque ab idololatria distare haereses, quum et auctoris et operis ejusdem sint, cujus et idololatria. Deum aut fingunt alium

Ephes. vi. 12.

adversus Creatorem; aut, si unicum Creatorem confitentur, aliter eum disserunt quam in vero est. Itaque omne mendacium de Deo vel natio [*fors.* ratio] quodammodo sexus, est idololatriae.

CAP. XLI. Non omittam ipsius etiam conversationis haereticae descriptionem, quam futilis, quam terrena, quam humana sit, sine gravitate, sine auctoritate, sine disciplina, ut fidei suae congruens. In primis quis catechumenus, quis fidelis, incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant: etiam ethnici si supervenerint, *sanctum canibus, et porcis margaritas*, licet non veras, jactabunt. Simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinae, cujus penes nos curam lenocinium vocant; pacem quoque passim cum omnibus miscent. Nihil enim interest illis, licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conspirent. Omnes tument, omnes scientiam pollicentur. Ante sunt perfecti catechumeni, quam edocti. Ipsae mulieres haereticae quam procaces! quae audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, fortassean et tingere. Ordinationes eorum temerariae, leves, inconstantes; nunc neophytos conlocant, nunc saeculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium; ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie episcopus, cras alius; hodie diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus. Nam et laicis sacerdotalia munera injungunt.

Matt. vii. 6.

CAP. XLII. De verbi autem administratione quid dicam? quum hoc sit negotium illis, non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi. Hanc magis gloriam captant, si

stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem operentur: quoniam et ipsum opus eorum non de suo proprio aedificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt ut sua aedificent. Adime illis in Legem Moysi [*fors.* Moysis] et Prophetas et in Creatorem Deum accusationem, et loqui non habent. Ita fit ut ruinas facilius operentur stantium aedificiorum, quam exstructiones jacentium ruinarum. Ad haec solummodo opera humiles et blandi et submissi agunt. Ceterum, nec suis praesidibus reverentiam noverunt. Et hoc est quod schismata apud haereticos fere non sunt, quia quum sint, non parent. Schisma est unitas ipsis. Mentior si non etiam a regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde [*fors.* perinde] suo arbitrio modulatur quae accepit: quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam et originis suae morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare. Denique penitus inspectae haereses omnes, in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur. Plerique nec Ecclesias habent, sine matre, sine sede, orbi fide, extorres, quasi sine lare vagantur.

CAP. XLIII.

Notata sunt etiam commercia haereticorum cum magis quampluribus, cum circulatoribus, cum astrologis, cum philosophis, curiositati scilicet deditis, *Quaerite, et invenietis*, ubique meminerunt. Adeo et de genere conversationis qualitas fidei aestimari potest: doctrinae index disciplina est: negant Deum timendum. Itaque libera sunt illis omnia et soluta. Ubi autem Deus non timetur, nisi ubi non est? Ubi Deus non est, nec veritas ulla est. Ubi veritas

nulla est, merito et talis disciplina est. At ubi Deus, ibi metus in Deum, qui est initium sapientiae. Ubi metus in Deum, ibi gravitas honesta, et diligentia adtonita, et cura sollicita, et adlectio explorata, et communicatio deliberata, et promotio emerita, et subjectio religiosa, et apparitio devota, et processio modesta, et Ecclesia unita, et Dei omnia.

CAP. XLIV. Proinde haec pressioris apud nos testimonia disciplinae ad probationem veritatis accedunt : a qua devertere nemini expedit, qui meminerit futuri judicii, quo omnes nos necesse est apud Christi tribunal adstare, reddentes rationem in primis ipsius fidei. Quid ergo dicent, qui illam stupraverint adulterio haeretico virginem traditam a Christo ? Credo allegabunt, nihil unquam sibi ab illo vel ab Apostolis ejus, de saevis [*fors.* scaevis *Junius*] et perversis doctrinis futuris praenuntiatum, et de cavendis abominandisque praeceptum. Agnoscant suam potius culpam, quam illorum qui nos tanto ante praestruxerunt. Adjicient praeterea multa de auctoritate cujusque doctoris haeretici ; illos maxime doctrinae suae fidem confirmasse, mortuos suscitasse, debiles reformasse, futura significasse, uti merito Apostoli crederentur. Quasi nec hoc scriptum sit, venturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent, ad fallaciam muniendam corruptae praedicationis. Itaque veniam merebuntur : qui vero memores Dominicarum et apostolicarum denunciationum in fide integri steterint, credo de venia periclitabuntur, respondente Domino : Praenuntiaveram plane futuros fallaciae magistros in meo nomine, et Prophetarum et Apostolorum etiam ; et discentibus meis eadem ad vos praedicare mandaveram ; semel Evangelium

Matt. xxiv. 24.

Matt. xxviii.

et ejusdem regulae doctrinam Apostolis meis delegaveram, sed quum vos non [*fors. delend.* non] crederetis, libuit mihi postea aliqua inde mutare. Resurrectionem promiseram etiam carnis; sed recogitavi ne implere non possem. Natum me ostenderam ex virgine; sed postea turpe mihi visum est. Patrem dixeram, qui solem et pluvias facit; sed alius me Pater melior adoptavit. Prohibueram vos aurem accommodare haereticis; sed erravi. Talia capit opinari eos, qui exorbitant, et fidei [*fors.* exorbitantes fide] veritatis, periculum non cavent.

Joan. vi. 54. Matt. i. 18. Matt. v. 45. Matt. vii. 15.

CAP. XLV.

Sed nunc quidem generaliter actum est a nobis adversus haereses omnes, certis et justis et necessariis praescriptionibus repellendas a conlatione Scripturarum. De reliquo, si Dei gratia annuerit, etiam specialiter quibusdam respondebimus. Haec in fide veritatis ci . . . . . legentibus pax et gratia Domini nostri Jesu Christi in aeternum.

CONTRA HAERETICOS EXPLICIT.

ADVERSUS
OMNES HAERETICOS LIBELLUS.

QUORUM haereticorum, ut plura praeteream, pauca perstringam. Taceo enim Judaismi haereticos; Dositheum, inquam, Samaritanum, qui primus ausus est Prophetas, quasi non in Spiritu Sancto locutos, repudiare. Taceo Sadducaeos, qui ex hujus erroris radice surgentes, ausi sunt ad hanc haeresim etiam resurrectionem carnis negare. Praetermitto Pharisaeos, qui additamenta quaedam Legi adstruendo a Judaeis divisi sunt, unde etiam hoc accipere ipsum quod habent nomen, digni fuerunt; cum his etiam Herodianos, qui Christum Herodem esse dixerunt. CAP. I.

Ad eos me converto, qui ex Evangelio haeretici esse voluerunt; ex quibus est primus omnium Simon Magus, qui in Actis Apostolorum condignam meruit ab Apostolo Petro justamque sententiam. Hic ausus est summam se dicere virtutem, id est, summum Deum; mundum autem ab Angelis suis institutum; ac, daemone se oberrante[a] [*fors.* Aeone a se aberrante] qui esset sapientia, descendisse quaerendum [*fors.* descendisse se ad quaerendum]; apud Judaeos se in phantasmate Dei [*fors.* Deum] non passum, sed esse quasi passum. Post hunc Menander discipulus ipsius, similiter magus, eadem dicens quae Simon ipse. Quicquid se Simon dixerat, hoc se Menander esse dicebat, negans habere posse quemquam salutem, nisi in nomine suo baptizatus fuisset. CAP. II. Simon Magus. Menander.

[a] [l. 21. Vide infra, p. 430.]

Saturninus. Secutus est post haec et Saturninus, et hic similiter dicens innascibilem virtutem, id est Deum, in summis et illis infinitis partibus, et in superioribus manere; longe autem distantes ab hoc Angelos inferiores mundum fecisse; et, quia splendor quidam luminis desursum in inferioribus refulsisset, ad similitudinem illius luminis Angelos [*fors. delend.* Ang.] hominem instituere Angelos curasse; hunc super terram jacuisse reptantem, cujus [*fors.* cui] lumen illud, et virtutem illam superiorem propter misericordiam, scintillam [*fors. addend.* vitae immisisse; hanc scintillam *Vid. notam*] salvam esse, cetera hominis perire. Christum in substantia corporis non fuisse, et phantasmate tantum quasi passum fuisse; resurrectionem carnis nullo modo futuram esse. Basilides. Postea Basilides haereticus erupit; hic esse dicit summum Deum nomine Abraxan, ex quo mentem creatam, quam Graece νοῦν appellat; inde verbum; ex illo providentiam, ex providentia virtutem et sapientiam; ex ipsis inde principatus, et potestates, et angelos factos; deinde infinitas angelorum editiones et probolas; ab istis angelis trecentos sexaginta quinque coelos institutos, et mundum in honore Abraxae, cujus nomen hunc in se habebat numerum computatum. In ultimis quidem angelis, et qui hunc fecerunt mundum, novissimum ponit Judaeorum Deum, id est, Deum Legis et Prophetarum; quem Deum negat, sed Angelum dicit. Huic sortito obtigisse semen Abrahae, atque ideo hunc de terra Aegypti filios Israel in terram Chanaam transtulisse. Hunc turbulentiorem prae ceteris Angelis, atque ideo et seditiones frequenter et bella [*fors.* seditione res frequenter et bello] concutere, sed et humanum sanguinem fundere.

Christum autem, non ab hoc qui fecerit mundum, sed ab illo Abraxa missum venisse in phantasmate; sine substantia carnis fuisse; hunc passum a Judaeis non esse, sed vice ipsius Simonem crucifixum esse; unde nec in eum credendum esse, qui sit crucifixus, ne quis confiteatur [*fors.* conficiatur] in Simonem credidisse. Martyria negat esse facienda; carnis resurrectionem graviter impugnat, negans salutem corporibus repromissam.

CAP. III. Nicolaus. Act. vi. 5.

Alter haereticus Nicolaus emersit; hic de septem diaconis, qui in Actis Apostolorum allecti sunt, fuit: hic dicit tenebras in concupiscentia luminis, et quidem foeda et obscoena, fuisse: ex hac permixtione (pudor est dicere quae foetida et immunda; sunt et cetera obscoena; omnes [*fors.* omne] enim refert quosdam turpitudinis notos, [*fors.* quasdam turpitudinis notas *Semler.*] et complexus, et permixtiones exsecrabiles, obscoenasque conjunctas et quaedam ex ipsis adhuc turpiora) natos praeterea daemones, et deos, et spiritus septem, et alia satis sacrilega pariter et foeda quae referre erubescimus, et jam praeterimus. Satis est nobis, quod totam istam haeresim Nicolaitarum Apocalypsis Domini gravissima [*an* gravissimae?] sententiae auctoritate damnavit, dicendo, *Quia hoc tenes, odisti doctrinam Nicolaitarum, quam et ego odi.* Apoc. ii. 6.

Accesserunt his haeretici etiam illi, qui Ophitae nuncupantur; nam serpentem magnificant in tantum, ut illum etiam ipsi Christo praeferant. Ipse enim, inquiunt, scientiae nobis boni et mali originem dedit; hujus animadvertens potentiam et majestatem Moyses, inquiunt, aereum posuit serpentem, et quicumque ipsum aspexerunt, sanitatem consecuti sunt. Ipse, aiunt praeterea, Christus in Evangelio suo Ophitae

imitatur [*fors.* intimat] serpentis ipsius sacram pot-
Jo. iii. 14. estatem, dicendo, *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis:* ipsum introducunt ad benedicenda eucharistia sua. Sed tota istius erroris et scena et doctrina inde fluxit; dicunt enim de illo summo primario Aeone complures alios Aeones exstitisse inferiores; omnibus tamen istis Aeonem antistare, cujus sit nomen Jaldabaoth: hunc autem conceptum esse ex altero Aeone Aeonibus inferioribus permixto; seque postea quum in superiora voluisset eniti, gravitate materiae permixta [*fors.* permixtae] sibi, non potuisse ad superiora pervenire, in medietate [*fors.* medietate vero] relictum extendisse totum, effecisse [*fors.* extendisse se totum, et fecisse, *Latinus Latinius*] sic coelum. Jaldabaoth tamen inferius descendisse, et fecisse sibi filios septem; quem [*fors.* queis] occlusisse superiora dilatatione; ut quia Angeli, quae superiora essent scire non possent, ipsum solum Deum putarent. Virtutes igitur illas et Angelos inferiores hominem fecisse; et quia ab infirmioribus et mediocribus virtutibus institutus esset, quasi vermem jacuisse reptantem. Illum vero Aeonem, ex quo Jaldabaoth processisset, invidia commotum, scintillam quamdam jacenti homini immisisse, qua excitatus per prudentiam saperet, et intelligere posset superiora. Sic rursum Jaldabaoth istum in indignationem conversum ex semetipso edidisse virtutem et [*fors.* ad] similitudinem serpentis, et hanc fuisse virtutem in paradiso, id est, istum fuisse serpentem, cui Eva quasi Filio Dei crediderat. Decerpsit, inquiunt, de fructu arboris, atque ideo generi humano scientiam bonorum et malorum contribuit. Christum autem non in substantia carnis

fuisse: salutem carnis sperandam omnino non esse. Necnon etiam erupit alia quoque haeresis, quae dicitur Cainaeorum. Et ipsi enim magnificant Cain, quasi ex quadam potenti virtute conceptum, quae operata sit in ipso; nam Abel ex inferiore virtute conceptum, procreatum, et ideo inferiorem repertum. Hi, qui hoc adserunt, etiam Judam proditorem defendunt, admirabilem illum et magnum esse memorantes propter utilitates, quas humano generi contulisse jactatur. Quidam enim ipsorum gratiarum actionem Judae propter hanc causam reddendam putant. Animadvertens enim, inquiunt, Judas, quod Christus vellet veritatem subvertere, tradidit illum, ne subverti veritas posset. Et alii sic contra disputant et dicunt: quia potestates hujus mundi nolebant pati Christum, ne humano generi per mortem ipsius salus pararetur, saluti consulens generis humani tradidit Christum, ut salus, quae impediebatur per virtutes quae obsistebant ne pateretur Christus, impediri omnino non posset; et ideo per passionem Christi non posset salus humani generis retardari. Sed et illa haeresis processit, quae dicitur Sethoïtarum. Hujus perversitatis doctrina haec est. Duos homines ab Angelis constitutos, Cain et Abel; propter hos magnas inter Angelos contentiones et discordias exstitisse; ob hanc causam, illam virtutem quae super omnes virtutes esset, quam matrem pronuntiant, dum Abel interfectum dicerent [*fors.* cum —disceret], voluisse concipi et nasci hunc Seth loco Abelis, ut evacuarentur Angeli illi, qui duos priores illos homines condidissent; dum hoc semen mundum moritur et nascitur. Permixtiones enim dicunt Angelorum et hominum iniquas fuisse: ob quam

Cainaei.

Sethoïtae.

causam, illam virtutem quam, sicut diximus, pronuntiant matrem, ad vindictam etiam cataclysmum inducere, ut et illud permixtionis semen tolleretur, et hoc solum semen, quod esset purum, integrum custodiretur. Sed enim illos, qui seminis illos prioris instituissent, occulte, et latenter, et ignorante illa matre virtute, cum illis octo animabus in arcam misisse etiam semen Cham, [*Alii, rectius*, Cain,] quo semen malitiae non periret, sed cum ceteris conservatum, et post cataclysmum terris redditum, exemplo ceterorum excresceret, et effunderetur, et totum orbem et impleret et occuparet. De Christo autem sic sentiunt, ut dicant illum tantummodo Seth, et pro ipso Seth ipsum fuisse.

CAP. IV. Carpocrates.

Carpocrates praeterea hanc tulit sectam: unam esse dicit virtutem in superioribus principalem, ex hac prolatos angelos atque virtutes, quos distantes longe a superioribus virtutibus, mundum istum in inferioribus partibus condidisse; Christum non ex Virgine Maria natum, sed ex semine Joseph, hominem tantummodo genitum, sane prae ceteris justitiae cultu, vitae integritate meliorem: hunc apud Judaeos passum, solam animam ipsius coelo receptam, eo quod et firmior et robustior ex [*fors.* ea] ceteris fuerit: ex quo colligeret, tentata [*fors.* attentata] animarum sola salute, nullas corporis resurrectiones.

Cerinthus.

Post hunc Cerinthus haereticus erupit, similia docens. Nam et ipse mundum institutum esse ab illis [*fors.* Angelis] dicit: Christum ex semine Joseph natum proponit, hominem illum tantummodo sine divinitate contendens, ipsam quoque Legem ab Angelis datam perhibens, Judaeorum Deum non Dominum [*fors.* Deum] sed Angelum promens. Hujus successor

Hebion fuit, Cerintho non in omni parte consentiens, quod a Deo dicat mundum, non ab Angelis factum; et quia scriptum sit, *Nemo discipulus super magistrum, nec servus super Dominum*, Legem esse [*Alii* etiam, *fors.* Legem et jam esse, *Vid. notam*] proponit, scilicet ad excludendum Evangelium, et vindicandum Judaismum. Hebion. Matt. x. 24.

CAP. V. Valentinus.

Valentinus autem haereticus multas introducit fabulas; has ego circumcidens breviter expediam. Introducit enim, pleroma et Aeones triginta; exponit autem hos per syzygias, id est, conjugationes quasdam. Nam dicit in primis, esse Bython et Silentium; ex his processisse Semen, Mentem, et Veritatem; ex quibus erupisse Verbum et Vitam; de quibus rursum creatum Hominem et Ecclesiam. Sed enim ex his quoque processisse duodecim Aeonas; de Sermone autem et Vita, Aeonas alios decem; hanc esse Aeonum triacontada, quae fit in pleromate ex ogdoade, et decade, ac duodecade. Tricesimum autem Aeonum, Bython illum videre voluisse, et ad videndum illum ausum esse in superiora pleromatis conscendere. Et quoniam ad magnitudinem ipsius videndam capax non fuit, in defectione fuisse, et paene dissolutum esse, nisi quia missus ad confirmandum illum ille quem appellant Horon, confirmasset illum dicto Jao; hoc [*fors. delend. Vid. notam*] pronuntiatio appellat. Istum autem Aeonem in defectionem [*fors.* defectione] factum Achamoth dicit in passionibus desiderii quibusdam fuisse, et ex passionibus materias edidisse. Expavit enim, inquit, et extimuit, et contristatus est, et ex his passionibus concepit et edidit. Hinc fecit coelum et terram et mare, et omnia quaecumque sunt

in eis, ob quam causam omnia infirma esse, et fragilia, et caduca, et mortalia, quaecumque sunt ab ipso facta, quoniam quidem ipse fuerit de Aporiatione conceptus atque prolatus; hunc tamen instituisse istum mundum ex his materiis, quas Achamoth, vel pavendo, vel timendo, vel constristando, vel sudando praestiterat. Nam ex pavore, inquit, tenebrae factae sunt, ex timore et ignorantia spiritus nequitiae et malignitatis, ex tristitia et lacrymis humida fontium fluminum [*fors.* et fluminum] materia, marisque. Christum autem missum ab illo propatore, qui est Bythos. Hunc autem in substantia corporis nostri non fuisse, sed spiritale nescio quod corpus de coelo deferentem, quasi aquam per fistulam sic per Mariam virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem vel mutuantem. Resurrectionem hujus carnis negat, sed alterius. Legis et Prophetarum quaedam probat, quaedam improbat: id est, omnia improbat, dum quaedam reprobat. Evangelium etiam habet suum, praeter haec nostra.

Ptolemaeus et Secundus.

Post hunc exstiterunt Ptolemaeus et Secundus haeretici, qui cum Valentino per omnia consentiunt, in illo solo differunt; nam quum Valentinus Aeonas tantum triginta finxisset, isti addiderunt alios complures; quatuor enim primum, deinde alios quatuor aggregaverunt, et quod dicit Valentinus Aeonem trigesimum excessisse de pleromate, ut in defectionem, negant isti; non enim ex illa triacontade fuisse hunc, qui fuerit in defectione propter desiderium videndi propatoris.

Heracleon.

Exstitit praeterea Heracleon, alter haereticus, qui cum Valentino paria sentit, sed novitate quadam pronuntiationis vult videri alia sentire; introducit enim in primis illud fuisse

quod pronuntiat [*fors.* quod Dominum pronuntiat, *Vid. notam*], et deinde ex illa monade duo, ac deinde reliquos Aeonas; deinde introducit totum Valentinum.

CAP. VI. Marcus et Colarbasus.

Non defuerunt post hos Marcus quidam et Colarbasus, novam haeresin ex Graecorum alphabeto componentes; negant enim veritatem sine istis posse litteris inveniri; immo totam plenitudinem et perfectionem veritatis in istis litteris esse dispositam; propter hanc enim causam Christum dixisse, *Ego sum* A *et* Ω; denique Jesum [*fors.* in Jesum, *Semler.*] Christum descendisse, id est, columbam in Jesum venisse, quae, Graeco nomine quum περιστερὰ pronuntietur, habeat, secundum numerum, DCCCI. Percurrunt isti ω, ψ, χ, φ, υ, τ, totum usque ad alpha beta, et computant ogdoadas et decadas, ita ut adferre illorum omnes vanitates ineptum sit et otiosum; quod tamen non tantum jam vanum, sed etiam periculosum sit. Alterum Deum fingunt praeter Creatorem, Christum in substantia negant carnis fuisse, negant carnis resurrectionem futuram. Apoc. i. 8. et xxi. 6. et xxii. 13.

CAP. VII. Cerdon.

Accedit his Cerdon quidam; hic introducit initia duo, id est, duos Deos, unum bonum, et alterum saevum; bonum superiorem, saevum hunc, mundi Creatorem. Hic Prophetias et Legem repudiat, Deo Creatori renuntiat, superioris Dei filium Christum venisse tractat, hunc in substantia carnis negat, in phantasmate solo fuisse pronuntiat; nec omnino passum, sed quasi passum, nec ex virgine natum, sed omnino nec natum, resurrectionem animae tantummodo probat, corporis negat, solum Evangelium Lucae, nec tamen totum recipit. Apostoli Pauli neque omnes, neque totas Epistolas sumit. Acta

Apostolorum et Apocalypsim quasi falsa rejicit.

Marcion. Post hunc discipulus ipsius emersit Marcion quidam nomine, Ponticus genere, Episcopi filius, propter stuprum cujusdam virginis ab Ecclesiae communicatione abjectus. Hic ex occasione, qua dictum sit,

Matt. vii. 17. *Omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem malos*, haeresim Cerdonis approbare conatus est, eadem dicere [*fors.* dicens, *Junius. Vide notam*], quae ille superior haereticus ante dixerat. Exstitit post

Lucanus. hunc Lucanus quidam nomine, Marcionis sectator atque discipulus: et hic per eadem vadens blasphemiae genera, eadem docet, quae Marcion et

Apelles. Cerdon docuerant. Post hos subsequitur Apelles, discipulus Marcionis, qui posteaquam in carnem suam lapsus est, a Marcione segregatus est: hic introducit unum Deum infinitis [*fors.* in infinitis] superioribus partibus; hunc potestates multas angelosque fecisse, propterea et aliam virtutem quam dicit, Dominum dicit, sed Angelum ponit. Hoc [*fors.* Ab hoc, *Junius*] vult videri mundum institutum ad imitationem mundi superioris; cui mundo permiscuisse poenitentiam, quia non illum tam perfecte fecisset quam ille superior mundus institutus fuisset. Legem et Prophetas repudiat. Christum neque in phantasmate dicit fuisse, sicut Marcion, neque in substantia veri corporis, ut Evangelium docet; sed eo quod e superioribus partibus descenderet, ipso descensu sidereum sibi carnem et aëream contexuisse; hunc in resurrectione singulis quibusque elementis, quae in descensu suo mutuata fuissent, in ascensu reddidisse, et, sic dispersis quibusque corporis sui partibus, in coelo spiritum tantum reddidisse. Hic carnis resurrectionem negat; solo utitur et Apostolo,

sed Marcionis, id est, non toto; animarum solarum dicit [*fors.* docet] salutem; habet praeterea privatas, sed [*an* et?] extraordinarias lectiones suas, quas appellat Phaneroseis Philumenes cujusdam puellae, quam quasi prophetissam sequitur. Habet praeterea suos libros, quos inscripsit syllogismorum, in quibus probare vult, quod omnia quaecumque Moyses de Deo scripserit, vera non sint, sed falsa sint.

CAP. VIII. Tatianus.

His haereticis omnibus accedit Tatianus quidam alter haereticus. Hic Justini Martyris discipulus fuit, post hunc diversa sentire coepit; totus enim secundum Valentinum sapit, adjiciens illud, Adam nec salutem consequi posse, quasi non, si rami salvi fiant, et radix salva sit. Accesserunt alii haeretici, qui dicuntur secundum Phrygas; sed horum non una doctrina est. Sunt enim qui katà Proclum dicantur, sunt qui secundum Aeschinem pronuntientur. Hi habent aliam communem blasphemiam, aliam blasphemiam non communem, sed peculiarem et suam; et [*fors.* particula *et* melius abesset] communem quidem illam, qua in Apostolis quidem dicant Spiritum Sanctum fuisse, Paracletum non fuisse; et qua dicant Paracletum plura in Montano dixisse, quam Christum in Evangelium protulisse; nec tantum plura, sed etiam meliora atque majora: privatam autem blasphemiam illi, qui sunt katà Aeschinem, hanc habent, qua adjiciunt etiam hoc, ut dicant Christum ipsum esse Filium et Patrem.

Kata Phrygas.

CAP. IX. Blastus.

Est praeterea his omnibus etiam Blastus accedens, qui latenter Judaismum vult introducere; pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi, secundum legem Moysi, XIV mensis. Quis autem nesciat, quoniam evangelica gratia evacuatur, si ad Legem

Theodotus Byzantius.

Christum redigit? Accedit his Theodotus haereticus Byzantius, qui posteaquam Christum pro nomine adprehensus negavit, in Christum blasphemare non destitit; doctrinam enim introduxit, qua Christum hominem tantummodo diceret, Deum autem illum negaret; ex Spiritu quidem Sancto natum ex virgine, sed hominem solitarium atque nudum, nullo alio prae caeteris [*fors.* praecellentem ceteris], nisi sola justitiae auctoritate. Alter post hunc Theodotus haereticus erupit, qui et ipse introduxit alteram sectam, et ipsum hominem Christum tantummodo dicit ex Spiritu Sancto, et Virgine Maria conceptum pariter et natum; sed hunc inferiorem esse quam Melchisedech, eo quod dictum sit de Christo: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Nam illum Melchisedech, praecipue gratiae coelestem esse virtutem, eo [*fors.* et *scribendum*] quod agat Christus pro hominibus, deprecator et advocatus ipsorum factus, Melchisedech facere pro coelestibus Angelis atque virtutibus; nam esse illum usque adeo Christo meliorem, ut *apator* sit, *ametor* sit, *agenealogetus* sit, cujus neque initium, neque finis comprehensus sit, aut comprehendi possit. Sed post hos omnes etiam Praxeas quidam haeresim introduxit, quam Victorinus corroborare curavit: hic Deum Patrem omnipotentem Jesum Christum esse dicit, hunc crucifixum passumque contendit et mortuum. Praeterea se ipsum sibi sedere ad dexteram suam, cum prophana et sacrilega temeritate proponit.

Theodotus alter.

Ps. cix. 5. Heb. v. 6.

Heb. vii. 3.

Praxeas.

EXPLICIT.

IN

TERTULLIANI LIB. DE ORATIONE

ANNOTATIONES.

Ex Ludovici Ant. Muratorii in Tertulliani Librum de Oratione Prolegomenis.

Plurimos Tertulliani editos libros, paucos vero manuscriptos in bibliothecis numeramus. Hinc factum, ut ne adhuc quidem accuratissime typis descripta illius opera habeamus; quaedam mutila, foedisque vulneribus horrentia in publicum prodierint; nonnulla etiam desiderentur, quae a Tertulliano evulgata scimus, at nobis ab edacitate temporum omnino erepta aeque suspicamur et dolemus. Melioribus fatis hucusque gavisus non est liber de Oratione, quem primus omnium Parisiis e vetustissimo Codice evulgavit Joannes Gagnejus, Parisiensis theologus, A. C. 1545, at minime integrum, at illustri coronide destitutum. Neque huic editioni reliquae subsecutae opem tulere prae Codicum inopia. Unus tantum Rigaltius V. C. mutilum esse librum animadvertit, et aliquot dumtaxat lineis in calce additis, medicinam aliis propinandam reliquit. Quum itaque ego inciderim in vetustum Ambrosianae bibliothecae Codicem, ubi legebantur quae in caeteris desunt, continuo Anecdotis meis addidi, veluti gemmas literariae reipublicae in primis gratas. Quaecumque enim e Tertulliano, omnium certe sui temporis eruditissimo, literis consignata sunt, eaque praesertim quae in castris catholicorum scripta, quanti sint, apud omnes ecclesiasticae rei cultores, vel ipsis tyronibus patet. Ambrosianus autem Codex non ab Orationis Dominicae expositione, ut in editis habemus, sed ab iis, quae hujusmodi expositionem subsequuntur, opusculum exordiebatur, cum hocce titulo, *Incipit Tertulliani diversarum rerum necessariarum.* Tum caput primum, [cap. 9. libelli] cujus initium est *Compendiis pauculorum verborum* &c. ita praenotabatur *Anacephalaeosis. Posse nos superadjicere,* titulus erat sequentis capitis. Reliqua etiam capita suos titulos praeferebant, quos itidem in hac nostra editione retinendos censuimus. MURATORIUS.

Haec Muratorius; cui quidem viro eruditissimo debetur, uti ipse exposuit, insigne hujus libelli additamentum, quod

ei adjunxit in Anecdotis suis, quae Mediolani annis 1697 et 1698 prodierunt, ex Ambrosianae Bibliothecae Codicibus desumpta. In Parisiensi autem operum Tertulliani editione, a Muratorio supra commemorata, novem tractatus iis additi sunt opusculis, quae Beatus Rhenanus, primus Tertulliani editor, Basileae anno 1521 typis mandaverat. Unus ex additis tractatibus liber iste de Oratione fuit. In Gelenii vero editione Parisiensem illam proxime sequente, quaeque anno 1550 Basileae excusa est, producti sunt iidem tractatus, sed sumpti ex Codice quodam Britannico, quem Joannes Lelandus, illustris antiquarius, cum Gelenio communicaverat. In hoc Codice reperti sunt tres quoque ex libellis a Beato Rhenano prius editis; et unus eorundem fuit alter illorum, quos edo, opusculorum, de Praescriptione Haereticorum inscriptus. Editiones autem primariae Tertulliani, quarum ope ego in edendis his opusculis usus sum, Rhenanianae princeps et tertia fuerunt, quum illas mutuo accepissem a custode sociisque Novi Collegii splendidae et antiquae domus. Editio Rhenaniana quarta et ultima, quae prodiit itidem Basileae anno 1539, in peculio meo censetur. Sequitur Parisiensis secunda anno 1566 typis impressa, quae quidem editio, ita certe referente cl. Schoenemanno in Bibliotheca sua Historico-Lit. Patrum Latinorum, vol. I. p. 22, accurata Gelenianae repititio est. Accedit Franekeriana, cujus textus quum descriptus esset ex editione celebri Jacobi Pamelii anno 1579 excusa, notis Francisci Junii illustrata Franekerae anno 1597 prodiit. Pamelii notae, quae ibi omittuntur, Parisiis, an. 1635 recusae sunt. Ad manum porro mihi fuerunt aliae duae a Nicolao Rigaltio J. C. adornatae editiones, tum illa novem librorum Tertulliani Parisiis forma minori anno vel 1628 vel 1629 impressa, tum egregia omnium operum Tertulliani editio, quae anno 1634 cum orbe litterato ab eodem Rigaltio communicata est. Hanc autem Rigaltianam atque duas illas jam dictas editiones, Parisiis anno 1566 et Franekerae anno 1597 typis impressas, Joan. Sal. Semlerus haud ita pridem causa indagandae lectionis Tertullianae in editione sua Halensi cum principe Rhenaniana, cujus textus fere expressus est in hac Halensi, conferendas suscepit. Cum Pameliana vero editione id fecit Semlerus in iis libellis, quos ineditos, ut dixi, reliquit Rhenanus; exceptis ad Nationes libris duobus post tempora Pamelii a Jac. Godofredo primum editis. Prodiit editio Halensis annis 1770—1776 in qua quidem varietas lectionis perquam utiliter a viris cl. Semlero et Schutzio, etsi minus accurate, nec

satis plene, adnotata est. Certe utiliter adjecta est; haud raro enim fit, ut apud Tertullianum editum vera ejus verba adhuc quaerenda sint. Quippe quum Rigaltius, cujus editio norma fuit et regula plerarumque post prodeuntium editionum, quamvis verus Tertulliani sospitator is recte possit dici, saepenumero sine sontica causa pristinam lectionem eliminavit. Quapropter diligenter excutiendi sunt libri editi, ut vera lectio, quoad ejus fieri possit, demum eruatur. Quod nimirum ego efficere conatus sum, dum duos hosce libellos sane egregios edo. Certe id ostensurus sum, expulsas fuisse a Rigaltio, sed et ante eum, a Pamelio, plurimas vetustiorum editionum lectiones, aut veras, aut in quibus saltem exstarent verae lectionis vestigia, ut novae ac falsae subderentur. Attamen nil dubitandum est, quin in ipsis Codicibus manuscriptis a Pamelio et Rigaltio adductis librarii multas lectiones vel mancas vel obscuriores sibi visas corrigere, immo corrumpere, ausi essent. Ubicunque vero Rigaltii lectio a me vel repudiata vel immutata fuerit, id nunquam non loco suo commemoravi, ibi quidem, sed raro alibi, lectionis varietatem diligenter excutiens. Itaque textus meus Rigaltii est, nisi, quod frequenter fit, ut vel lectio pristina revocata a me fuerit, aut voces editionis principis in praesens sint substitutae, quo certius et facilius vera Tertulliani scriptura, collatis posteris editionibus, eruatur. Utinam mihi etiam plures auctoris hujus editiones praesto essent, maxime Gangneiana illa Parisiis anno 1545 typis impressa; ut nihil de libris scriptis addam, quibus nemo post Rigaltium in alterutro horum libellorum edendo usus est, et quorum nulli, quod sciam, praeter unum Apologiae Tertullianeae penes me codicem, in nostra Britannia supersunt. Atque ita rem vel olim habuisse constat; nam anni magis ducenti sunt, quum simile quid narravit Joannes Lloydius, Novi collegii socius, vir doctissimus, in epistola ad Franciscum Junium. ‘Tertulliani,’ inquit, ‘nihil ‘quicquam est, aut penes me, aut in hac nostra academia, ‘aut alias usquam a me visum.’ Epistolae Celeberrimorum Virorum ex scriniis lit. Jani Brantii, Amst. 1715 8vo. Epist. xi. p. 52. Attamen Oxonii quondam exstitisse in collegio Balliolensi Cod. MS. saltem Apologiae Tertulliani, ex Heraldiana libri ejusdem editione constat. Nuper porro vir quidam doctus me fecit certiorem, nunc servari apud Musaeum Britannicum alium praeterea hujus Apologiae Codicem MStum. Nunc vero post edita prima vice haec a me Tertulliani Opuscula, editionem Gangneianam longe rarissimam adeptus sum; si modo eam adornaverit ille Gangneius, cujus quidem

beneficio novem illi libri e Codice vetustissimo desumpti sunt; quorum unus fuit libellus de Oratione, ut jam expositum est.

Quod attinet ad eundem libellum priori loco hic editum, eum a Tertulliano ante lapsum ejus ad Montanismum conscriptum fuisse omnes consentiunt. Videtur homilia esse, seu sermo ad coetum Christianorum habitus, quod nobis innuit cum istud in cap. 1. 'Consideremus itaque, benedicti,' tum opusculi conclusio. Idem quoque, ut obiter hoc notem, de S. Cypriani tractatu de Oratione Dominica inscripto, forsitan statuendum.

P. 101. l. 4. Sermo rationis, et ratio sermonis, [et spiritus]] Praeclarissime sensit S. Ambrosius, in lib. de Filii Divinitate cap. 5, cujus verba producere volumus, ut pateat, non a Tertulliano dumtaxat, sed ab aliis quoque scriptoribns ecclesiasticis tum Patrem, tum Filium nominibus *Verbi*, seu *Rationis*, et *Sermonis*, ac *Spiritus* fuisse designatos: 'Haec 'est autem,' inquit, 'nominis ratio, ut in Patre et Filio unita-'tem substantiae credas, licet rem ipsam, quae est inerrabi-'lis, definire non possis: ut sive lumen de lumine dicas, sive 'Verbum de Verbo, sive Spiritum de Spiritu, sive Dominum 'de Domino, quodcumque de eo dixeris, unius tamen es-'sentiae Patrem et Filium credas.' Vide et S. Irenaeum, lib. II. cap. 48. Haec inter alia MURATORIUS.

Ibid. l. 5. [et spiritus] utrumque Jesus Christus] Voces, *et spiritus* cum sequentibus, *utrumque Jesus Christus* junxit Rigaltius. Lenius distinxit post vocem *spiritus* Muratorius. Plenam distinctionem habent affixam editiones ante Rigaltium. Conferas verba quae paulo post sequuntur: 'In 'quo et Dei Spiritus, et Dei sermo, et Dei ratio, approbatus 'est Dominus noster Jesus Christus.' Mihi quidem voces, *et spiritus*, huic loco a librariis importune adjectae videntur; alioqui dura aliqua ac difficilis ejus interpretatio amplectenda foret; quapropter uncis eas inclusi.

Ibid. l. 19. ratio qua venit] Fortasse legendum, *qua sensit*. Favent conjecturae meae Tertulliani verba in libro adv. Praxeam, ubi de Filii generatione haec sunt: 'Solus autem 'Deus, quia nihil aliud extrinsecus praeter illum. Ceterum 'ne tunc quidem solus, habebat enim secum, quam habebat 'in semetipso, rationem suam scilicet. Rationalis enim Deus, 'et ratio in ipso prius, et ita, ab ipso omnia, *quae ratio sen-'sus ipsius est*. Hanc Graeci Λόγον dicunt, quo vocabulo 'etiam *sermonem* appellamus. *Et postea*—Vide quum tacitus 'tecum ipse congrederis, ratione hoc ipsum agi intra te, oc-'currente ea tibi cum sermone ad omnem cogitatus tui motum, '*ad omnem sensus tui pulsum*. Quodcunque cogitaveris

sermo est, quodcunque senseris, ratio est cap. 5. Quinetiam infra ait Tertullianus, ‘quantum substringitur verbis, tantum ‘diffunditur sensibus.’ Reponere vero vult Latinus Latinius, in Bibliotheca sua Sacra et Profana, p. 194, *qua promovit* pro isto, *qua venit*. Habent editt. Rigaltiana antiquiores, *quo venit*. Posuit Rigaltius, praeeunte Junii conjectura, *qua venit*. At vero in loco statim post sequente, hoc exstat, *ex ratione qua suscipitur*, ubi quum positum esset in editt. proximis ante Rigaltium, *ex ratione, qua docetur*, postea, quum in Emendationibus Epidicticis ad Opera Tertulliani, an. 1608 editis, ostendisset Joannes Wouwerius in MS. suo legi, *ex ratione qua suscipitur*, i. e. intelligitur; hoc quidem Rigaltius in textum recepit, plurima et alibi in Tertulliani emendatione eidem viro erudito debens. Maxime autem fa- vere haec verba correctioni meae existimem; quae tamen in primis editionibus desiderantur.

P. 101. l. 21. ex spiritu, quo tantum potest] Pulchre ait Tertullianus infra, ‘Deus solus docere potuit, ut se vellet ‘orari. Ab ipso igitur ordinata religio orationis, et de spiritu ‘ipsius, jam tunc quum ex ore divino ferretur, animata, suo ‘privilegio ascendit in coelum commendans Patri quae Fi- ‘lius docuit.’ cap. 9.

P. 102. l. 13. sequente sophia] Scribere vult Franciscus Junius, *sequens sophia in sequenti praecepto proinde per- tinet ad fidem, ad modestiam fidei*. Aberant enim ab editionibus ante Rigaltium voces, *quod etsi*, additque Junius, ‘*proinde*, id est, *perinde*, aeque ac illa praecedens.’ Malim ego rescribere, *sequentes sophiam in sequenti praecepto* Jam supra auctor, *Consideremus—coelestem ejus sophiam*.

Ibid. l. 18. sumus] Pro *simus*, quod in utraque sua editione posuit Rigaltius, hoc ego cum Muratorio revocavi.

Ibid. brevitas ista, quod ad tertium sophiae gradum faciat] Id est, brevitas orationis Dominicae habet plenam interpretationem, et quantum verbis coarctatur, tantum sen- sibus diffunditur. Continet enim omnem disciplinam fidei. Brevitas autem orandi pertinet ad tertium gradum sophiae, id est, quem significavit Dei Sapientia et ejus Filius. Primus enim gradus est, id est, primum praeceptum est, ut secreto oremus, secundus ut cum fide, tertius ut breviter. MURATORI. Malim dicere, primum gradum hoc loco esse secretas preces, secundum vero brevitatem orationis, tertium denique brevitatem istam magnis et pulchris sensibus refertam, quaeque copiosae ac foecundae interpretationis subsidiis fulta sit.

Ibid. l. 23. vel venerationem Dei] Reperta nunc in edi-

tione Tertulliani principe conjunctione *vel*, eandem revocavi, alioqui *et* pro *aut* ante *nominis petitionem* scripturus.

P. 103. l. 7. pietatis] Benignitatis, benevolentiae, apud hos scriptores.

Ibid. l. 12. Uno igitur genere aut vocabulo] Fortasse legendum, *uno igitur generali vocabulo*. Paulo infra apud Muratorium, sine auctoritate, quod sciam, exstat *proditum est* pro *proditum fuerat*.

Ibid. l. 23. quasi sit et alius] Ita Rigaltius. Olim *aliud* pro *alius* editt. quod quidem revocavit Muratorius; sed paulo post habes, *sanctificari per semetipsum nomen* Dei. Valet interim *de quo* idem atque *a quo*.

Ibid. l. 31. Angelorum, si meruerimus, candidati] Hanc editionis principis, quae, ut dixi, est Gangneiana, lectionem, commutaverat cum altera *meminerimus*, in edit. sua Basiliensi anno 1550 Sigismundus Gelenius. Posteaque vocem *meruerimus*, quae a Pamelio restituta fuerat, Codice Fulvii Ursini nixus Rigaltius, renitente licet, ut ait, Agobardi illo, iterum eliminavit. Quum vero melior mihi videretur haec lectio, eandem denuo revocavi.

P. 104. l. 9. FIAT VOLUNTAS TUA IN COELIS ET IN TERRA] Abfuisse a nonnullis antiquis orationis Dominicae formulis comparationis adverbium, hinc et aliunde discimus. Porro variasse in iisdem ordo petitionum harum videtur, *Fiat voluntas tua*, et *veniat regnum tuum;* quin et infra in capitibus 6 et 7 idem ordo servatur.

Ibid. l. 14. nos sumus coelum et terra] Ait Schutzius in notulis ad edit. Halensem, 'Sic ludit Cyprianus.' Verba hujus in libro de Oratione Dominica haec sunt, 'Nam cum 'corpus e terra et spiritum possideamus e coelo, ipsi terra 'et coelum sumus, et in utroque, id est, et corpore et spiritu, 'ut Dei voluntas fiat, oramus.'

P. 105. l. 10. quod et *Fiat voluntas tua*] *Est* pro particula *et* legere vult Schutzius; sed nil mutandum.

Ibid. l. 15. nostram suspensionem] Scil. exspectationem.

Ibid. l. 16. protractum quendam in saeculo] Particulam *in* demum revocavi, quam primus omisisse Rigaltius videtur. Confer infra S. Cyprianum de Mortalitate capp. 12, 13.

Ibid. l. 23. *in visu*] Scil. *in visione*. Posuit quidem Rigaltius in utraque sua editione *invidia;* haud vero secutus est eum Muratorius. Nunc exstitisse *invidia* in editione principe invenio, sed a Gelenio postea mutatum.

P. 106. l. 1. petitioni] Fors. scribendum *petitione*.

Ibid. l. 7. et vita panis] Forte, vitae panis. SCHUTZ. Certe sic scribit S. Cyprianus.

P. 106. l. 14. et *spiritali disciplina*] Facilior oratio esset, si scriberetur, et spiritali disciplina.

Ibid. l. 31. si illi reputamur] Hoc significat, si Deo obstricti, sive, obnoxii sumus. Sic paulo post, *de Lamech autem septuagies septies ultio* reputata est.

P. 107. l. 13. eo competit &c.] Conferri videtur a Tertulliano *modicum delictum* cum eo, quod nos debitoribus nostris remittimus. Ut ut res ista se habet, Origenes, perinde ac fecit in sequentibus Tertullianus, ad Matthaei locum ex Genesi illustrandum in Commentario suo in idem Evangelium pergit. Vid. Gen. xii. cap. 5, alibique.

Ibid. l. 27. aut dejicere sit gestiens.] Verbum *sit*, quod omisit Rigaltius, ex editt. prioribus revocavi, in quibus quidem exstat *consentiens* pro *gestiens*.

P. 108. l. 2. Adeo tentati sunt Dominum deserendo] Ubi similia his exstant in cap. ult. libri de Baptismo, ibi ait auctor, 'Et ideo, credo, tentati sunt, quoniam obdormierunt, 'ut adprehensum Dominum destituerint.'

Ibid. l. 5. A MALO] Conferas utiliter quae habet auctor in lib. de Fuga in Persecutione, cap. 2.

Ibid. l. 6. Compendiis pauculorum verborum] *Pauculorum* pro voce recepta *paucorum* ex Codice Ambrosiano edidit Muratorius, qui quidem Codex ab his verbis incipit. Vocem *pauculis* habes infra cap. 23.

Ibid. l. 23. accidentium jus est desideriorum] Id est, possumus petere quae, prout accidit, desideramus, praemissa legitima et ordinaria oratione, id est Dominica Oratione pro fundamento. GUIDO PANCIROLLUS, a Muratorio allatus. Corrigere voluerat Latinus Latinius *accedentium juxta desideriorum*, quod receptum video a Delacerda in editionem suam Tertulliani Parisiis anno 1624 typis impressam. Sed malim ego tantum reponere *accedentium*.

Ibid. l. 32. ad pacem Dei accedere] Exstat quidem in edit. posteriore Rigaltii, quae anno prodiit 1634, verbum *recedere*, sed forsan typothetae errore, qui transiit in editt. sequentes. Habes quidem, c. 18, *Quale sacrificium est, a quo sine pace receditur?* Sed omnes editiones ante illam Rigaltianam verbum *accedere* hic praestant. Adnotavit Muratorius, '*Recedere* pro *reverti*: hanc vocem usurpasse vi-'dentur Sallustius atque Horatius. Quum tamen dubium 'sensum habeant istorum exempla, et *secedere* etiam signifi-'cent, vellem liceret mihi per Tertullianum hoc in loco scri-'bere non *recedere*, sed *accedere*'

P. 109. l. 3. Nam et Joseph—quum ira incedamus.] Optime, ut puto, monebat haec ita distinguenda esse Latinus

Latinius; aliter tamen judicat Schutzius, ad edit. Halensem, in qua sicut in ceteris editionibus, si illam Delacerdae excipis, membra orationis omnino separata sunt.

P. 109. l. 6. via cognominatur disciplina nostra] Saepe dicitur ἡ ὁδὸς religio Christiana, cum in Actis Apostolorum, tum in veterum Christianorum scriptis, uti monuit Pearsonius in Expositione Symboli, Artic. 'Et in Jesu Christo.'

Ibid. l. 8. iram in fratrem homicidio superponit] Melius procederet oratio, si vocula *quam* post *fratrem* adderetur. Conferendus hic S. Mat. v. 21, 22.

Ibid. l. 11. *solis receptum*] An *recessum?* Sed nil jubeo.

P. 110. l. 11. ne exclamet aliquis Esaias] Reverte ad cap. 2.

Ibid. l. 13. e Dominica passione modulantes] Posuit ex libro Agobardi *modulatum* Rigaltius, sequente cum Muratorio, qui tamen putat desiderari vocem cujusmodi esset *capientes*, *habentes*, aut quid simile. Veterem lectionem *modulantes* revocavi. *Modulo*, ῥυθμίζω, Glossaria habent. Divinarum autem manuum super crucem expansionem, quam orantes imitari solent, saepe memorant antiqui. Videsis notam ad S. Victorinum, apud Reliquias Sacr. vol. III. p. 472.

Ibid. l. 23. quod Gentilibus adaequent] Forsitan excidit *nos* post *Gentilibus*.

Ibid. l. 29. Ut est quorundam, expositis paenulis orationem facere] Paenula vestium genus fuit, quas pluvioso frigidoque coelo veteres inducbant. Has antequam precibus operam darent, quidam e Christianis deponendas arbitrabantur. Quod vero Tertullianus ait, id consuevisse fieri a nationibus, hoc est ab ethnicis idola adeuntibus, Aeschyli Graecus interpres confirmare videtur. Nescio quid etiam de mutationibus vestium in Gentilium sacris ipse Tertullianus habet in lib. de Pallio, cap. 4. MURATORI.

Ibid. l. 32. adsignata oratione] Absolutam et peractam orationem significat, metaphora deducta e signis et sigillis, quae tum epistolis, tum testamentis aliisque tabulis jam confectis apponi solebant. IDEM.

Ibid. l. 33. nisi si Hermas ille, cujus scriptura fere Pastor inscribitur &c.] Hermae verba exstant in ipso principio libri secundi Pastoris, ubi doctissimus Cotelerius haec annotavit, 'Mos Christianorum quorundam sedendi statim post ora-'tionem, superstitionis arguitur a Tertulliano. lib. de Ora-'tione c. 12, ubi hunc locum laudat. Consuetudo autem 'similis apud Gentiles invaluerat, teste Pindaro. Et 'Plutarchus in Numa, inter aenigmaticas more Pytha-

' gorco leges illius regis, profert hanc quoque, *Ut sedeatur*
' *postquam adoratum fuerit;* quam tribus modis explicat:
' quod firmae esse debeant preces, permanendumque sit in
' bonis; quod interstitium ponere oporteat orationem inter
' et actionem secuturam; quodque in otio, non autem in
' occupatione ac properanter, Numen adire deceat. In
' Quaestionibus vero Romanis, narrat suo adhuc tempore
' usitatum fuisse, ut qui precati essent atque adorassent,
' in templis perseverarent et sederent.' Haec ille. Porro notatu dignum est, in manibus suis habuisse Tertullianum, qui certe Latine scripsit, opus quod nunc superest, Hermae Pastorem dictum, qui liber, auctore Hieronymo de Viris Illustr. voce *Hermas*, apud Latinos paene ignotus fuit. Quippe suspicati sunt aliqui viri docti, duo olim exstitisse ejus nominis opuscula, e quibus unum restet e Graeco versum, alterum vero a fratre Pii Romani episcopi, Latine fortasse scriptum, jam perierit. Vide Reliquias Sacr. vol. I. pp. 396—399, 426—430. Cui quidem opinioni obstat agnitio operis e Graeco versi, quod adhuc restat, a Tertulliano Latino scriptore literis consignata. Interea ab omni concilio Ecclesiarum catholicarum inter apocrypha et falsa opus istud, quod exstat, judicabatur; eodem referente Tertulliano in libro de Pudicitia, cap. 10.

P. 111. l. 17. Angelo adhuc orationis astante] Angelus ille Domini apparuit Zachariae *stans a dextris altaris incensi*. Luc. i. 11. Attulit autem de ministratione angelica ut S. Augustinus sic Rigaltius locum Tobit, cap. xii. com. 12, in quo Angelus dicit, *Et nunc quando orabas tu et Sara, ego obtuli orationem vestram in conspectu claritatis Dei.* Conf. et Apoc. viii. 3, 4.

Ibid. l. 22. sublimius elatis] Dum alteram vocem *elatis* proxime sequentem, ut minime necessariam, delendam censet Junius, malim ego hanc hoc loco eliminare.

P. 112. l. 11. de sua pace fratri transigere] Repetenda sunt ea de superioribus: Christianae caritatis beneficio fieri, ut de jejunantis operatione fratres etiam non jejunantes participent, eoque beneficio adfecti, jam audeant transigere cum jejunante, ita ut pro communicato jejunii merito pacis suae Christianae gratiam mutua pensatione communicent. RIGALT.

Ibid. l. 33. et reservato] Variis de causis veteres Christiani panem eucharisticum apud se reservare solebant. Causa reservandi hic dicta utrum alibi memoretur, me latet.

P. 113. l. 6. De habitu vero duntaxat feminarum—quasi]

Haec reperiuntur in vetustiss. exemplari, neque spernenda sunt. Post illa vero, *Per ecclesias quas*, sequitur in eodem exemplari, absque ulla distinctione, *Disposita utensilitas, ut et proprias operas plures et necessariores* &c. quae habentur lib. I. de Cultu Fem. p. 79. RIGALTIUS, qui haec pauca verba usque ad literas *quas*, vocabuli *quasi* partem l. 22, primus edidit. Superius, voces, *quo Paulus*, omiserat.

P. 113. l. 14. lenonem operositatem] Conjicit Schutzius *lenoninam* [lenoniam] esse legendum.

Ibid. l. 17. quasi] Cum hac voce incipit novum atque insigne hujus libelli augmentum, Tertullianum stilo omnino referens, ex Codice Ambrosiano a Muratorio desumptum. Codex autem ipse, uti ostendit idem vir eruditus, cum initio capitis noni orsus erat. Verba interea, ‘quod pro-‘miscue observatur per Ecclesias,’ quae lectio est Rigaltii, praetuli Muratorianae, *quid promiscue observetur p. E.* Ad sensum eorum quod attinet, adverbium *promiscue* varie ac diverse valere indicatur superioribus illis, *varietas observationis efficit.*

Ibid. l. 24. Aut quum] Fors. *At* quum.

Ibid. l. 28. Qui ita concedunt] Fors. Qui ita *contendunt*, quod quidem verbum mox habes, vel saltem *concludunt*, reponendum est.

Ibid. l. 31. inveniunt] Fors. legendum *invenient*, nisi altera lectio ferenda sit.

Ibid. l. 33. *mulierem* et *feminam* cognominavit] Hoc fit in interpretationibus Scripturae sacrae Latinis. Quae vero his subjunguntur, ‘feminam, qua sexus generaliter, mulierem, ‘qua gradus sexus specialiter,’ ea tanquam glossatori cuidam debita, uncis inclusi; quippe quum plane contraria sint ipsi Tertulliano statuenti, *mulierem* sexus esse nomen, non gradum sexus.

P. 114. l. 2. Itaque jam tunc innupta adhuc Eva mulieris vocabulo fuit] Fortasse scribendum, Ita quia *jam tunc innupta adhuc Eva* sub *mulieris vocabulo fuit*. Habes infra, *sub viri nomine*, et, *sub nomine mulieris*. Ceterum idem adducitur a Tertulliano argumentum in libro de Virginibus Velandis, cap. 5.

Ibid. l. 7. divinitatum, et illa] Fors. corrigendum est, *divina, tum et illa.*

Ibid. l. 10. non sonant] Corrige *consonant.*

Ibid. l. 12. ubi de nubendo docet] Certe paulo post in eodem isto cap. vii prioris Epist. ad Corinthios, comm. 34. mulier et virgo ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος, memorantur. Infra scribendum est, *omnino non* nominatam.

P. 114. l. 21. mulieres vocare tam feminas, id est γυναῖκας, quam θηλείας] *Quam feminas*, id est, potius quam feminas. Est elegans in Hebraeo sermone dicendi formula, et aliis in locis a Tertulliano usurpata. MURATORI. Videtur vir doctissimus vel legisse, vel legere voluisse, *quam* pro *tam*. Certe in scriptoribus Graecis, eorumque imitatoribus, plurima exempla hujus idiotismi extant. [Vide infra, p. 432.]

Ibid. l. 25. contingitur] Corrige *continetur*.

Ibid. l. 30. sicut nec vir nec velandi] Propter verba sequentia legendum videtur, *sicut nec vir, nec investis, velandus*.

P. 115. l. 9. et virginitati defunctas concupiscentiae] Ait Muratorius, hic sibi verbum aliquod desiderari videri, cujusmodi esset *ignes excitare*, aut quid simile. Sed fortasse legendum, *et* virginitate *defunctas concupiscentiae fuisse. Magno desiderio fuit*, id Terentianum est.

Ibid. l. 13. quod non virgines solas concupierint] Particula *non*, ut recte statuit Muratorius, delenda hic est. Attamen sub *filiarum hominum* titulo comprehendi a Tertulliano viduas, verba mox sequentia ostendunt. Aliter autem rem statuit auctor ipse in libro de Virginibus Velandis jam saepe allato, ubi ait, ‘ quum ergo filias hominum ‘ dicit, manifeste virgines portendit, quae adhuc apud ‘ parentes deputarentur.’ cap. 7.

Ibid. l. 19. Itaque vacant] *Ita quia vacant*, corrigendum est, ut supra, p. 114, l. 8.

Ibid. l. 33. virginibus quoque injiciens velamentum] Haec cum superioribus conjunxi, contraque verbum *excusetur* cum sequentibus; etsi aliter dispositus hic locus est in editt. Muratoriana atque Halensi.

P. 116. l. 3. texuerunt] Sic MS. Mavult Muratorius *texerunt*.

Ibid. l. 4. sicut naturae, ita et disciplinae debet aetas esse munifica] An scribendum *naturâ* et *disciplinâ* pro *naturae* et *disciplinae?* Quod ad vocem *munifica* attinet, Isidorus lib. x. Orig. a Forcellino in Latinitatis Lexico adductus in v. *Munificus*, hoc habet: ‘ Munificus dictus est, ‘ quia munera multa dat, vel quia munus suum, id est offi- ‘ cium, quod debet, adimplet.’ Videtur ergo Tertulliani locus hoc significare; ut lege naturae, ita et instituto disciplinae aetas adulta debet munia sua exsequi. Sequitur, ‘ nam ‘ et membris et officiis mulieribus resignantur,’ hoc est, mulieribus omnes assignantur, vel, adnumerantur. Porro auctor habet in lib. i. ad Uxorem, ‘ Carnis concupiscentia aetatis officia defendit.’ cap. 4.

P. 116. l. 8. nupsit suo viro, id est tempori] Tertullianus in lib. de Virginibus Velandis, cap. 11. ‘Alia in occulto mater natura, et alius in latente pater *tempus, filiam* ‘suam legibus suis maritarunt.’

Ibid. l. 10. et omnem habitum ad mulieres convertit] Tanquam si nuptiis nuntium misisset.

Ibid. l. 16. ante Deum] Hoc est, in Ecclesia, dum in viis velari soles.

Ibid. l. 19. Quid alias ostentatione tui judicas?] Quum mos fuerit in plurimis Ecclesiis, sed idem ex sententia Tertulliani vitiosus, ut ne velarentur virgines; quaevis femina non velando, sed cetera similiter atque matronae, id quod hic innuitur, vestita, virginem se esse Deo devotam ostentabat, aliasque haud tale quid de se professas judicare videbatur. Ita rem intelligo.

Ibid. l. 22. Facile eligitur quod affectione gloriae assumitur] An *eliditur?* Vox Tertullianea est. Ait auctor in lib. de Spectaculis; ‘Et palaestrica diaboli negotium est. ‘Primos homines diabolus *elisit*.’ c. 18.

Ibid. l. 30. Sed non putet institutione unusquisque antecessoris commovendam.] Latere mendum in his verbis sentio, sed reparare non audeo. Fortasse legendum *uniuscujusque*. Sensus autem est: Non esse virginum, quae antecesserunt, consuetudinem, pro ratione adducendam. MURATORI. Magis existimem, voce *antecessoris* Episcopum decessorem significari, et corrigendum esse *institutionem*. Adi Tertullianum de Virginibus Velandis, capp. 2, 3.

Ibid. l. 32. Multi alienae consuetudini prudentiam suam, et constantiam ejus addicunt, ne compellantur velari] Et heic verba corrupta existimo. Legere mallem *multae*. Inquit autem, complures virgines, ne in templo velari compellerentur, praecedentium virginum consuetudine sese tueri, satis se prudentes arbitratae, si quod illae constanter fecerunt, et ipsae facerent. MURATORI. Locus ea ratione corrigendus mihi quidem videtur, ut voce *multi* significentur praesules, qui virgines velari non cogebant. Nam superius atque ex ipsius auctoris disputatione de Virginibus Velandis satis constat, ex parte non velantium stetisse consuetudinem plerarumque Ecclesiarum. Itaque locum sic refingo. ‘Multi ‘alienae consuetudini prudentiam suam addicunt, et constan- ‘tiam ejus *adducunt*, ne compellantur *virgines* velari.’

P. 117. l. 2. Certe voluntarias] Ita ego interpretarer. Velari feminas nuptiis saeculi aut Christi addictas, omnino necessarium est. At quae virginitatem voluntariam colunt, donec maritum sibi comparent, his prorsus interdicenda non

est capitis nuditas, sed monendae tantum, ut meliora disciplinae consilia amplectantur, quamvis se virgines interdum mentiantur. Mendosum Codicem explicare per solas conjecturas cogimur. MURATORI. *Voluntarias* interpretor ego virgines volentes velari, quae se etiam virgines esse negare *poscunt*, ita enim scribendum puto, inter nuptas celatae: hoc modo ingloriae et obscuratae, conscientia vero virginitatis suae apud Deum contentae. Ait auctor supra, ' Bene mentiris nuptam, si caput veles.' Interea pro vocibus *in fama* reponerem *in infamia*, vel, *infamatae*, quod quidem verbum habet auctor in lib. suo de Corona Militis, cap. 6. Et convenit cum illis, ' suae conscientiae apud Deum securitate,' Apostoli illud Rom. xiv. 22.

P. 117. l. 15. tantum notitia ejus nubendo velata est] Sensum loci ostendunt verba Tertulliani in libro de Virginibus Velandis cap. 11. ' Ostendit enim etiam nuptias de ' aspectu et animo fieri, quemadmodum stupra, nisi quod ' etiam Rebeccam quidam adhuc velant.' Ubi optime adnotatur in edit. Halensi, " Rebeccam, virginem desponsatam ; " sed aliam non velant." *Nubendo* hoc loco, *ut nuberet*, significat.

Ibid. l. 20. caussam dicat] h. e. culpetur, reprehendi soleat.

Ibid. l. 23. solo die Dominico resurrectionis] Legendum *Dominicae*. De more ipso videsis notam ad S. Petri Alexandrini Canonem ult. in vol. IV. Reliquiar. Sacr. p. 45.

Ibid. l. 24. sed omni anxietatis habitu] Desiderari heic verbum *abstinere* mihi videtur. Quum genu flectere et jejunare moestitiam atque poenitentiam spirarent, Dominico die, nempe exsultationis die, abstinendum ab eo more fuit. MURATORI. Mihi quidem, vocem *officio* pro *officia* substituenti, nullum verbum desiderari hoc loco videtur.

Ibid. l. 27. quae eadem exsultationis solemnitatem dispungimur] Diximus et in Pentecoste genua non flexisse Christianos. Nescio an legendum : quae eadem exsultationis *solemnitas est, dispungimus*. In lib. de Patientia *expunxit* pro *praestitit* usurpatum est a Tertulliano ; et *dispuncta est* pro *absoluta* cap. 5 de Carne Christi ; et *expunget* pro *perficiet* in lib. de Resurr. Carnis. In lib. etiam adversus Judaeos : ' Itaque,' ait, ' *dispungamus* ordinem coeptum,' hoc est, *absolvamus*. Igitur *tantumdem dispungimus* hoc loco nil aliud significet, quam *praestamus*, et *absolvimus*. MURATORI. Legerim, quae eadem exsultationis *solemnitate dispungitur*. Habes in Lib. quoque 1. adv. Marcionem, cap. 22, verbum passivum, ' in utroque *dispungitur* a Deo.'

P. 118. l. 9. apud Paulum] Legendum videtur, *aut a Paulo.* MURATORI.

Ibid. l. 17. communitatis omnis] Fors. *omnium.*

Ibid. l. 23. qua et orandi admonitionem constringat] Legendum videtur, *quae* et orandi *admonitione* constringat. Et postea jam Montanista factus Tertullianus, etsi dicat, semper et ubique et omni tempore orandum, tamen tres horas fatetur esse apostolicas, tertiam, sextam, nonam, advs. Psychicos, cap. 10, ubi similia huic loco invenias.

Ibid. l. 29. Exceptis utique legitimis orationibus] Preces matutinas ac vespertinas Lege praescriptas ait. De iis loquitur Chrysostomus, Hom. 22 in Epist. ad Hebr. Vide et Cyprianum, cap. ult. de Oratione, ubi ‘ mane, et recedente ‘ sole necessario orandum’ ait. MURATORI. Respicere hoc loco Tertullianum ad usitatas hymnorum formulas, mane et vesperi a veteribus Christianis recitatas, demonstrant, opinor, Tertulliani verba, modo sint cum Cyprianicis collata, sicut jam olim dixi ad Hymnum Vespertinum, in vol. III. p. 519. Reliquiar. Sacr. De Matutino illo ita loquitur auctor supra, ‘ vel prima saltem oratione, qua lucem ingre- ‘ dimur.’ cap. 23. Chrysostomi verba sunt—*οὕτως εὐχομένους μετὰ προθυμίας. Οὕτως ὑμᾶς εἶναι βούλομαι ἀεί· εἰ δὲ μὴ ἀεὶ, κἂν πλεονάκις· εἰ δὲ μὴ πλεονάκις, κἂν ὀλιγάκις, κἂν ἐν ταῖς ἐωθιναῖς, κἂν ἐν ταῖς ἑσπεριναῖς.*

Ibid. l. 31. Sed et cibum non prius sumere] Tertullianus, Apologetico cap. 39, ‘ Non prius discumbitur, quam oratio ‘ ad Deum praegustetur.’

P. 119. l. 4. Vidisti, inquit, fratrem, vidisti Dominum tuum: maxime advenam, ne Angelus forte sit] Haec e sacris Scripturis citari videntur; locum vero innuere nescio. Quod patet, respicit ad cap. xiii. n. 2 Epist. ad Hebraeos, ubi Apostolus hospitalitatem commendans ait, interdum Angelos hospitio recipi. Sunt ejus verba, *Et hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt* [*placuerunt* habent Alii] *quidam, Angelis hospitio receptis.* Alludit autem ad Angelos, qui se hospites Abrahamo et Lot obtulerunt. Hinc S. Ambrosius, in lib. de Abraham. cap. 5, ‘ Quei scis,’ inquit, ‘ an ‘ Deum suscipias, quem hospitem putas? Abraham dum pere- ‘ grinantibus defert hospitium, Deum atque Angelos ejus sus- ‘ cepit hospitio. Quamvis et quum hospitem suscipis, Deum ‘ suscipis &c.’ Idem ab eo repetitur lib. II. cap. 21 de Officiis. At in verbis Tertulliani aliquid fortasse desideratur. MURATORI. Confer et Matt. x. 40. Sed hic afferri auctor quispiam videtur. *Maxime advenam,* an significatur, et quod maximum est, advenam, atque adeo magis honorandum?

P. 119. l. 6. Sed nec ipse a fratribus exemtis priora fecerit &c.] Mihi quidem legendum videtur, sed nec ipse a fratribus *exceptus* priora *feceris*. Mox melius foret *indicabitur*, quam *judicabitur*.

Ibid. l. 12. in orationibus Alleluja] De hujus vocis antiquitate ac repetito usu in precibus sacris jam alii satis egere, deque illa mentionem faciunt S. Augustinus in Psal. cvi et cx, S. Ambrosius in Apologia pro Davide, Sozomenus lib. VII, capp. 15 et 19, S. Paulinus, S. Hieronymus, Isidorus, Sidonius, et alii. A Judaeis ad Christianos transiit; est enim in Davidicis Psalmis frequens, eamque olim potissimum in Ecclesia Hierosolymitana usurpatam discimus a S. Gregorio, lib. II. Epist. 63. MURATORI.

Ibid. l. 13. quorum clausulis respondeant] Legentium eruditioni facerem injuriam, si post doctissimum summeque pium Cardinalem Bonam de antiquissimo psallendi, ac Davidicos Psalmos aut recitandi aut canendi usu loqui vellem. Ejus librum de Psalmodia consulat quisquis saturari cupit. Heic transiens animadverto, quam vetustus ille etiam sit ritus, quo Psalmi alternis in choro aliisque ecclesiasticis supplicationibus recitantur. MURATORI. Orationibus subjungi hic dicuntur id genus psalmi, quorum clausulae aptae sunt ad respondendum.

Ibid. l. 16. saturatam orationem velut optimam hostiam admovere] Saturatam orationem. Sicuti *jejuna oratio*, alio tamen sensu, a Cicerone dicta est, ita et *saturata* a Tertulliano dicitur, quae preces cum recitatione Psalmorum conjungit. Haec est optima, haec est pinguis hostia, quam ad aram divinam perducimus. MURATORI. Legerim, velut *opimam* hostiam *admovens*.

Ibid. l. 29. sacrificaremus] Fors. *sacrificamus*.

P. 120. l. 5. negavit Deus] Praetulerim *negabit*.

Ibid. l. 21. Mirum si aquas coelestes &c.] Inter haec significari videtur, ut olim monui ad S. Apollinarem apud Reliquias Sacr. vol. I. p. 164, pluvia, quae, auctore ipso quoque Tertulliano in alio libro, Imp. Marci Antonini exercitui precibus Christianorum impetrata est.

Ibid. l. 24. novit operari] Fors. legend. *voluit* operari.

Ibid. l. 32. regit divites] Fors. *dirigit*.

P. 121. l. 2. adversus hominem, qui nos undique observat] Haec revera de diabolo dicenda erant, qui semper *circuit quaerens quem devoret*. Sed quo jure *hominem* Tertullianus appellasset? De ethnicis ergo principibus loqui mihi videtur auctor, qui nihil non curabant, atque observabant, ut Christianorum reipublicae nocerent. MURATORI. Reponere

quis velit, *homines*, qui nos undique *observant*. De Judaeis enim insidiantibus Christo ait S. Marcus, *et observabant* eum, καὶ παρετηροῦν αὐτόν. iii. 2. Sed omnino legendum est *hostem* pro *hominem* cum cl. Oberthur, qui in editione sua SS. Patrum Latinorum, Wirceburg. 1788, scite hoc conjecit. Confer et inferius S. Cyprianum, de Zelo et Livore cap. 1. Ad libellum hunc de Oratione quod attinet, idem Oberthur contextum, ut aiunt, editionis Halensis sine notis ei subjectis repetivit, nulla alia praeter hanc conjecturam observatione adjecta.

P. 121. l. 10. non otiosi ore suspiciunt, vibrantes spiritu suo movere] Scribendum est, non *otioso*, aut non *otiosae*. MURATORI. Velim ego reponas, non *otiosae* ore suspiciunt *vibrante*, spiritu suo *movente:* vibrante pro vibrantes et movente pro movere positis.

Ibid. l. 16. cui sit honor &c.] Similem doxologiam Christo Domino affert fine Epistolae suae posterioris Petrus Apostolus. Confer S. Pauli Ep. posterioris ad Timoth. cap. ult. et S. Joannem plus semel in Apocalypsi.

IN

TERTULLIANI

LIBRUM

DE PRAESCRIPTIONE HAERETICORUM

ANNOTATIONES.

Tractatuum quos edo Tertulliani prior ille de Oratione auctori ante lapsum ejus ad Montanismum attribui solet; sed alter libellus, de Praescriptione Haereticorum, propterea quod ab eo in libro primo suo contra Marcionem videtur promissus fuisse, quum Montanista jam factus esset, inter opera ejus composita post susceptos errores Montanisticos nonnunquam censetur, magis quam propter perperam dicta, quae in ipso tractatu reperiantur. Certe ego nulla omnino hujus haeresis vestigia in hoc opusculo deprehendi posse existimo, aut ibi apparere cujusquam doctrinae semitas ab Ecclesia non calcatas. Ponas enim haud exstare quidquam Montanismo discors in capite vel 22, vel 36, omnia tamen catholico more modoque ubique exponit Tertullianus. Verum enim vero fieri potest, ut quo tempore hoc opusculum auctor scriberet, is novas prophetias neque rejiceret nec reciperet; haud tamen propterea haereticus existimandus, qui fidem Ecclesiae retinuerit. Ad locum illum quod attinet libri primi contra Marcionem, in quo promissum hoc opus nonnullis videtur, nos meminisse debemus, diversis quidem temporibus exortam atque auctam esse disputationem illam adversus Marcionem, indice ipso Tertulliano initio libri. Immo quod bene perpendendum est, verba de quibus agimus, ut Ant. Fr. Vezzosi ad Cardinalis Thomasii Institutiones Theol. vol. I. p. 8, suggessit, opus aliquod posthac edendum haud necessario significant. Verba apponam—'Sed alius libellus,' inquit Tertullianus, 'hunc gradum sustinebit adversus haereticos, etiam sine retractatu doctrinarum revincendos, quod hoc [haeresis] sint de praescriptione novitatis. Nunc quatenus admittenda congressio est interdum, ne compendium praescriptionis ubique advocatum diffidentiae deputetur, regulam adversarii prius praetexam.' lib. I. c. 1. 'Soleo,' scribit et alibi, 'in praescriptione adversus

‘ haereses omnes de testimonio temporum compendium figere, ‘ priorem vindicans regulam nostram omni haeretica pravi- ‘ tate.’ lib. v. c. 19. Neque aliter de hac re sentire video virum eruditum Joannem Kaye Lincolniensem Episcopum in opere Anglica lingua conscripto, cui titulus, Hist. Eccl. Saec. ii. et iii. ex Scriptis Tertulliani illustrata, p. 50.

Ceterum si quis propter initium hujus ipsius de Praescriptione Haereticorum libelli ipsum ἀκέφαλον putet esse, quasi olim praecesserint nonnulla contra haereses aliquot scripta, huic quidem suspicioni opponi potest finis et conclusio ejus : ‘ Sed nunc quidem,’ ait auctor, ‘ generaliter ‘ actum est a nobis adversus haereses omnes certis et justis ‘ praescriptionibus repellendas a collatione Scripturarum. ‘ De reliquo, si Dei gratia annuerit, etiam specialiter quibus- ‘ dam respondebimus.’ Et Catalogus quidem Haereticorum huic libro quandoque tanquam pars ejus subjungi solet. Idem vero cum in aliis exemplaribus, tum vero in Hirsaugiensi Codice ei praecedebat. Sed de hoc opusculo, quod alius profecto a Tertulliano scriptoris videtur esse, plus infra.

P. 122. l. 12. quod tantum haereses valeant, quantum sint] Istud *quantum sint* editionis principis lectio est, probante Pamelio, itidem Junio in notis editioni Franekerianae adnexis, ubi ait, ‘ Recte, nam τὸ εἶναι haereseon valere est ; ‘ quum primum valent, sunt : quum primum non valent, ‘ desinunt esse.’ Exstitit et haec lectio referente Pamelio, apud Quintinum in editione hujus tractatus, Gallicumque ejusdem interpretem Macerium. *Quantum sunt,* exhibent Delacerda, qui Tertullianum edidit Parisiis anno 1630, Christianusque Lupus in edit. hujus libelli Bruxellis anno 1675 typis mandata. Hic enim lectionem Rigaltianam, *Quantum si non fuissent ?* repudiavit ; cujus quidem lectionis origo haec fuit. Ad marginem scilicet editionis principis ab ipso editore Beato Rhenano positum est, *Aliàs, quantum sint, fuissent.* Et ad tertiam editionem suam anno 1528 idem Rhenanus hoc annotavit, ‘ Scripsimus *quantum si non* ‘ *fuissent,* consentientibus exemplaribus plurimis.’ Memoratque in hac parte Vaticanum Codicem MS. Pamelius. Tum vero in edit. Paris. 1556 excusa, quae quidem, ut dixi, Gelenianae repetitio est, hoc exstat, *Quantum non valerent, si non fuissent.* Immo exstare hanc lectionem nunc video in editione Paris. anno 1545 a Gangneio, ut fertur, adornata, quinque annos ante ipsam Gelenianam typis impressa. Denique ope usus exemplarium Agobardi et Divionensis Rigaltius, spreto judicio Pamelii et Junii, illud, *quantum si non fuissent,* cum interrogationis signo, in editionem

suam posteriorem recepit, quae anno 1634 prodiit. Conjecerat autem Latinus Latinius in Bibliotheca sua Sacra et Profana, p. 197, emendandum esse, *non quantum sint* pro *quantum sint.* Ego nulla harum lectionum contentus reponere ausim, *quantum possint* pro *quantum sint*, ut locus ita legatur, *quod tantum haereses valeant, quantum possint.*

P. 122. l. 13. Quum quid sortitum est, ut omnimodo sit, sicut causam accipit ob quam sit, sic vim consequitur, per quam sit, ne esse non possit.] Ita ex editionibus Rigaltianam antecedentibus locum repraesentavi, dum *nec* pro *ne* habent editt. omnes ante Gelenianam. Rigaltius vero vocem *sicut* omisit, et *haec* pro *sic* posuit. Minus bene, opinor. Insuper Cardinali Thomasio, istud licet secuto, teste viro docto, qui hunc Tertulliani librum Romae anno 1765 edidit, clarior et dilucidior altera lectio videbatur. Restituitque eam Christianus Lupus. Verba autem, *vim consequitur, per quam sit*, id significare videtur, pendere rei existentiam efficacia sua; sic quoque habes infra, *dum possunt, habent esse.* Nihilominus pro verbis ultimis, *nec esse non possit*, melius fore opinor, *nec est*, si *non possit.* Rescripsit vero Wouwerius in Emendatt. Epidict. ad Opera Tertulliani, *Sic vim consequatur, per quam sit necesse, est ut possit.*

Ibid. l. 18. neque quia est miramur] *Quia* apud hos scriptores valet *quòd.*

P. 123. l. 15. etiam superatus recedit] Loquitur Septimius hoc loco de athletarum compositione in agonibus usitata.

P. 124. l. 1. a regula] h. e. ut ait Semlerus ad. edit. suam Halensem, a symbolo, a fide catholica. Adi cap. 13.

P. 125. l. 25. adjungat] Sic quidem post edit. principem aliasque edidit Rigaltius. Positum est *adjungit* in edit. Franek. quod in Anglico MSto exstare ait Pamelius. Sed *adjugat* legendum conjecit Franciscus Junius, probante et Semlero.

P. 126. l. 8. cum maxime diverti ad ejusmodi objurgans, et docens &c.] Ita fere editt. ante Rigaltium, nisi quod *ad* pro *ab* ex ultima Rhenani edit. atque edit. Parisiensi utraque libens reposui. Recte fortasse notavit Junius, esse hoc loco *cum maxime* idem ac *quam maxime.* Sic et alibi Tertullianus. Sed Rigaltius posuit, *cum maxime diverti ab ejusmodi objurget, edocens* &c. Minus recte.

Ibid. l. 15. post primam correptionem] Hodie hunc Pauli locum constanter legimus: *Haereticum hominem post unam aut alteram correptionem devita.* Codices aliqui omiserunt

voces *aut alteram*, teste Tertulliano hic, S. Cypriano Ep. 55. et lib. III. cap. 78 ad Quirinum, Ambrosio pluribus in locis, ac Hilario Romanae Ecclesiae diacono. S. Hieronymus vero ait, in Graecis legi *post unam*, in Latinis codicibus, *post unam et alteram*. ANNOTATIO ad edit. Romanam hujus tractatus, quae anno 1765 prodiit. Ad S. Scripturae locum quod attinet, Graecorum superstitum Codicum lectio est, plurimis consentientibus Latinis, *μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθέσιαν*.

P. 127. l. 9. subornantur] Ornantur videlicet, instruuntur, augentur, quod constat Latine dici. Notae ad Thomasii Institt. Theol. vol. I. p. 14. in quibus hic Tertulliani liber collocatus est.

Ibid. l. 10. trinitas hominis] Ut has nugas interpretari valeamus, mittit nos Semlerus ad Tertulliani librum de Anima cap. 2; ad Irenaei autem lib. I. contra Haereses Thomasiani textus editor. 'Haec Trinitas sunt, homo hylicus seu choicus, id est, materialis aut terrenus; psychicus seu animalis; et spiritalis.' Annotatio est ad edit. Romanam ex Christiani Lupi Scholiis desumpta.

Ibid. l. 11. Platonicus fuerat.] Theod. Canterus Junio confirmaverat in quibusdam [quodam] MSS. legi, *Platonicus furor*, forte melius; *tranquillitas* opponitur. SEMLER. At vero scribit auctor infra, 'Ubi tunc Valentinus Platonicae sectator?'

Ibid. l. 17. de igneo Deo] Deus igneus Apelli tribuitur cap. 33.

Ibid. l. 22. ectromate] Hieronymus in Amos prophetam primo commentario scribit, Valentinum ex Aeonibus suis extremum, hoc est, trigesimum, Christum vocare, et *ἔκτρωμα*, hoc est, abortivum. BEATUS RHENANUS a Semlero allatus.

Ibid. l. 23. Sequitur Aristotelem] Ita edit. princeps Rhenaniana, verba jungens cum prioribus. In ultima edit. sua Rhenanus emendavit *inserunt Aristotelem*, Pameliusque se sic legere ex Codice Vaticano testatus est. Junius vero in notis ad edit. Franek. in qua quidem, sicut in Delacerdae editione, haec lectio exstat, hoc monet, '[Prima] editio Rhenani, *sequitur Aristotelem*, alii *miserum Aristotelem*, *ἀναβοητικῶς*. Nihil muto.' Verum tamen istud *miserum Aristotelem*, quod exhibet edit. Paris. anno 1566 excusa, recepit Rigaltius. Ego interea, quia nulla harum satisfacit lectionum, scribendum puto *Sequitur Aristoteles*.

Ibid. l. 25. in conjecturis duram] An hoc significatur, in probabili argumentatione nodosam ac difficilem? Incisa ego inter haec mutavi.

P. 128. l. 18. ad ineundam curiositatem—ad importandam curiositatem.] Habet auctor infra, in cap. 12, ‘quaestiones ‘inire.’ Ac simile est illud supra, ‘quarum opera sunt adul- ‘terae doctrinae; *haereses* dictae Graeca voce, ex interpreta- ‘tione *electionis*, qua quis sive ad instituendas, sive ad susci- ‘piendas eas, utitur.’ p. 126, l. 20. Porro sine causa, opinor, mutavit posteriorem vocem *curiositatem* in *scrupulositatem* Rigaltius. Adnotante ad edit. Halensem Semlero, videri nomen novum abfuisse, *curiositatem* revocavi.

Ibid. l. 25. quum etiam Joannes de illo certus esse desisset] Interpungendo post vocem *certus*, diversum omnino sensum eruit Rigaltius; sed dubito an verum.

Ibid. l. 30. *Habent*, inquit, *Moysen et Heliam*] Hic memoria fefellit auctorem. SEMLER. *Habent Moysen et Prophetas*, S. Lucas, xvi. 29.

P. 129. l. 8. pulsabit] Mutavit Rigaltius in *pulsavit;* et supra in l. 2 pro *erit* mavult *erat* Junius. Sed Christianum Lupum et Cardinalem Thomasium secutus veterem lectionem revocavi. Mox *at* pro *an* cum verborum sensu bene conveniret.

Ibid. l. 24. Et hoc erga illos facit] Edidit Rigaltius, *Et hoc ergo illo facit.* At vero, ut ait Semlerus, scribendum esse *erga* pro *ergo*, edit. principis lectione, bene conjecit ibi Rhenanus; namque postea exstat, *vacabat erga nos.* Praestant *erga* edit. Rhenani ultima, Paris. utraque, et Franek. idque ante me revocarunt Lupus et Cardinalis Thomasius. Reponere vult Junius *fecit* pro *facit*, nempe quod promiserat, ut narratur Act. i et ii. Ceterum hic conferas quae infra, capite 28, auctor scripserit.

P. 130. l. 2. tamen et hic expetit sensus, certare cum interpretationis gubernaculo] Sic edit. princeps; sed *expedit* pro verbo *expetit* habent ed. ultima Rhenani et prima Parisiensis. Praestant editiones Paris. secunda et Franek. ‘tamen ‘et hic expetit sensus *certae* interpretationis *gubernaculum*,’ et revocaverunt hanc lectionem Lupus et Thomasius. Nam ediderat Rigaltius, afferente illud e veteri suo Codice Wouwerio, ‘tamen et hic *expedit sensu* certare cum interpretatio- ‘nis gubernaculo.’ Praetulerim ego lectionem Rigaltianam, si modo voci *sensu* particula *de* praeponatur. Ad voces *cum interpretationis gubernaculo* quod attinet, scribit auctor in lib. suo de Pudicitia, cap. 9, ‘Plus est igitur si nec expedit in ‘Christianum convenire ordinem filii prodigi. Quod si nec in ‘Judaeum integre filii imago concurrit, ad propositum Domini ‘simpliciter *interpretatio gubernabitur.*’ Porro mox infra habes,—‘ne *Quaerite et invenietis* sine disciplina rationis

'interpretentur.' Denique voces ita exponit in indice suo Latinitatis Tertullianeae Semlerus, 'cum ratione, cum disciplina rationis, quae omnem interpretationem gubernare debet, et in ea semper regnare.'

P. 130. l. 18. penes nos esse] i. e. Catholicos. SEMLER.

Ibid. l. 24. constitit] Ait Pamelius, 'Magis placeret *consistit* quam *constitit*, nisi infra lectum esset [cap. 16.] *nisi ratio* constiterit.'

P. 131. l. 2. fructus ipse quaerendi] Verbum *credendi* ex libro Ursini MS. substituit Rigaltius. Revocaverunt veterem lectionem cum Priorius in edit. Rigaltiana anno 1664 Parisiis excusa, tum Lupus et Thomasius, quos secutus sum. Semlerus nullum verbum adfuisse censet.

Ibid. l. 10. expunctio] Id est, complementum. JUNIUS.

Ibid. l. 15. dum ubique convenio] Sic Rigaltius ex editione principe, ubi tamen Rhenanus scribendum conjecerat *convenior*. Quam scripturam amplexa est non edit. Paris. prior quidem, sed editt. Paris. secunda et Franek. probante Semlero, et revocantibus eam in editiones suas Lupo Thomasioque, haud multo diverso sensu, ni fallor, affixo, quam habet Senecae illud, 'Nusquam est, qui ubique est.' Epist. ii, p. 5, ed. Schweigh. At vero, ut Rigaltio locum restituenti potius assentiar, mihi suadet notio verbi *convenio* ex quatuor vel quinque Tertulliani locis eruta; quorum primus exstat in libro de Jejuniis, cap. 13. 'Ecce enim,' inquit, 'convenio vos et praeter Pascha jejunantes.' Alter in lib. II. advs. Marcion. cap. 17. 'Repende autem austeritati lenitatem; quum utrumque *conveneris* in Creatore, invenies in eo et illud, propter quod alterum Deum credis;' tertius autem in lib. de Carne Christi, cap. 11. 'Sed aliam argumentationem eorum *convenimus*, exigentes cur' &c. Quartus denique in lib. de Testimonio Animae, cap. ult. 'Quum enim times fieri Christianus, eam [animam] *conveni*, cur alium colens, Deum nominat; quum maledicendos spiritus denotat, daemonia pronuntiat, cur ad coelum contestatur, et ad terram detestatur; cur alibi servit, alibi vindicem *convenit*.' In quo quidem loco verbum *convenio* cum sensu arcessendi positum videtur, Anglice *convene;* sicut postea, ubi *haereticum convenire*, seu *arcessere* auctor habet, cap. 16. In illo vero, de quo agimus, valet idem atque *deprehendo*, seu, *mihi occurrit*. Denique, quod ad rem est, in cap. 43 hoc exstat, '*Quaerite et invenietis* ubique meminerunt.'

Ibid. l. 16. et velim sic nusquam, quasi qui nunquam apprehenderim] Ita edit. Paris. posterior anno 1566 typis impressa, et probante Junio. Idemque conjecerat le-

gendum Latinus Latinius, quum invenisset *velint* pro *velim* in editionibus Rhenani. Ille vero Rhenanus ad oram tertiae suae editionis duxit scribendum, *et velut sit nusquam;* atque in notis suis ad edit. suam ultimam maluit reponere, *sed veluti sit nusquam;* dum *et erit* pro *ero itaque* in antecedentibus, minus autem bene, exstitit; exponente tamen Semlero "*erit*, scilicet, illud quod quaero." Debitum autem esse nunc video editioni Paris. priori istud, *Ero itaque*, idque melius videtur. Sed, ut revertar, habet editio Franek. post Pamelium, *Et velint me sic esse nusquam, quasi* &c. Posuit denique Rigaltius, praeeunte Wouwerio, qui vet. Codicem testem citat, 'et *velut* si nusquam, et quasi qui nun- 'quam apprehenderim.' Nunc malim ego posteriorem editionem Parisinam, textum Gelenii referentem, sequi, subintelecto post verbum *velim* dicere, vel statuere.

P. 132. l. 4. quia non invenit] Rescripsit docta manus *inveniet* ad oram edit. principis penes Novum Collegium apud Oxonium, quod propter sequentia hic placet.

Ibid. l. 20. Nemo inde strui potest unde destruitur] *Instrui* posuit Rigaltius, quod quidem praestabat edit. Paris. 2nda, et, referente Pamelio, MS. Cod. Anglicanus; sed vere Tertullianeum, ait ille, est *strui*. Sic in cap. 13. Hoc etiam invenit in MS. suo Wouwerius, probatque ipse, contra quam adnotatum est in edit. Halensi. Atque haec editionum Rhenani et Paris. primae lectio a me nunc revocata est.

Ibid. l. 30. emissum] Sic libri editi ante Rigaltium, qui in altera sua editione *demissum* posuit. Recte revocaverunt pristinam lectionem Lupus et Thomasius, quos secutus sum. Ceterum exstat in lib. de Virg. Velandis, cap. 1, alia fidei regula, seu formula, Symbolum, quod dicitur Apostolicum, fere iisdem verbis exprimens.

P. 133. l. 2. egisse Jesum Christum] Habet Tertullianus in Apologia, cap. 21, 'cum discipulis quibusdam *egit*,' et alibi, [adv. Marcion. II. 16.] '*Deum* etiam in terris *egisse*.' Illud interea *in coelos ereptum* bis quoque infra positum est in cap. 24.

Ibid. l. 19. doctor gratia scientiae donatus] Notatum viris doctis duplicem eo loco a Tertulliano distingui doctorum ordinem, unum eorum, qui scientia coelitus demissa gaudent; alterum eorum, qui litterarum exercitio illam sibi comparant. Adnotatio ad THOMASII edit.

Ibid. l. 20. aliqui tecum, curiosius tamen, quaerens] Vulgo legitur *curiosus*, et repetitur *tecum* ante *tamen;* hoc modo, *aliqui tecum curiosus, tecum tamen quaerens;* sed lectionem meam exhibent editt. Rhenani et ed. Paris. prima; nisi quod *aliquid*, non *aliqui*, in iis exstat.

P. 133. l. 21. Novissime] Opponitur *viris exercitatis*, seu, quod habet supra Tertullianus, cap. 3, *usitatissimi in Ecclesia*, ubi in edit. principe exstat *vetustissimi*. Sed et Praxeam is ita compellat, 'Novissime, qui Filium Dei carnem inter-'pretaris, exhibe qui sit Filius hominis, aut nunquid spiritus 'erit?' cap. 27. *Novissimus*, *novitius*, Anglice *a novice*. *Novitiole* positum est in lib. de Poenitentia, cap. 6.

P. 134. l. 1. quodcumque] Mutavit in *quodcunque* Rigaltius, quod, quum minus commodum sit, ablegavi.

Ibid. l. 3. tu, qui perinde quaeris] Hoc cum Lupo et Thomasio pro pristina voce *proinde* posui; quam tamen simili in causa infra habes, sed fortasse correctione egentem. Omisit autem *qui* sine causa Lupus.

Ibid. l. 19. qualem fidem disputant] h. e. qualem fidem fallaces disserendo defendunt. Habes postea, in cap. 40, 'Aliter eum [Creatorem] disserunt quam in vero est.'

P. 135. l. 5. aliter ineundae constitutionis] Est constitutio prima causarum conflictio, quae status appellatur. Ad Heren. lib. 1. 'Haec exoratio in conjecturali constitutione 'causae ferme semper necessaria est.' Cicero de Invent. 'Constitutiones apud rhetores sunt quatuor, conjecturalis, 'definitiva, generalis, translativa, quae status etiam dicun-'tur.' DELACERDA.

Ibid. induxerim] Id est, videri potuerim inducere. SEMLER.

Ibid. l. 8. post unam correptionem] Vid. not. ad c. 6.

Ibid. l. 10. interdixit disputationem] Reponere ex libro scripto *disputationi* vult Wouwerius.

Ibid. l. 25. Variae praesumptiones] Theodoro Cantero assentior legenti *vanae* praesumptiones. Necessario, et sensus ita est evidentior. JUNIUS.

P. 136. l. 5. diversa parte statutum; certe de pari altercatione incertior discedit] Ita se habent editt. Rigaltiana antiquiores, nisi quod *et* pro *de* nonnullae earum exhibent. Posuit vero Rigaltius, '*adversa* parte, *statu certe pari*, 'altercatione incertior discedet.' Sed alteram lectionem restituit in editione sua Lupus. Et hanc eandem praeferendam duco, nisi quod legere velim, *a diversa parte*, quum littera *a* in voce *adversa*, quam habet Rigaltius, latere videatur. Ad vocem *diversa* quod attinet, habes infra, 'locum interea 'demus *diversae parti*.' cap. 22.

Ibid. l. 13. Ergo non ad Scripturas provocandum est] Prohibitionem, qua cavetur provocatio ad Sacras Scripturas ab illis interponenda, qui easdem variis modis corruperint, aut etiam partim abjudicaverint, suggessit magnus omnigenae

haeresis destruendae ardor. Etenim ipse quoque Septimius ex Sacra Scriptura malos ejusdem interpretes nusquam non, cum gubernaculo sanae, quam putabat, interpretationis, et ecclesiasticae expositionis adminiculo, refutare solet. Verum enim vero hominum errores paene negantium principia religionis, quibus se opponit Tertullianus in cap. 17, provocationem ad Scripturas irritam faciebant. Satis vero explicavit propositum suum auctor capp. 32 et 37. 'Sole-'mus,' verba ejus sunt in ipso initio libri advs. Hermogenem, 'haereticis compendii gratia de posteritate praescribere.' Confer et lib. de Carne Christi, cap. 6.

P. 137. l. 2. digrediens ad Patrem] Praestant editiones Ante-Rigaltianae *regrediens*.

Ibid. l. 21. Sic omnes primae, et omnes apostolicae, dum una omnes. Probant unitatem communicatio pacis, et appellatio fraternitatis &c.] Sic locum restitui ex editionibus Rigaltiana vetustioribus, nisi quod cum Rigaltio *una* non *unam* posui. Lectio Rigaltiana est, 'Sic omnes *prima*' [hoc ex Cod. Agobardi], 'et apostolicae, dum una omnes probant 'unitatem; *dum est illis* communicatio pacis, et appellatio 'fraternitatis' &c. Ego autem post voces, *dum una omnes*, propterea distinxi, ut verba, *probant unitatem*, cum sequentibus, quomodo hactenus non factum est, conjungantur. Quod enim debuit Wouwerii Codicibus Rigaltius, *dum est illis*, illud ex librario quodam locum corrigere gestiente profectum videtur. Ceterum consimilia his verbis exstant in libro IV. advs. Marcionem, cap. 5. 'Dico itaque,' inquit Tertullianus, 'apud illas [Ecclesias Apostolicas] nec solas 'jam apostolicas, sed apud universas, quae illis de societate 'sacramentali confederantur, id Evangelium Lucae ab initio 'editionis suae stare, quod cum maxime tuemur.' Confer not. infra ad cap. 36.

P. 138. l. 6, matricibus et originalibus] Particula *et* delenda videtur.

Ibid. l. 7. sine dubio tenentem] Velim rescribere *tenentibus*, quippe quum verbum *teneo* melius congruat cum Ecclesiis, quam cum doctrina.

Ibid. l. 9. reliquam vero omnem doctrinam] Etsi edidit *omnem vero doctrinam*, expuncta voce *reliquam*, Rigaltius, pristinam tamen lectionem revocavi. Habet auctor in lib. suo advs. Psychicos, sive, de Jejuniis, cap. 4.—'omnis *reli-* '*quae* carnis usum concessisse manifestum est.'

Ibid. l. 13. supra edidimus] h. e. capite 13.

Ibid. l. 16. quod nulla doctrina diversa] Mutavit *nulla*

cum *nulli* Rigaltius. Sed Lupum atque Thomasium secutus *nulla* ego restitui.

P. 138. l. 19. ac si prolata non sit] Hoc valet, perinde ac si prolata non sit.

Ibid. l. 23. qua rursus convertunt] In exemplari Agobardi legitur, *Quae susum rursus.* Et confirmatur Cod. Divionensi. Augustinus, in Epist. Joannis, Tr. 8, ‘Quod susum, facias jusum; quod deorsum, facias sursum. Jusum ‘vis facere Deum, et te susum? Praecipitaris, non elevaris. ‘Ille enim semper sursum est.’ Et Tract. 10. ‘Susum me ho- ‘noras, jusum calcas.’ Itaque sic legendum: ‘Eadem agi- ‘tati dementia, qua *susum jusum* convertunt.’ RIGALT.

P. 139. l. 19. et utique implevit repromissum] An haec, aut demum illa in capite 27, cum Montanismo bene conveniant, valde dubito. Certe in libro de Monogamia Montanista jam factus Tertullianus ita scribit: ‘Paracletus [h. e. ‘ut ille statuit, Montanus] multa habens edocere quae in il- ‘lum distulit Dominus secundum praefinitionem’ &c. cap. 2; et postea, cap. 14 ejusd. libri, ‘Regnavit duritia cordis us- ‘que ad Christum; regnaverit et infirmitas carnis usque ad ‘Paracletum. Nova lex abstulit repudium. Habuit quod ‘auferret nova prophetia, secundum matrimonium, non mi- ‘nus repudium prioris.’ Sic enim interpungo locum.

Ibid. l. 22. Spiritum Sanctum] Quod exstitit *sanctum* in Rhenani Codice ex principe editione revocavi; in eadem tamen editione multa hoc loco omittuntur; quorum alia Wouwerius, alia Rigaltius supplevit. Sed et in Wouwerii Codice *sanctum* exstabat, id tamen delevit Rigaltius.

P. 140. l. 13. Atqui demutatus] Substituit *quin* pro *atqui* Rigaltius; quum vero particula *at* denegare istud videatur, induci a Paulo alius Evangelii formam, idcirco eam restituendam esse censeo. Infra quidem exstat apud Rigaltium ‘ascendit *in* Hierosolymam,’ sed particulam *in* nesciunt edd. vett. et Interp. vulgata.

Ibid. l. 30. utique conversationis fuit vitium, non praedicationis] Conferatur locus ille cum altero ejusdem Tertulliani capite tertio libri adversus Marcionem quarti, ubi vitium illud conversationis non praedicationis dilucidius exponit. De Paulo Petrum redarguente videri possunt S. Hieronymi epistolae ad S. Augustinum, quae apud Martianaeum Parisiensi in editione operum ejusdem Hieronymi, tomo secundo, sunt in ordine LXXII, LXXV, et LXXX; et Augustini ad Hieron. quae in illo volumine est LXXXII. In hisce porro epistolis tota describitur lis et controversia de

S. Petri reprehensione doctissimos inter illos patres exorta circa annum Christi ccccIV. Videsis et Baronium ad annum vulgaris aerae LI pro Hieronymo contra Augustinum scribentem; et Natalem Alexandrum, qui Baronium ea in re refutavit Disser. X ad saeculum Ecclesiae primum. THOMASIANI textus editor, cl. VEZZOSI.

P. 141. l. 4. doctrinam superiorem] Quam praedicaverat Petrus, ut constat ex jam supra dictis.

Ibid. l. 9. in quae et ipsi—committebant] Similiter scribit Septimius cap. 4 Apologetici, 'In verum committitur crimen 'irreligiositatis errore.' Dein cap. 29, 'Ideo ergo committi-'mus in majestatem imperatorum.'

Ibid. l. 20. nescio quid illud] Respicit fortasse Q. Septimius ad Pauli Apocalypsim, haereticorum figmentum, de quo inter ceteros videri poterit Augustinus, tractatu 98 in Joannem. Idem VEZZOSI.

Ibid. l. 25. ut diximus] Capite 22. Post alios reduxi vet. lect. *sed non omnia*, pro *non tamen omnia*. Inferiusque, si quid id refert, *testificatus est* pro *testatus est*.

Ibid. l. 32. Quid hoc depositum est tam idoneum, ut &c.] Sic edd. Rhenani et Paris. prima. Praestant *tam tacitum* pro *tam idoneum*, edd. Paris. 2nda et Franek. Posuit *tacitum* sine *tam* aut *idoneum* Rigaltius. Mihi legendum videtur, 'Quid hoc depositum est tam *tacitum* idoneum, 'ut' &c. Mox ait, 'quomodo nihil *tacitum* fuerit,' et cap. 26, 'sine ulla significatione alicujus *taciti* sacramenti.'

P. 142. l. 14. nec quia illum monet] Sic ed. princeps. Ait Pamelius, 'Lego *monet*, nempe Paulus, pro eo quod 'vulgo legebatur *volunt* [sic ed. Paris. 1566, et marg. ed. 'Paris. 1545.] tam ex MS. cod. Vaticano, quam Quintino '[qui hunc librum De Praescr. edidit Paris. 1561.] et Ma-'cereo [Gallico hujus libri interprete cod. an. et loco].' Haec Pamelius. Hinc fit, ut exstet verbum *monet* in edit. Franck. quae ex editione Pamelii repetita est. Ibi tamen *volunt* praefert Junius, ut ex optimis quoque exemplaribus profectum. Melius habet *voluit* Rigaltius. Sed editionis principis lectionem revocavi.

Ibid. l. 19. apud conscientiam] h. e. dogmata, quae apud se solos habebant.

Ibid. l. 26. taciti sacramenti] Sic editt. ante Rigaltium, qui *tecti* substituit. Quum vero istud jam supra scripsisset auctor, 'quando nihil *tacitum* fuerit, quod sub multis testi-'bus proferebatur,' vocem revocabam: id quod nunc video fecisse Cardinalem Thomasium.

P. 143. l. 14. quam catholice in medium proferebant] Po-

suit *catholicae* Rigaltius ex Codice antiquo h. e. *catholicae Ecclesiae* per solennem ellipsim. Ait vero Semlerus in notis ad edit. suam Halensem, in quibusdam antiquis libris scribi *catholicae*, esse autem glossam, quae pertinet ad *illi*. Sed veterem scripturam *catholice*, oppositam illi *inter domesticos*, Lupum atque Thomasium secutus revocavi. Ceterum inferius particulam *et* ante voces *aliam Christi substantiam*, et ante illas *aliam spem*, expunxit Rigaltius, sine causa idonea opinor, neque id imitatus est Thomasius.

P. 144. l. 1. et, *Tam bene currebatis*] Ait Semlerus, Junium censere legendum *item*; illud certum esse, *tam* non exstare in Galat. v.

Ibid. l. 4. *qui vos vocavit*] Habet, sed nescio quare, *suos* non *vos* in utraque sua editione Rigaltius. Cum Lupo et Thomasio *vos* restitui.

Ibid. l. 24. Nullus inter multos eventus unus: exitus variasse debuerat ordinem doctrinae Ecclesiarum] Ita se habent editiones principes, sive Rhenanianae. Sic vero edit. Paris. prima, 'Nullus inter multos eventus est, unus est. 'Exitus variasse debuerat ordinem [*error* var. lect. ad oram] 'doctrinae Ecclesiarum.' Praestant editt. Paris. secunda et Franck. 'Nullus inter multos eventus est unus exitus. Va-'riasse debuerat error doctrinae Ecclesiarum.' Haec quidem revocarunt Lupus et Thomasius, sed monuit Semlerus, Junium non male praeferre lectionem Rhenani, seu editionis principis. Rigaltius vero hoc modo verba ordinavit: 'Nul-'lus inter multos eventus unus est. Exitus variasse de-'buerat error doctrinae Ecclesiarum.' Legerim ego, 'Nullus 'inter multos eventus unus exitus. Variasse debuerant or-'dine [h. e. alia ex alia] doctrinae Ecclesiarum.' Olim *nullis* legendum minus recte proposui.

P. 145. l. 2. tot virtutes, tot charismata] Haec ab initio usque ad Valentini Marcionisque tempora, et diu post illa, in Ecclesia permansisse veteres crediderunt.

Ibid. l. 11. prior in doctrina] Sic vulgo scribitur. Omittebat particulam *in* Wouwerii Codex. Reponit Junius *prior* illius, nempe veritatis, *doctrinâ*, restitutione, ut ait, manifesta et necessaria. Malim ego *illa* pro *in* rescribere.

Ibid. l. 14. ad Ecclesiam suam scribit] Eliminavit voculam *suam* Rigaltius; quam ego rectius, opinor, revocavi, quum jam ante scripsisset auctor, *ejus doctrinae Ecclesiam*.

Ibid. l. 19. Antonini fere principatu] Videlicet utriusque. Nam Valentinus tempore Antonini Pii vixisse legitur, et Cerdo magister Marcionis; Marcion vero Antonini Philosophi, qui successit Pio. Valentinus quidem et Cerdo sub

Hygino et Aniceto Episcopis, Marcion vero sub Aniceto, Sotere et Eleuthero, ut constat ex Irenaeo lib. III adversus Haereses, et Eusebio lib. IV Hist. Eccles. quae tempora Tertullianus ipse proculdubio viderat. Ceterum libri omnes sine transpositione uno consensu legunt 'apud Ecclesiam Romanensem sub episcopatu Eleutheri benedicti, 'donec ob inquietam semper eorum curiositatem &c.' neque videtur transpositio necessaria. Nam ultimum quidem tempus exponit auctor quo fuerunt isti Romae, quia ad argumentum ipsius pertinebat, sed non propterea tempora negat antecedentia; qui terminum unum definit, ceteros aut omittit aut comprehendi vult *συνεκδοχικῶς*. JUNIUS. Confer Pearsonii Vindic. Ignat. part II. c. 7. Ceterum nomen *Eleutheri* cum *Eleutherii* mutavit, editionibus prioribus reclamantibus, Rigaltius, haud sequente eum aut Lupo aut Thomasio.

P. 145. l. 23. qua fratres quoque vitiabant] Hanc lectionem Ante-Rigaltianam cum Lupo atque Thomasio revocavi. Rigaltius enim verba, *quam fratres quoque vitabant*, exemplaris vet. fide posuerat; addens tamen, se illud non sine ratione praeferre, quod in recentioribus libris legitur.

Ibid. l. 28. quum conditioni datae sibi occurrit] Ut hoc significet, Marcionem conditioni satisfacere voluisse, rari exempli locutio erit. Habet editio princeps *conditione datae* scil. poenitentiae, nec hoc malum esse ait Semlerus. Praestabat autem *conditione sibi data* teste Pamelio, MS. Vaticanus. Interea *conditioni* habent ed. Rhenani ult. et Paris. prima. Ceterum, pergit dicere Semlerus, hanc historiam dolendum quod alii copiosius non describant. Simile quid de Cerdone haeretico narravit Irenaeus lib. III. cap. 4.

P. 146. l. 7. post annos regressus] Wouwerius addit *aliquot*. Videri possit, litteram hic excidisse numeralem v. c. V, quinque. Sed ignoravit plura et certiora hic scriptor. SEMLER. Auctor libelli contra Haereses, qui huic subjunctus est, capite 7 narrat, 'segregatum esse a Marcione 'Apellem, postquam in carnem suam lapsus sit.'

Ibid. l. 9. quam supra edidimus] Supra, capite 6.

Ibid. l. 22. hoc nomine] Posuit quidem Rigaltius ex Wouwerii Codice *hoc omnino*, quod recte mutaverunt cum altera lectione Lupus et Thomasius. Porro si adderetur punctum post vocem *retro*, haud ejiciendum foret cum Wouwerio *anterius*, ut ejus interpretamentum.

Ibid. l. 25. Nigidius nescio quis, et Hermogenes] Quis fuerit Nigidius, ignoramus; novimus autem adversus Hermogenem Tertullianum librum scripsisse, qui exstat.

P. 146. l. 27. cupio ostendant mihi] Verbum *cupio* delevit Rigaltius, inseruitque *qui* ante *adhuc*. Pristinam lectionem revocavi.

Ibid. l. 30. si eumdem, quomodo aliter?] h. e. quomodo alio modo quam Ecclesia, de Deo praedicant, resque divinas tractant? 'Alium facit, quem aliter cognoscit,' ait auctor initio libri sui advs. Hermogenem. Dein in libro de Carne Christi, cap. 6, 'Quid illi cum Mose, qui Deum 'Mosis rejicit? Si alius Deus est, *aliter* sint res ejus,' h. e. ad alium pertineant. Cum alio Deo quadrant ministri ejus. Infra positum est, '*aliter* haberent per quae docerent,' cap. 38.

P. 147. l. 1. sic enim Apostolos solet facere] Haec depravata esse testantur reliquiae veri, quas nobis servavit Agobardi exemplar. Eae sunt hujusmodi: 'Sic enim Apostolus 'descripsit, Solet facere; dare praeterea virtutem eadem 'signa edendi quae et ipse.' Superflua sunt haec, *Solet facere*. Quae si auferantur, residuum erit sincerum. Si eundem, inquit, Deum praedicant, cujus rebus et litteris et nominibus utuntur Christiani, probent se novos Apostolos esse; atque adeo dicant Christum iterum descendisse, iterum ipsum docuisse, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum resuscitatum. Sic enim Apostolus descripsit. Dicant praeterea Christum dare iterum virtutem eadem signa edendi, quae et ipse. Volo igitur et virtutes eorum proferri, &c. RIGALT. Haec vir eruditissimus, voces tamen haud mutans; et vide annon ferri possint hoc sensu, 'Solet enim 'Christus Apostolos constituere, faciendo illos praecipuorum 'articulorum fidei praedicatores.' Semlerus autem hoc annotat, sed minus recte, opinor; 'Graece 'Απόστολος, nominati-'vus. Rigalt. ex Agobardi libro: *Sic enim Apostolus de-'scripsit* &c.'

Ibid. l. 5. de mortuis suscitabant] Hanc editionis principis lectionem revocavi. In Vaticano exstabat Codice eadem scriptura, fatente Pamelio, cui tamen antithesis evidentior magis placebat, quae in lectione Geleniana sita est, 'de 'mortuis vivos faciebant.' Marcionis Christum Tertullianus ait essè, '*nec mortuorum suscitatorem, sed vivorum avoca-'torem*,' de Carne Christi, cap. 5, fine.

Ibid. l. 7. ad principalitatem veritati, et posteritatem mendacitati deputandam, ex illius &c.] Vulgo exstant *veritatis, mendacitatis, disputandam;* verum aliter se habent editt. Rhenani et Paris. prima et Franek. praeterquam quod in prioribus positum est *veritatis*. Notavit autem Pamelius, legere se ex Vatic. MS. conformiter Quintino

hujus libri editori *veritati* ac *mendacitati*. Contra Junio placebat lectio *veritatis;* sed monuit Semlerus, pertinere *veritati* ad *deputandam*, si hoc verbum maneat. Atque ego hanc Pamelianam praefero lectionem illi Rigaltianae, ‘ *ad* ‘ *principalitatem* veritatis *et posteritatem* mendacitatis dis- ‘ putandam.’ Omnes editt. ante Rigaltium *deputandam;* et in Apologetico Tertulliani habes—‘ apud homines, si forte, ‘ distinguitur, dum expungitur, dum ex futuro praesens, de- ‘ hinc ex praesenti praeteritum *deputatur*,’ cap. 20. *Et deputor Angelis* exstat in lib. ejus advs. Valentinianos, cap. 32. Ceterum principalitas est, ut ait editor Institutionum Card. Thomasii, quod a principio, ab initio fuit.

P. 147. l. 10. in primore constituit] Nimirum semente vel satu. JUNIUS.

Ibid. l. 13. quia et alibi verbum Dei seminis] Fors. legendum, *quia ut alibi verbi Dei semen*, juncto hoc membro orationis cum sequente.

P. 148. l. 2. habeant] Latinius conj. *habent*, recte judicio meo. JUNIUS. Sic mutavit et Pearsonius, locum afferens in Vindiciis Ignatianis, partis II cap. 2.

Ibid. l. 10. qui ab Apostolis desciverunt, et aliter praedicaverunt] Ita editt. ante Rigaltium, qui in utraque editione sua posuit, ‘ qui ab Apostolis didicerunt, aliter praed.’ Cum Lupo atque Thomasio veterem lectionem revocavi. MS. Anglic. *discesserunt*, teste Pamelio, habebat. Scripserat auctor jam supra—‘ aliquem ex Apostolis vel apostolicis ‘ viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit.’

Ibid. l. 12. provocabuntur] Ita hic quoque fide nixus editionum vetustiss. cum Lupo et Thomasio lectionem pristinam restitui. Habet Rigaltius, in utraque editione sua, *probabuntur*. Sed proxime post scribit Tertullianus, ‘ Ita omnes ‘ haereses ad utramque formam a nostris Ecclesiis *provo-* ‘ *caiae*,’ h. e. ad successionem apostolicam, et consanguinitatem doctrinae. Confer et init. capitis 35.

P. 149. l. 5. factam jam resurrectionem: id de se Valentiniani adseverant] De Gnosticis haec refert Irenaeus: ‘ Tantum absunt ab eo, ut mortuum excitent, quemadmodum ‘ Dominus excitavit et Apostoli——ut ne quidem credant ‘ hoc in totum posse fieri; esse autem resurrectionem a mor- ‘ tuis, agnitionem ejus, quae ab eis dicitur, veritatis.’ Contra Haereses, II. c. 31. §. 2.

Ibid. l. 9. novi et non unius nominis] Aeonum primus, Proon seu Praeexistens, et Bythos sive Profunditas, dicebatur incognitus per plura saecla fuisse. ANNOTATIO in Romana edit. Opusculi advs. Omnes Haereticos, cap. 5.

P. 149. l. 16. aliquem Hermogenem ostendit] Hanc lectionem revocandam censui, cujus loco Rigaltius in ed. sua posteriori posuit *aliquid Hermogenis*. Sapit enim vetus lectio stilum Tertulliani, qui in celebri loco libri de Carne Christi, cap. 14, haec scribit; ‘ Poterit haec opinio Ebioni ‘ convenire, qui nudum hominem, et tantum ex semine David, ‘ non item et Dei Filium constituit Jesum; plane Prophetis ‘ aliquo gloriosiorem, ut ita in illo Angelus fuisse dicatur, ‘ quemadmodum *in aliquo* Zacharia.’

Ibid. l. 21. jubet castigare] Vulgo *jubetur*. Sed editionum Rhenani et Paris. primae lectionem, Junio probatam, revocavi.

P. 150. l. 5. creatorem Angelum nescio quem] *Angelum*, lectionem veterum ante Rigaltium editionum pro illa *Angelorum*, bene revocavit Lupus. Sed vero praetulit *Angelorum* Thomasius, quia, ut censet annotator ejus, alioqui diceretur Tertullianus erravisse, quum Irenaeus cap. 20 libri primi retulerit, Simonem magum affirmasse Angelos creavisse mundum; illud igitur primum non docuisse Apellem. At vero, praeterquam quod lectio *Angelorum* difficilis et vix ferenda est, ostendit hoc loco Tertullianus Apellem creationem mundi attribuisse inferiori cuidam Deo, Dei superioris Angelo, h. e. nuntio, ignea natura praedito, non vero Angelis; id quod Simoni aliisque haereticis placebat. Mundum ab Angelis suis institutum esse dixit Simon, referente Auctore anonymo advs. Omnes Haereses, cap. 2.

Ibid. l. 15. quae quando fuerint, dum non intersit quae quando de veritate non sint] Sic editt. Rhenani. Ait Semlerus ‘ Junius ita: *quae quando fuerint, tum non intersit.* ‘ Wouwerius scribendum censet, *fuerint non intersit.* ‘ Putem recte habere Rhenani [h. e. ed. principem].’ Haec Semler. Interserendo addunt particulam *dum* ante voces *de veritate non sint*, edd. Paris. utraque et Franek. Edidit Rigaltius—*quae quando fuerint, dummodo intersit, quae quando, dum de veritate non sint.* Sed reposuerunt Lupus atque Thomasius *dum non intersit*. Totum locum ita legerim, et interpunxerim, ‘ *Eligant igitur sibi tempora* ‘ *universae haereses, quando fuerint, quum non intersit* ‘ *quae, quando de veritate non sint.*’

Ibid. l. 24. aliae quidem illae fuerunt] Vocem *illae* expunxit Rigaltius, quam revocavi.

Ibid. l. 25. postea obortae quasdam ex illis opiniones usurpaverunt] Ita edit. princeps, cujus lectionem revocavi, a Junio olim probatam. Habet Rigaltius *quiddam ex illis usurpaverunt*. Exstat in editt. Paris. utraque et

Franek. *postea obortae* sunt, et *quasdam ex illis opiniones usurpaverunt.*

P. 150. l. 28. praecedente illo fine supradicto posteritatis] Lego praecedente *illo fune supradicto posteritatis*, id est, ordine successionis, quo tanquam fune ad Apostolicas Ecclesias conscenditur, ut capp. 31 et 32 copiose dictum. Nam e diverso deprehenditur haereseon istarum posteritas fune illius pariter observato. JUNIUS. Sic orsus est Tertullianus adv. Judaeos librum, 'Proxime accidit, disputatio 'habita est Christiano et proselyto Judaeo; alternis voci- 'bus contentioso *fune* uterque diem in vesperam traxerunt.'

P. 151. l. 5. respondere] Fors. legendum *reponere.*

Ibid. l. 13. Quod ab Apostolis utique non damnatur] Expunxit conjunctionem *quod* utraque editione sua Rigaltius, quae quidem in editionibus Rhenanianis haud reperta est, sed tamen in editione Parisina anni 1455 suppleta est, et a Lupo Thomasioque recte restituta.

Ibid. l. 18. curiositatem melius exercere] Confer jam supra dicta in cap. 14.

Ibid. l. 20. apud quas ipsae adhuc cathedrae Apostolorum suis locis praesident] S. Ignatius initio Epistolae ad Romanos,—'Εκκλησίᾳ ἥτις καὶ προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου 'Ρωμαίων. Sin autem in sensum proprium verba accipiantur, *ipsae adhuc cathedrae Apostolorum*, certe huc pertineret, ut Tertulliani temporibus servata esset Jacobi Apostoli cathedra Hierosolymitana, quod ex Eusebii Historia, lib. 7, cap. 10, constat; atque ut Romae Petri Apostoli cathedra adhuc restare credatur.

Ibid. l. 21. authenticae litterae] Lingua scilicet eadem qua fuerant ab Apostolis conscriptae, sonantes vocem uniuscujusque. Sic ipse, lib. de Monog. ad Graecum authenticum Pauli provocat. RIGALT. Idem Semlero placet, qui haec adnotavit, '*authenticae litterae*, non *originalia* et auto- 'grapha, ut multi falso intelligebant, sed *Graecae*, quia isti 'alii *Latina* translatione utebantur, sicut ipse Tertullianus.' Haec Semlerus, neque aliter hac de re statuerunt nonnulli alii scriptores. Verum scite monuit Georgius Stanleius Faber, vix dici id posse de S. Scripturarum apographis, illa tantum penes Ecclesias Apostolicas fuisse, exclusis ceteris Ecclesiis. Vide Appendicem egregii operis Anglica lingua conscripti, cui titulus, *The Difficulties of Romanism, Romanismi Difficilia.* Certe constat, singulos hic mitti a Tertulliano Christianos ad vicinam metropolim, in qua Epistolae apostolicae recitabantur, Corinthum, Philippos, Thessalonicam, Ephesum, Romam; ad quas ipsas urbes

Apostolus Paulus litteras dederat. Mirumne videtur, Epistolas istas Paulinas ab Ecclesiis in his urbibus constitutis annos circiter centum et quinquaginta conservatas esse? Idque revera contigisse, est ut testari velit hoc loco Tertullianus. At vero, quod obliviscendum non est, volunt viri doctissimi oppositas fuisse hoc loco authenticas litteras, non apographis Graecis, sed interpretationibus earundem Latinis. Sic enim ait Rigaltius, dici in libro Tertulliani de Monogamia, cap. 11, exstare in Graeco authentico interpretatione Latinae opposito locum quendam Apostoli. Nihilominus haec duo simul constare posse existimem, ut opponantur cum *authenticae litterae*, seu epistolae, quomodo loqui solent Jurisconsulti veteres, apographis earum, tum vero *Graecus authenticus* interpretationi Latinae. Haec olim probabiliter disputavi. Verum tamen hoc tantum Tertulliani verbis mea quidem sententia significari potest; adeundas esse originalem fidem quaerentibus Ecclesias apostolicas ob eam causam, ut investigent quid ipsae dicant, quid doceant; in quibus quidem Ecclesiis, scilicet apostolicis, adhuc manet apostolica successio, ac recitantur litterae propriae Apostolorum, indolem veram ipsorum referentes. Habet Clemens Alexandrinus in Stromate III.—— *ἐπακούσανταϛ τῆϛ Κυρίου φωνῆϛ, εἴτε τῆϛ αὐθεντικῆϛ, εἴτε καὶ τῆϛ διὰ τῶν Ἀποστόλων ἐνεργούσηϛ.—exaudita voce Domini, vel ipsa per* se, *vel etiam quae operabatur per Apostolos.* cap. 6, p. 764, ed Potteri.

P. 151. l. 22. sonantes vocem] Irenaeus lib. III. cap. 3. ubi de Clemente, ‘ Quum adhuc *insonantem* praedicationem ‘ Apostolorum et traditionem ante oculos haberet.’

Ibid. l. 27. unde nobis quoque authoritas praesto est] Sic. lib. IV. ad Marcionem p. 505, [cap. 5.] ‘ Quid etiam ‘ Romani de proximo sonent.’ RIGALT. Totus locus dignus est ut cum his conferatur: ‘ Videamus quod lac a Paulo ‘ Corinthii hauserint, ad quam regulam Galatae sint recor- ‘ recti, quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesii, ‘ quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Evangelium ‘ et Petrus et Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt. Habemus et Joannis alumnas Ecclesias. Nam etsi ‘ Apocalypsin ejus Marcion respuit, ordo tamen Episcoporum ‘ ad originem recensus, in Joannem stabit auctorem. Sic et ‘ ceterarum generositas recognoscitur.’

Ibid. l. 31. Joannis exitu coronatur] Scilicet, Baptistae, capite abscisso. SEMLER.

Ibid. l. penult. posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est] Hoc si revera evenerit, quod solus, ni

fallor, ex scriptoribus Antenicaenis memoravit Tertullianus, Christianus statim fieri judex ethnicus, quicunque is fuerit, cum omnibus suis, debuisset; nisi opponas, fieri posse, ut Apostoli liberatio praestigiis magicis ab iisdem attribueretur. Quinetiam recordandum nobis est, Judaeorum primores, id quod ex Actis Apostolorum constat, eundem Joannem occisum isse, simul ac novissent eum e carcere divinitus liberatum. Vid. Act. Apost. cap. v, comm. 33.

P. 152. l. 2. contesserarit] Habent editt. Rhenani et Paris. prima *contestatur*. Pithoeus vult legere, ut refert Semlerus, *contesseratur*.

Ibid. l. 6. et inde portat fidem] *Et inde potat fidem* [Paris. 2nda.] Franek. Rigalt. Conj. Wouwer. *et inde* importat *fidem*. Malim, *plantat*. SEMLER. Editionis principis lectionem *portat* revocavi *.

Ibid. l. 11. Sed non omnes ex illa] Sic edit. princeps. Fors. legendum foret *omnino* pro *omnes*, nisi auctor illud spectaverit S. Joannis 1 Ep. ii. 19, *quoniam non sunt omnes ex nobis*. Habent *fuerunt* pro *omnes* editt. Paris. Franek. Rigaltiique.

Ibid. l. 16. Ita et haereses de nostro fructificaverunt, non nostrae, degeneres veritatis grano, et mendacio sylvestres] Sic editt. ante Rigaltianam, nisi quod in edit. prima Rhenani exstiterat *varietatis* pro *veritatis*, quod mutare in *vanitatis* volebat Junius; sed *veritatis* jam reposuerat Rhenanus in edit. sua ultima ex Codice Gorziensi, dum Paterniacensis habebat *varietatis*. Posuit Rigaltius, 'Ita et haereses de 'nostro *frutice* non *nostro genere*, veritatis grano, *sed* men- 'dacio sylvestres.' Ego cum Lupo et Thomasio veterem lectionem revocavi. Quod et fecisse nunc video abbatem de Gourcy in edit. sua Apologiae et Praescript. Haeret. Tertulliani, anno 1780 Parisiis typis impressa.

Ibid. l. 27. quod —— haereticorum nomine admittunt] Haec est lectio Ante-Rigaltiana, quam cum Lupo et Thomasio et abbate de Gourcy revocavi. Junii conjecturam *nomina* recepit Rigaltius. *Nomen* vult Semlerus. Sed *haereticorum nomine* valet *quatenus haeretici*, qui sunt homines ex arbitrio suo dogmata sibi eligentes. Est porro, *non a Christo habendo* pro eo, quod est, *a Christo non habendo*.

P. 153. l. 1. Mea est possessio] Verba haec, quae absunt ab edit. principe, neque nimis necessaria sunt, omisit Lupus, quod et olim fecerat Quintinus, teste, sed non consen-

* [In Editionis secundae Corrigendis, lectionem *potat* restituendam voluit Routhius.]

tiente, Pamelio. Mox una voce *fideicommiserunt* vult imprimendum ex Jurecoss. usu Junius, cui obtemperavi.

P. 153. l. 15. necessitas institit] Hoc ex Rhenani edit. ultima recepi et Paris. prima. Exhibet ejusdem Rhenani editio princeps *instituit*, quam quidem lectionem Junius praetulit illi editionum posteriorum, *eos necessitas coegit*.

Ibid. l. 19. ita et nobis] Additum est post haec a Rigaltio *et a nobis*, quod cum Lupo atque Thomasio omisi, undecunque huc advectum.

Ibid. l. 25. hoc sunt Scripturae jam inde ab initio suo] Voces *jam inde* addidi ex Ursini Codice apud Wouwerium, quas quidem neglexit Rigaltius. Habent vocem *inde*, sed ante *Scripturae* positam, edd. Rhenani et Paris. prima. Quum aberat autem vox utraque ab editt. Paris. 2nda et Franek. cujus est textus Pamelii, legendum conjecit Junius, *unde Scripturae ab initio suo*.

Ibid. l. 26. ex illis sumus, antequam nihil aliter fuit, quam sumus. Quid denique fuit, antequam a nobis interpolarentur] Sic editt. ante Rigaltium, nisi quod praepositio *a* ante *nobis* in edd. Rhenani et Paris. prima deest. Ad marg. ed. suae tertiae Rhenanus pro vocibus *antequam nihil* ait legendum *anteque nihil*. Reponit vero Junius, *antiquum nihil*, haud male. Rigaltius autem mancam lectionem secutus quae ex repetitione verbi *fuit* orta est, hoc tantum habet, 'Ex illis 'sumus, antequam aliter fuit, antequam a vobis interpola- 'rentur.'

P. 154. l. 1. et primi et ex ipsis] Hanc editionis principis lectionem, et Junio probatam, praetuli illi editionum Rhenanianam et Paris. primam subsequentium, *a principio et primi*. Paulo ante scripserat auctor, *ex illis* [Scripturis] *sumus*.

Ibid. l. 14. Haec sunt ingenia] Ita editt. Rigaltianam praecedentes; in illa enim Rigaltii exstat *Erant* pro *haec sunt*. Alteram vero lectionem cum Lupo atque Thomasio revocavi.

Ibid. l. 21. quo jus] Sic editt. Rhenani. Habent edd. Paris. 2nda et Franek. *vis*, pro *quo jus*. Junius vult legere *Quivis—componit*, quod quidem jam reposuerat Quintinus in edit. sua hujus tractatus anno 1561 typis mandata, Pamelio teste in notis. Ait vero Wouwerius Codicem MS. habere *quovis*, seque emendandum censere, *qua vides;* quod et in ed. Paris. prima exstitisse nunc video. Edidit *vides* sine *qua* Rigaltius. Mihi quidem videtur, quum facilis sit harum vocum inter se mutatio, nam in cap. 2 libri de Spectaculis *vides* pro *vis* recte repositum est, legendum esse *quo vides*, ut construatur relativum *quo* cum voce *exemplum*. Antiqua manus, nec male, judice quidem Semlero, adscripsit *cujus*.

P. 154. l. 25. Hosidius Geta] Liber Agobardi, *Vosidius*, Ursini, *Osidius*. Apud Dionem scribitur Γναῖος ὁ Σίδιος Γέτας, legendum, Γν. Ὀσίδιος. Fertur Senatus consultum sub Claudio Caes. factum, Cn. Hosidio Geta, L. Vagellio Coss., erutum Neapoli anno Chr. M.DC.III, adversus eos qui negotiandi caussa emissent quod aedificium, ut diruendo plus adquirerent quam quanti emissent. RIGALT. *Ovidius citra* edd. Rhenani. *Osidius Geta* ed. Paris. utraque, *Ovidius Geta* ed. Franek. ubi monuit Junius, si nomen Geta retineatur, legendum fore *C. Didius*, qui floruit tempore Claudii, nominatque in hac re Dionem. Alioquin legisset idem Junius *Ovidius ita Medeam*. Ceterum digna est quae hic memoretur Proba Falconia, ab Hieronymo aliisque Patribus laudata, cujus exstat opusculum e Virgilii carminibus excerptum et concinnatum, ad explicationem praecipuorum locorum Veteris Novique Testamenti.

Ibid. l. 28. Homero-centonas etiam vocare solent] Substituerat Rigaltius, *Homero-centones* etiam *vocari* solent. Minus recte, ut opinor.

P. 155. l. 4. Sed quaeritur, a quo intellectus intervertatur eorum, quae ad haereses faciant] Posuerat Rigaltius *sequitur* pro *sed quaeritur*. Hoc vero cum Lupo atque Thomasio revocavi. Porro, praeeunte eodem Lupo, *intervertatur* recepi pro edito *interpretetur*, idque praeter morem meum, ex conjectura tantum Latini Latinii a Junio comprobata. Hoc vero postulare videbatur loci sensus; etiamsi verbum *interpretor* cum passiva significatione apud Tertullianum reperitur.

Ibid. l. 7, in idolorum mysteriis] Praepositionem a Rigaltio omissam cum Lupo et Thomasio revocavi. Infra habes, —'tam aemulanter Dei adfectavit exprimere *in negotiis idololatriae*,' cap. 40.

Ibid. l. 9. expositionem delictorum] Sic pro *expiatione delictorum* priori lectione Rigaltius e libro Agobardi; ἀπόθεσιν. SEMLER. *Expiationem* quidem reduxerunt Lupus et Thomasius. Sed, ut alia opera taceam, Epistola illa Firmiliani, quam his Collectaneis additurus sum, vox altera firmatur. Ibi enim exstat—'non ablutis per Ecclesiae lava-'crum sordibus, nec *peccatis expositis*.' cap. 15.

Ibid. l. 10. et si adhuc initiat Mithra] Habet *et si adhuc meminit Mithrae*, probante Junio, ed. princeps. Edidit Rigaltius, *et si adhuc memini, Mithra*. Exstat vero in ed. ultima Rhenani et in ed. utraque Paris. et Franek. *et sic adhuc initiat Mithrae;* sed Delaerda et Lupus Thomasiusque *si* pro *sic* posuerunt. Hoc denique se-

cutus sum, dum tamen *Mithra* pro *Mithrae* cum Rigaltio scripsi.

P. 155. l. 13. sub gladio redimit coronam] Martyrii mimo. Quod pluribus explicavit sub finem operis de Corona, p. 131. RIGALT.

Ibid. l. 14. in unis nuptiis statuit] *In unius nuptiis posuit*, Rigaltius. Et ad editionem principem, in qua vox *nuptiis* sola exstat, sine *unis* vel *unius*, refert Rhenanus Hirsaugiense exemplum habere *in unius nuptiis*, lectionem hanc probans. Eandem praestat edit. Paris. utraque. Sed lectionem alteram *in unis nuptiis* in edit. Franek. exstantem, quam se edidisse Pamelius ait ex MS. Angelico Codice Joan. Clementis, cum Lupo atque Thomasio recepi. *Unae* enim aeque ac *primae* nuptiae Latine dicitur. 'Homo Dei Adam et mu-'lier Dei Eva *unis* inter se *nuptiis* defuncti sunt,' scribit Tertullianus in lib. de Exhortatione Castitatis, cap. 5. Vid. et cap. 9. Ceterum exigit Apostolus in Epistolis ad SS. Timotheum et Titum, ut μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ ordinetur Episcopus, ita et Diaconus; quod quidem praeceptum ad literam, ut aiunt, nuper solebat injungere Papis seu Sacerdotibus suis Ecclesia Graeca. Nullum ergo hic exstare Montanismi vestigium, quidquid sibi visus sit detegisse vir cl. Petrus Allixius, fidenter dicerem. Cons. Dissertationem ejus de Tertulliani Vita et Scriptis, cap. vii.

Ibid. l. 17. sacrificantium ministeria] Quum ipse dicat Rigaltius, se malle quod est in libro Ursini, *sacrificantium*, pro edita lectione *sacrificalia*, tum quia vox *sacrificantia* in editt. Rhenani et Paris. prima legatur, idcirco *sacrificantium* in textum recepi.

Ibid. l. 26. sacramentorum Christianorum] Hoc protuli ex edit. Paris. utraque pro voce *sanctorum* quae exstat in edit. quidem principe; sed in tertia Rhenani editione positum hoc est ad marg. ejus, 'Forte *sacrorum* vel *sacramentorum*.' In ultima vero editione sua idem Rhenanus ad voces *sanctorum Christianorum* adnotavit, 'sicut dicimus sancta sanctorum.' Porro de scriptura *sacramentorum*, quam tamen haud primus induxerat Gelenius, sic Pamelius; 'Legi-'mus ex MS. 3 Vaticano, cum Rhenano in prima editione 'et Adnotationibus, *sanctorum*, pro eo quod Gelenius sub-'stituit *sacramentorum*.' Haec Pamelius, ideoque in editt. Franek. atque Rigaltiana appellatio *sanctorum* apparet. Illustrare quoque pergit Lupus hunc, ut ait, antiquorum Christianorum titulum verbis Paulinis ad Ephesios, *Omnibus sanctis, qui sunt Ephesi, et fidelibus in Christo Jesu.* His non obstantibus, edit. utriusque Parisiensis lectionem,

sacramentorum, amplectendam esse censeo. Habebas proxime ante *sacramenta Christi;* et conferas inferius Firmiliani Epistolam, §. 8. Significari interea videntur Scripturae Sacrae his vocibus *instrumenta divinarum rerum et sacramentorum Christianorum.* Mox praepositionem *de* pro *ex* adhibet more suo Tertullianus.

P. 156. l. 2. aliter eum disserunt quam in vero est] Videsis quae jam supra notavi ad cap. 30. Ad phrasin vero quod attinet, *quam in vero est*, habet auctor in lib. suo de Resur. Carnis, 'Porro etsi ita *in vero* habeatur,' cap. 11. et—'non enim hanc esse *in vero*,' c. 18. Anglice dicimus, *as in truth it is*, ut in vero est.

Ibid. l. 3. Itaque omne mendacium de Deo vel natio quodammodo sexus, est idololatriae] Sic se habet editio princeps; sed ad ultimam editionem suam Rhenanus ait, ausum se esse pro *vel natio* scribere *variatio*, huc se trahentibus Paterniacensis Codicis vestigiis. Hinc *variatio* et *ita* pro *itaque* in edit. prima Parisiensi, similiter atque in Rhenani illa, exstant. Substitutum autem est in editt. illas sequentibus, quod posuit et Rigaltius, 'Itaque omne 'mendacium *quod* de Deo *dicimus*, quodammodo *genus* est 'idolatriae,' nisi quod abest vox *quodammodo* ab edit. Paris. 1566. At vero in notis calci editionis Franek. adjectis praetulit Junius lectionem editionis principis, tantum addito *vel* ante *quodammodo*, ut vox *natio* in sensum generis accipiatur, *sexus* in sensum partis, h. e. aut totum aut pars mendacii. Sic ille. Semlero autem vera lectio nondum eruta videtur; ad προβολὰς vero haereticorum respicere voces, *natio, sexus*, idem vir doctissimus opinatur. Ferenda editionis principis lectio mihi videtur, si modo reponas, *vel* ratio *quodammodo sexûs*, habito nimirum ad προβολὰς istas, ut ait Semlerus, respectu. 'Habes,' inquit Tertullianus, 'ogdoadem, tetradem duplicem, ex conjugationibus masculorum et feminarum.' Advs. Valentinianos, cap. 7.

Ibid. l. 18. Ante sunt perfecti catechumeni, quam edocti] Hoc est, Ante τέλειοι sunt οἱ κατηχούμενοι, quam fidei dogmatibus instructi.

Ibid. l. 21. fortassean] Hoc mediae aetatis vocabulum pro edito *forsitan*, jussi ponendum, quum exstaret in edit. princ. sed divisim, *fortasse an.*

Ibid. l. 23. nunc saeculo obstrictos] Negotiis atque officiis implicatos.

Ibid. l. 28. cras alius] Vel diverso, vel nullo fortasse munere functus, ut sequentia ostendunt.

P. 157. l. 5. Adime illis in Legem Moysis et Prophetas et

in Creatorem Deum accusationem, et loqui non habent] Ita locum restitui. Vulgo editum est, *Adime illis Legem Moysi et Prophetas et creatorem Deum, accusationem eloqui non habent.* Quum vero exstaret in edit. Paris. 2nda *in Lege*, et haberet Codex Wouwerii *et in creatorem*, posit-umque sit in editt. Rhenani et Paris. prima *et loqui* pro *eloqui*, vix dubitabam quin, ita ut vides, locus emendari deberet. Rhenanus quidem ad tertiam suam editionem legendum conjicit *ad cautionem* pro *accusationem*, sed frustra.

P. 157. l. 12. quia quum sint, non parent] Et haec est caussa, quare inter eos non sint schismata, non quod vere non sint dissentiones, sed quia quum omnes pro libidine efficiunt quod cuique placitum, non apparent, et ideo ipsissima unitas videtur, quum sit multiplicitas sententiarum. DELACERDA.

Ibid. l. 13. Schisma est unitas ipsis] Schisma, quod est divisio a catholicis, vinculum ipsis est unitatis, quemadmodum ante scripserat auctor: 'Nihil interest illis, licet di-'versa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem 'conspirent,' cap. 41.

Ibid. l. 15. proinde] Fors. *perinde*. Voces a librariis mutari solent.

Ibid. l. 24. quasi sine lare vagantur] Voculam *quasi* ex editione principe aliisque restitui. In eadem tamen mendose positum est, *quasi sibi latae*, in ed. tertia Rhenani *quasi sibi late*, in ultima Rhenani *quasi late*, in ed. Paris. prima *quasi sibilatae*, in Paris. 2nda *sibi late*, omisso *quasi*, in ed. Franck. *quasi sibi late*, ut in tertia Rhenani. Tandem edidit Rigaltius ex Wouwerii vet. libro *sine lare*, omisso *quasi*. Ait doctissimus ille Wouwerius in Emendatt. suis anno 1608 editis, 'Aliorum editiones, *quasi sibi* '*late vagantur*. Hanc scripturam sequutus vir illustris [an 'Scaliger?] emendavit *quasi Abii late vagantur*. Ingeniose, 'ut omnia. Fortasse non rejicienda conjectura qua scribebam, '*orbi fide, extorres, Cybiratae vagantur*; sed minime discen-'dum arbitror a vet. Cod.' Haec ille. Recepit vero istud, *quasi Abii late vagantur*, in edit. suam Christianus Lupus; nihilominus cum Rigaltio facit Thomasius.

P. 158. l. 3. diligentia adtonita] Quae semper est in metu ne quid peccet. RIGALT.

Ibid. l. 4. adlectio explorata] Adlegendorum, scilicet in ordinem ecclesiasticum. RIGALT. Adlectio, ordinatio, ἐπικληρεῖν. SEMLER.

Ibid. l. 6. apparitio devota] Apparent Episcopis Presbyteri, Diaconi. Apparent magistratibus scribae, praecones, accensi. Glossae Philoxeni, *Apparitores*, Ἐκβιβασταί. Εἰσὶν

δὲ ὑπηρέται τοῖς ἄρχουσιν προσεδρεύοντες. *Apparitio*, Ἐκβιβασμός. Eo sensu dixit Septimius noster libro de Spectaculis, p. 98, aures et oculos apparere spiritui: ‘ Quum spi-
‘ ritui appareant aures et oculi, nec possit mundus praestari,
‘ cujus apparitores inquinantur.’ RIGALT.

P. 158. l. 6. processio modesta] Procedebant in publicum Christiani modesto habitu vultuque. Sic lib. II. de Cultu Feminar. ‘ Vobis autem nulla procedendi causa non te-
‘ trica. Aut imbecillus aliquis ex fratribus visitatur, aut
‘ sacrificium offertur, aut Dei sermo administratur &c.’ p. 80. RIGALT.

Ibid. l. 16. de saevis et perversis doctrinis] *Seris.* Sic optime liber Ursini. Antea, *saevis.* Nullo sensu. Seras doctrinas dicit Antichristi, cujus tempora excipiet consummatio saeculi. Tria tempora in Tertulliani scriptis cunctas hominum aetates dividunt: Naturae, Legis, et Evangelii. Itaque ultimum est Evangelii tempus, subrepente Antichristo et saeculi fine. Haec RIGALTIUS, qui *seris* recepit. Attamen, exstante in praecedentibus editionibus *saevis*, haud spernenda, immo amplectenda est, conjectura Junii *scaevis* reponentis. Glossae Vett. Σκαιὸς, *scaevus, vanus, pravus. Saevis* in editionem suam revocavit Thomasius, adscripta altera lectione *seris* ad oram.

Ibid. l. 27. Itaque veniam merebuntur] Ironice haec dicta, sicut notavit Semlerus.

Ibid. l. 33. semel] h. e. ἅπαξ, tantum semel, non iterum.

P. 159. l. 2. sed quum vos non crederetis] Particula negativa cuivis sensum auctoris bene perpendenti amovenda videbitur. Ceterum illud animadvertendum est, posita fuisse haec verba in editt. vetustissimis post vocem *mandaveram;* ac displicuisse Junio transpositionem, quae eorundem postea facta est. Ita enim scribit: ‘ Falluntur, qui hic
‘ transponunt auctoris verba. Ego primam editionem et
‘ manuscriptorum consensum sequens, ita legendum censeo:
‘ *Discentibus,* id est, discipulis, *meis eadem ad vos prae-*
‘ *dicare mandaveram,* nimirum solummodo viva voce; *sed*
‘ *quum vos non crederetis,* praedicationi illorum, *semel Evan-*
‘ *gelium, et ejusdem regulae doctrinam Apostolis meis de-*
‘ *legaveram,* puta literarum monumentis consignandam, et
‘ deponendam in Ecclesia mea. *Sed libuit mihi postea*
‘ *aliqua inde mutare,* nempe ut post ab illis haereseon
‘ auctoribus fuit factitatum. Sic integra omnia.’ Haec Junius, quibus tamen haud assentior. Sin vero vetus sen-

tentiarum ordo revocari debeat, aeque tamen scribendum foret, *sed quum vos crederetis.*

P. 159. l. 10. qui exorbitant, et fidei veritatis periculum non cavent] Legendum putabat Junius *fide,* non *fidei;* exstatque in ipsa hujus libelli clausula, quam post Junii tempora Rigaltius adjecit, locutio *in fide veritatis,* Porro scribit S. Paulus ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος, καὶ πίστει ἀληθείας, 2 Thess. ii. 13. Quapropter locum ita refingo, *qui exorbitantes fide veritatis, periculum non cavent.* Caeterum illud, *capit opinari,* pro eo quod est, *potest fieri, ut talia opinentur, qui exorbitantes* &c. more Tertulliani est positum.

Ibid. l. 16. etiam specialiter quibusdam respondebimus] Hoc vero praestitit libris adversus Marcionem, adversus Valentinianos, adversus Praxeam &c. Minime autem sequenti opusculo, nam eo tantum indicantur haereses, non confutantur. RIGALT.

Ibid. Haec in fide veritatis &c.] Voces usque ad ultimum verbum *Explicit* primus addidit Rigaltius in editione sua librorum novem Tertulliani. Hae vero ideo omissae esse in multis Codicibus videntur, ut melius cum hoc opere cohaereret libellus, de quo illico dicturi sumus. In clausula autem ista, *Haec in fide veritatis ci..... legentibus pax et gratia Domini nostri Jesu Christi in aeternum,* lacuna hoc vel alio quodam modo supplenda est, *citra cavillationem legentibus.*

CONTRA HAERETICOS EXPLICIT] in Codice Agobardi non ultra pergit liber De Praescriptione Haereticorum, neque ulla fit mentio sequentis opusculi, quod incipit, *Quorum haereticorum, ut plura praetercam* &c. Et jacebit ἀκέφαλον, nisi dicimus sic a Tertulliano adnexum fuisse operi de Praescriptione Haereticorum, ut eo absoluto, quum aliquis adscripsisset *Explicit de Praescriptione Haereticorum,* idem quisquis ille fuerit, ejus aevi scriptor, pro titulo sequentis opusculi subjecerit *Quorum haereticorum;* daturus scilicet catalogum eorum, quos generali praescriptione submovendos censeret; ac deinde incipiat opusculum, *Taceo enim Judaismi haereticos,* quod idcirco portio ac sequela praecedentis habeatur, propterea que nullibi citatum ab authore separatim reperiatur. Stilus certe non absimilis videtur Septimiano. In quibusdam vero exemplaribus praecedit librum de Praescr. Haereticorum. RIGALT. Si, ut opinantur Allixius, Noesseltus, aliique, post Tertulliani lapsum compositus fuit hic liber de Praescriptione, hinc sane duo isti tractatus diversos auctores habeant omnino necesse est. Haud

pauca enim contra Montani haeresim in subsequentis opusculi cap. penult. afferuntur. Rem vero aliter se habere circa compositionem, quam crepant, libri de Praescriptione post Tertulliani lapsum, supra exposui; porro scriptum fuisse iisdem fere temporibus utrumque librum, omnes, quod sciam, consentiunt. At vero, etsi egregium et probabile opus est catalogus iste haereticorum, adversus Omnes Haereses appellatus, multaque in se bonae frugis, nequaquam alibi reperta, continet; ac praeterea ab Hieronymo, ut indicabit Rigaltius, adductus est; immo fortasse Tertulliano ipsi ab Optato in lib. primo de Schismate Donatistarum attributus, haud satis tamen convenire idem videtur cum opere a Tertulliano supra promisso, in quo singulis haeresibus se responsurum esse ait; nec vim salesque orationis Septimianae satis assequitur. Certe pars hujus libelli de Praescriptione non est; neque a Lupo aut Thomasio, qui post Rigaltii tempora hunc de Praescriptione ediderunt, libris suis conclusus est.

IN LIBELLUM

ADVERSUS OMNES HAERESES

ANNOTATIONES.

P. 161. l. 3. QUORUM haereticorum &c.] Quae nunc sequuntur in Hirsaugiensi Codice praecedebant librum de Praescriptionibus, quod Rhenanus librarii incuria factum putat. In Paternaciensi Codice erat separatus libellus ἀνεπίγραφος, in altero autem libro titulum habebat, Adversus Omnes Haereses. Atque sub hoc titulo in editione Rhenani ista omnia separatim excusa sunt, quum in ceteris editionibus uno tenore cum superioribus conjunguntur. SEMLER. Libellus iste una cum Vincentii Lirinensis Commonitorio, et Tertulliani de Praescriptionibus, sed separatim a Tertulliani opere, typis excusus est sub titulo Catalogi Haereticorum a Carolo Barbiellini, Romae, anno 1765. Volui quidem titulum, qui in edit. principe huic opusculo datus est, *Adversus Omnes Haereses, seu potius, de Haeresibus Liber,* eidem partim saltem praefigere, Codice MS. a Rhenano supra commemorato nixus; verum neglectu meo *Haereticos* pro vocabulo *Haereses* in titulo positum est; id tamen magis convenit cum initio opusculi, quam alterum *Haereses.*

Ibid. l. 4. Tacco enim Judaismi haereticos] Haec legerat Hieronymus, quum, adversus Luciferianos agens, 'Taceo,' inquit, 'de Judaismi haereticis, qui ante adventum Christi 'Legem traditam dissiparunt, quod Dositheus Samaritano-'rum princeps Prophetas repudiavit' &c. Et infra, [l. 15.] 'Ad eos me converto.' Hieronymus eod. 'Ad eos venio haec-'reticos, qui Evangelia laniaverunt.' RIGALT.

Ibid. l. 18. Hic ausus est summam se dicere virtutem, id est, summum Deum] Similiter scribit de Simone Tertullianus, libro de Anima, cap. 34, *et se quidem finxit summum Patrem.* Referente quoque Irenaeo lib. II. advs. Haereses, cap. 8, dicebat Simon iste, *semetipsum esse summum Deum.*

Ferunt Apostolorum Actus, Simonem ipsum λέγειν εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν, ceteros vero omnes de eo dicere, Οὗτός ἐστιν ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη. cap. viii. comm. 9, 10.

P. 161. l. 21. ac daemone se oberrante qui esset sapientia, descendisse quaerendum] Ita se habet editio princeps. Sed in duabus posterioribus Rhenani editionibus, quas secutae sunt editt. Paris. ambae et Franek. et Rigaltiana, exstat *a daemone se oberrante, qui esset sapientia, descendisse quaerendum*, nisi quod edit. Paris. secunda *aberrante* habet, Rigaltius autem *qua* pro *qui*. Reponendum mihi quidem videtur, *ac* Aeone a *se* aberrante, *qui esset sapientia, descendisse* se ad *quaerendum*. Conferendus enim Irenaeus in lib. primo advs. Haereses, capp. 23 et 24 de Simone, deque exsiliente ex eo prima mentis ejus conceptione. Junius vero in notis calci edit. Franek. adjectis legendum conjecit, *ad daemonem secum errantem, qui esset sapientia descendisse se quaerendum*. Locum autem sic constituere vult Rigaltius, *Ad oves aberrantes se, qui esset sapientia, descendisse quaerendum*. Denique Semlerus ait, se ex Irenaeo lib. III. ausum scribere, *Ad ennoeam se aberrantem, quae esset sapientia, descendisse quaerendum*. Quod ad voces attinet *Apud Judaeos* &c. eas, prout postea distinxit in annotationibus suis Rigaltius, conjunxi cum sequentibus. Vide enim, quae de Basilide paulo infra et de Carpocrate, cap. 4, scribat auctor.

Ibid. l. 24. se in phantasmate Dei non passum] Fortasse *Deum* reponendum, cum hoc interpretamento; *Se* modo imaginario, vel putativo, ut loquitur Tertullianus, *non passum sed esse quasi passum*, Deus quum fuerit.

P. 162. l. 4. Angelos inferiores mundum fecisse] Posuit in edit. sua pro veteri scriptura *inferiorem* Rigaltius. Quum vero postea in cap. 3 *angelos* inferiores *hominem finxisse* scribat hic auctor, lectionem alteram revocavi. Habes infra, *in ultimis quidem Angelis, et qui hunc fecerunt mundum;* atque initio cap. 4, *Angelos atque virtutes, quos distantes longe* a superioribus virtutibus *mundum istum in inferioribus partibus condidisse* dicit. Attamen in cap. 7 mentio facta est mundi superioris atque inferioris. Supra Junius conjecit emendandum, *in summis illis et infinitis partibus*, pro, *in summis et illis infinitis*, sed fortasse nihil mutandum est.

Ibid. l. 6. ad similitudinem illius luminis] Post *similitudinem* interposuit has voces Rigaltius, *illam superiorem propter*, quas quidem, ut ex sequentibus perperam huc

translatas, expungendas jussi. Dein vox *Angelos* male repetita fuisse videtur, prout Rhenanus jam adnotaverat, et post eum Wouwerius in Emendationibus Epidiet. Fine opusculi simile quid huic clausulae habes, quam Victorinus corroborare curavit.

P. 162. l. 9. cujus lumen illud, et virtutem illam superiorem propter misericordiam, scintillam salvam esse] Sic editt. ante Rigaltium, qui quidem voces *illam superiorem propter* omisit. Sed locum mancum et corruptum Junius hoc modo supplevit atque emendavit: Cui *lumen illud et virtutem illam superiorem propter misericordiam* vitae scintillam immisisse; hanc *scintillam salvam esse.* Convenit haec emendatio tam cum iis quae in cap. 3 sequuntur, quam cum Tertulliano, in lib. de Anima cap. 23, atque Irenaeo lib. 1. contra Haereses, cap. 22, ubi de Saturnini scitis agitur. Interea a Junio locum praeclare emendante, rectius, ni fallor, positum fuisset *scintillam vitae*, quam *vitae scintillam*, siquidem propter τὸ ὁμοιοτελευτὸν, seu vocis *scintillae* repetitionem, omissio vocum interjectarum contigisse videatur. Dixi, similia exstare in capite proxime sequente.

Ibid. l. 32. frequenter] An *frequentare?* SEMLER. Alioquin adverbium cum *concutere* construendum foret. Sed fortasse scribendum, *et* seditione res *frequenter et* bello *concutere*, pro *et* seditiones *frequenter et* bella *concutere.*

P. 163. l. 6. ne quis confiteatur in Simonem credidisse] Fors. reponendum, *conficiatur*, h. e. colligatur, vel, concludatur.

Ibid. l. 13. ex hac permixtione, pudor est dicere quae foeda et immunda sunt et cetera obscoena; omnes enim refert quosdam turpitudinis natos, &c.] Ita se habet edit. princeps. In edit. Rhenani ult. Paris. utraque et Franck. *sunt* cum sequentibus positum est. In hunc autem modum locum repraesentavit Rigaltius, *Ex hac permixtione pudor est dicere quae foeda et immunda sunt. Homines enim refert quosdam turpitudinis natos.* Quum vero omnia haec et plura post voces *ex hac permixtione* usque ad illas, *natos praeterea daemones*, παρενθετικῶς collocata videantur, totum locum velim ita refingere atque distinguere: *Ex hac permixtione (pudor est dicere, quae foeda et immunda. Sunt et cactera obscoena;* omne *enim refert* quasdam *turpitudinis* notas, *et complexus, et permixtiones execrabiles, obscoenasque conjunctas* [hoc est, *conjunctiones*], *et quaedam ex ipsis adhuc turpiora,*) *natos praeterea daemones et deos* &c. Hoc mihi quidem placet. Sed Rigaltius, qui ipse *homines* pro *omnes*

posuit, in notis suis refert, monuisse virum eruditissimum, legendum *Aeones*, propter Epiphanium in Haeres. Καὶ ἐκ τούτου τοῦ Αἰῶνος τοῦ αἰσχροῦ καὶ τῆς μήτρας γεγονέναι Θεούς τε καὶ τοὺς Ἀγγέλους καὶ δαίμονας. Scribere autem jusserat Latinus Latinius, *communes* pro *omnes*, quod probat Junius. Recte praestat, *quasdam turpitudinis notas*, editio Halensis, sed unde acceptum nescio.

P. 163. l. 18. conjunctas] Hoc est *conjunctiones*. RIGALT.

Ibid. l. 21. et jam praeterimus] Sic cum editore Romano lego, pro *etiam praeterimus*. Vult Semlerus reponere, *Si etiam praeterimus, satis est nobis* &c. Supra in lin. 20 Junius vocem sustulit *satis* ante *sacrilega*. Sed neutram approbo conjecturam.

Ibid. l. 23. gravissima sententiae auctoritate] An reponendum *gravissimae?*

P. 164. l. 1. imitatur] Magis conveniret huic loco verbum *intimat*.

Ibid. l. 4. ad benedicenda eucharistia sua] Mutandum censuit Pamelius *eucharistia* in *eucharistica;* sed, retenta pristina lectione, ait Rigaltius, 'Sic habet Codex Divionensis. Atque ita etiam Indiculus Haeres. Hieronymi, [a Menardo editus.] *Et ipse illis* eucharistia *sanctificat.*'

Ibid. l. 11. gravitate materiae permixta sibi] Legendum videtur *permixtae*.

Ibid. l. 13. in medietate relictum extendisse totum, effecisse sic coelum] Sic editum est. Sed conjecit scribendum *extendisse* se Semlerus et ante eum Latinus Latinius, qui et recte censuit ponendum esse *et fecisse* pro *effecisse*. Fortasse igitur ita legendus est locus, *in medietate* vero *relictum extendisse* se *totum*, et fecisse *sic coelum*.

Ibid. l. 17. quem occlusisse] Conjecerat legendum, *atque occlusisse* Junius. Malim *queis* vel *quibus* reponere.

Ibid. l. 28. et similitudinem serpentis] Fors. legendum, *ad similitudinem serpentis*.

P. 165. l. 20. per passionem Christi] Hoc est, si paterctur Christus.

Ibid. l. 28. dum Abel interfectum dicerent] Nonne *quum* et *disceret* reponenda? Apud Epiphanium in *Haeres.* xxxix, *Sethianorum*, de hac matre hoc positum est, γνοῦσα ὅτι ἀπέκτανται Ἄβελ, ἐνθυμηθεῖσα ἐποίησε γεννηθῆναι τὸν Σήθ, καὶ ἐν τούτῳ ἔθηκε τὴν αὐτῆς δύναμιν. c. ii. p. 284, ed. Petav.

Ibid. l. 32. Permixtiones enim dicunt Angelorum et hominum iniquas fuisse] h. e. impares, inaequales. Nisi forte reponendum est, *impias*, quum voces inter se facile mutentur.

P. 166. l. 8. etiam semen Cham] Sic cum edit. principe Rigaltius. Atque haec notavit ad edit. Halensem Semlerus. '*Cain*, Fran. Paris. ut jam conjiciebat Rhenanus. At Ri-'galt. et Veneta [nupera editio] retinent *Cham*, quam lectio-'nem etiam Junius ex Epiphanio comprobat.' Εἰσέδυσαν [Angeli] τὸν Χὰμ εἰς τὴν κίβωτον ὄντα τοῦ αὐτῶν σπέρματος, inter Epiphanii verba sunt in *Haeresi* xxxix. cap. 3. Habent *Chain* Rhenani edd. 3 et 4. *Chain* et *Cham* valde similia sunt. *Caïn* ed. Paris. prima, forsan recte.

Ibid. l. 23. eo quod et firmior et robustior ex ceteris fuerit, et quo colligeret tentata animarum sola salute, nullas corporis resurrectiones] Sic edit. princeps. Sed vulgo cum abest *ex* ante *ceteris*, tum recte *ex* pro *et* ante *quo* positum est. Legendum puto *robustior* ea *ceteris fuerit*. Meliusque mihi videretur, *ex quo colligeret, attentata*. Dein ait Semlerus, '*ex quo* colligere est retenta *animarum* '*sola salute* &c. legendum censet Junius; *retenta* jam re-'posuerat Latinius.' Scribendum conjecit annotator ad edit. Romanam hujus tractatus, *constituta tantum*, vel *admissa animarum*.

Ibid. l. 32. non Dominum, sed angelum promens] *Deum* reponere velim. Fortasse supra legendum est *ab angelis* pro *ab illis*, nisi subaudiendum hoc verbum est.

P. 167. l. 4. Legem esse proponit] Sic editt. Rhenani, seu principes; sed posterae editt. Paris. priorem secutae habent *etiam* pro *esse*. Legerim, *legem* et jam *esse proponit*. Quomodo vero hoc collegerit Ebion ex verbis quae adducuntur Scripturae sacrae, ambegissem, nisi suppeditaret istaec Indiculus Haeresium S. Hieronymo adscriptus, a Menardo editus, quem Rigaltius hic attulit: 'Carpocras, Cerin-'thus, et Hebion. Hi tres tibi successerunt, docentes omnia 'secundum Legem, circumcidi, observare sabbata, et dies fe-'stos Judaicos; Christus enim haec omnia observavit. Suffi-'cere dicentes ita esse doctorem' [an significat auctor magistri discipulum, aliorum doctorem?] 'ut magistrum.' Matt. x. 25. Ebionitae, ait Eusebius, docuerunt, δεῖν πάντως αὐτοῖς τῆς νομικῆς θρησκείας, ὡς μὴ ἂν διὰ μόνης τῆς εἰς τὸν Χριστὸν πίστεως, καὶ τοῦ κατ' αὐτὴν βίου, σωθησομένοις. *Hist. Eccl.* III. 27.

Ibid. l. 9. circumcidens] Vulgo *circumducens*, cui quidem lectioni, sicut alteri *circumdicens*, praetuli ego *circumcidens*, quod ut lectio varians ad marg. edit. principis exstat, in qua *circumdicens* legitur. *Circumducere* vult rescribere Latinius.

Ibid. l. 13. Semen] Legit Ciaconius processione *mentem et veritatem*, argute conjiciens vocem *semen* ex fine vocis

praecedentis et principio sequentis inscite conflatam esse; atque hanc conjecturam non possum quin probem. JUNIUS, cui quidem adsentit Semlerus. At vero vocem *semen* retinendam hoc loco esse, cuique patebit Tertullianum inspicienti in libro advs. Valentinianos, capp. 7. et 25, ubi de his nugis disputatur.

P. 167. l. 16. de Sermone autem et vita] Scilicet his, quos proxime ante appellaverat *Verbum et vitam*, Λόγον καὶ ζωήν.

Ibid. l. 23. in defectionem] [a] Fortasse hic, et postea, *in defectione* legendum, prout in edd. aliquot scribitur. Attamen infra habes in Firmiliani Epistola, cap. 8, *in extasin constituta*. Ceterum ait Tertullianus, advs. Valentinianos cap. 10, 'Hujus [Hori] praedicant opera, et repressam ab inli-'citis, et purgatam a malis, et deinceps confirmatam Sophiam; 'et conjugio restitutam, et ipsam quidem in pleromatis censu 'remansisse. Enthymesin vero' [quam et Achamoth vocant, verba Irenaei sunt lib. 1. init. cap. 4, quocum consentit Tertullianus, cap. 14. et alibi] 'ejus et illam appendicem Pas-'sionem ab Horo relegatam et crucifixam, et extra eum fac-'tam; malum, quod aiunt, foras.' Haec Tertullianus.

Ibid. l. 26. dicto Jao; hoc pronuntiatio appellat] Vocem *Jao* nescierunt editiones ante Pamelium, qui Macercum secutus est, Gallicum hujus libelli Interpretem, ex Irenaeo et Epiphanio locum corrigentem. Legendum vero *missus* pro *misisset*, quod habent editt. Rhenanianae et Paris. utraque, post Rhenanum proposuerat Latinius. Ad verba, *Hoc pronuntiatio* appellat, adnotat Pamelius; '— Addens [Ma-'cercus in Annotationibus], *Hoc pronuntiatio appellat*, ac 'si dicat, tale sortitur nomen ille pleromatis custos, alludit 'ad Heracleonitarum et Marcosiorum haeresin, quae, Ire-'naeo lib. 1. c. 9, et Epiphanio Haer. 34, testibus, hoc ad-'struebat, quod primus ille pater, qui infra vocatur *Pro-'pator Bythos*, pronunciando et aperiendo os Verbum emi-'sit, quod adstans quemlibet *Aeonem* nomine suo appella-'bat. Quare recte Rhenanus lectorem remisit ad illud 'infra de Heracleone; *sed novitate quodam pronuntiatio-'nis vult videri alia sentire. Introducit enim imprimis 'illud fuisse quod pronuntiat.*' Infra. Rigaltius autem ait; 'Videtur aliquid deesse, quod suppleri posset ex iis quae 'leguntur lib. adversus Valentinianos pag. 296. *Tam im-'portune filiae occurrisset, ut etiam inclamarit in eam, Jao, 'quasi, Porro Quirites! aut, Fidem Caesaris! Inde inveni-*

[a] [Editio prima 'in defectionem (*for.* defectione)' in contextu exhibuerat.]

'*tur Jao in Scripturis.*' cap. 14. Haec ille. Antea ibid. cap. 9, scripserat Tertullianus: 'Quaedam et huic [Horo] vis est, 'fundamentum, universitatis illius extrinsecus custos, quem et 'crucem appellant, et Lytroten, et Carpisten.' Denique vocum illarum, *Pronuntiatio appellat,* significatio haec videtur esse, Pronuntiatione vocis, *Jao,* h. e. *qui existit,* Demiurgus, sive Creator, non Bythos ipse, appellatione donatur. Interea vix dubitem, quin vox *Jao,* quam, ut dixi, nesciverunt editiones vetustissimae, in pronomen *hoc* male conversa esset, atque idcirco disparere *hoc* atque expelli e contextu debuisset.

P. 167. l. 31. contristatus est] Sic edd. Rhenani et Paris. utraque, sed postea, Pamelio primo mutante, ut patet ex notis ejus, praestiterunt edd. Franek. et Rigaltiana *contristata est.* Ut vero monet Semlerus, in masculino subauditur Aeon. Itaque in hac Valentini *ῥήσει contristatus* restituendum curavi. Sed Tertullianus, advs. Valentinianos cap. 9, mutato vicissim genere scribit, 'Namque ex illis duodecim 'Aconibus, quos Homo et Ecclesia ediderant, *novissima* nata 'Aeon, viderit soloecismus, Sophia enim nomen est—pro-'rumpit in patrem inquirere.' Pertinere vero omnia mox dicta ad istum tricesimum Aconem Jao nominatum et Achamoth in defectione factum, mea fert sententia: sed conjicit Pamelius, interserendam vel subaudiendam post illa verba *Hinc fecit,* vocem *Demiurgus,* cujus mater est Achamoth, ut conveniat cum Irenaeo et Epiphanio, immo cum Tertulliano, auctor. Et huic quidem Pamelii opinioni favere videntur verba post paulo sequentia; 'quoniam quidem ipse fuerit 'de aporiatione [*ἀπορίᾳ*] conceptus atque prolatus. Hunc 'tamen instituisse istum mundum ex his materiis, quos Acha-'moth vel pavendo, vel timendo, vel contristando, vel sudando 'praestiterat.' Inest quidem his verbis ambiguitas quaedam, perinde ac fit in fabula illa Achamoth et filii Demiurgi. Haec enim scribit Tertullianus, cap. 18 ejusdem libri advs. Valentinianos, ubi Ptolemaei, de quo paulo infra, sententias recenset: 'Ab illo enim, [Demiurgo] si tamen ab illo, et non ab 'ipsa potius Achamoth, a qua occulto, nihil sentiens, ejus, 'et velut sigillario extrinsecus ductu, in omnem operationem 'movebatur. Denique ex hac personarum in operibus ambi-'guitate nomen illi Metropatoris miscuerunt, distinctis ap-'pellationibus caeteris &c.' Ait ibidem, infra cap. 25, 'Inerat 'autem in Achamoth, ex substantia Sophiae matris, peculium 'quoddam seminis spiritalis; sicut et ipsa Achamoth in filio 'Demiurgo sequestraverat, ne hoc quidem gnaro.' Apud hunc vero scriptorem Anonymum Jao tantum et Achamoth vel nominari vel designari videntur.

P. 168. l. 3. de Aporiatione conceptus atque prolatus] Aporiatio, *haesitatio, metus, confusio.* Irenaeus: *delinc expavisse, et aporiatam*, id est, *confusam.* RIGALT. qui et in Indice Glossarum Tertulliani posuit *Aporiatio, angustia, anxietas.*

Ibid. l. 10. humida fontium fluminum materia, marisque] Fors. legendum *fontium* et *fluminum.*

Ibid. l. 17. sed alterius] Latinius legit, *sed non alterius.* Junius autem, *hujus carnis. Sed ulterius legis.* Malim, *sed alterius partis*, scil. animae, ut cap. 51. Haec SEMLER. Ut vero praedicabant Valentiniani carnalium, quos vocabant, atque animalium interitum, quod constat ex Tertulliani libro adversus illos, capite 32, sic corporis spiritualis salutem sodalibus suis promittebant, quomodo ostendit Epiphanius Haeres. xxxii. cap. 7: Τὸ δὲ ἑαυτῶν τάγμα πνευματικὸν ὂν, σώζεσθαι σὺν σώματι ἄλλῳ ἐνδυτέρῳ ὄντι, ὅπερ αὐτοὶ σῶμα πνευματικὸν καλοῦσι, φανταζόμενοι. Quapropter in hunc sensum verba interpretor; Resurrectionem hujus, vel nostrae, carnis negat Valentinus, sed corporis alterius, vel spiritualis, approbat. De Ptolemaeo autem et Secundo quae proxime sequuntur, conferenda ea sunt cum Tertulliano advs. Valentinianos, capp. 33, 38. De Valentini Evangelio videsis quae ad Reliquiar. Sacr. vol. I. p. 432 annotavi.

Ibid. l. 33. in primis illud fuisse quod pronuntiat] Ait Semlerus deesse nomen *αὐτοὸν*, aut simile. Lucem praebebit Philastrius de Haeresibus cap. 41. 'Post hunc [Secundum] 'Heracleon, discipulus ipsius, surrexit, dicens, Principium 'esse unum, quem Dominum appellat. Deinde de hoc natum 'aliud, deque his duobus generationem multorum assumit principiorum, cum suis itidem delirans doctoribus.' p. 91 ed. Fabricii. Sic Philastrius de Heracleone ipso; itidem de Apelle scribit infra Anonym. noster, *aliam virtutem, quam dicit, Dominum dicit*, cap. 7. Itaque legendum hoc loco videtur, *quod Dominum pronuntiat.* Sed locum aliter exposuit Pamelius supra in nota ad voces, *dicto Jao; pronuntiatio appellat*, a me allatus ad pag. 167, lin. 26. Certe male Annotator ad ed. Romanam addere vult nomen *Valentinus* post *pronuntiat.*

P. 169. l. 11. denique Jesum Christum descendisse] Addendum *in* ante *Jesum* monuit Semlerus.

P. 170. l. 5. Hic ex occasione &c.] Hunc Scripturae Sacrae locum cum quaestione de origine mali conjungens Marcion, duos Deos, Cerdonem imitatus, propterea statuit.

P. 170. l. 8. eadem dicere] Forte, *eadem dicens*, nisi quis forte velit, *eademque dicere*. JUNIUS. Ita Rhenanus *eadem dicere* retinere voluerat, verbo *conatus est* ex praecedentibus subaudito. Supplere *et* ante *eadem* vult Annotator ad edit. Romanam. Sed fortasse *eadem dicens* praeferendum est.

Ibid. l. 14. in carnem suam lapsus est] Superius annotata vide ad Tertulliani de Praescr. cap. 30.

Ibid. l. 16. infinitis superioribus partibus] Legere vult Junius *infiniti*. Malim reponere in *infinitis superioribus partibus*. Habes supra, *in summis et illis infinitis partibus*, cap. ii. p. 162.

Ibid. l. 19. Hoc vult videri] Legendum *hinc*, vel *ab hoc*. Junius. An *huic*, i. e. *ab hoc?* SEMLER. Praeferendum videtur, *ab hoc*.

P. 171. l. 1. animarum solarum dicit salutem] An *docet* pro *dicit* legendum?

Ibid. l. 2. privatas] Esotericas. Fortasse in vocibus sequentibus, *sed extraordinarias*, pro *sed* scribendum *et*.

Ibid. l. 16. Sunt enim qui—dicantur,—pronuntientur.] Si quid refert me hoc fecisse, revocavi ex editionibus Rhenani et Parisina utraque *dicantur* pro *dicuntur*, et ex ed. Rhenani ultima et Parisina utraque (deficit enim in ed. principe alterum orationis membrum) *pronuntientur* pro indicativo *pronuntiantur*. Primus Pamelius ex MS. Vaticano *dicuntur* substituit.

Ibid. l. 20. et communem quidem illam] Melius abesset particula *et*, fortasse ex praecedente *et* orta, quae quidem a Priorio in editione sua Rigaltiana et a Romano editore male omissa est.

Ibid. l. 29. Blastus accedens &c.] Ut ex Irenaeo constat, Blastum separasse se ab Ecclesia, quippe quum idem sanctus Pater epistolam ad eum miserit De Schismate inscriptam, ita vicissim ex hoc loco causa eruitur, cur hic homo se separaverit. Nondum vero Asiatici Quartadecimani ob tempus sibi fere proprium servandi paschatis ab ecclesia schismatici judicati erant. De Blasto confer Eusebii Hist. Eccl. v. 15, 20; et notam supra ad Irenaei Fragmentum, p. 39.

P. 172. l. 2. Christum pro nomine adprehensus negavit] Editionis principis lectionem revocavi, ad quam notavit Rhenanus, ‘pro nomine, hoc est, ob professionem nominis ‘Christiani.’ Nam istud *ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος*, subaudito *τοῦ Χριστοῦ*, phrasis est scriptoribus veteribus solennis, quae sumpta ex Scriptura S. videtur. Videsis Reliquias Sacr.

vol. IV. p, 56. in notis ad S. Petrum Alex. Verumtamen postea, Rhenanus in ultima sua editione haec substituit, *qui posteaquam Christi pro nomine adprehensus est in Christum blasphemare non destitit.* Exstat haec lectio in subsequentibus editionibus. Deinde Pamelius ex Codice edidit Vaticano, *Christi pro nomine comprehensus negavit.* Hoc secutus est Rigaltius. Voluerat quoque Latinius legere, *Christi pro nomine*, non *Christum pro nomine.* Sed hac de re aliter sentio; et ipsa quoque lectionis quae exstat varietas ex corruptela locutionis parum intellectae orta esse videtur. Phrasis hujus exemplum exstat in Tertulliani libro de Patientia, *nomen cum familia ipsius persequentes*, cap. 2, et in lib. contra Gnosticos, cap. 11. Ad vocem *adprehensus* quod attinet, verba habes, *ut adprehensum Dominum destituerint*, in cap. ult. libri de Baptismo. Ceterum refert Rigaltius, emendatum a se esse librum de Praescr. Haeret. locis quinque et nonaginta ex Codicibus Agobardi et Ursini. Ego in illo tractatu cum hoc libello simul conjuncto a recensione Rigaltiana plus octogies discessi.

P. 172. l. 7. nullo alio prae ceteris nisi sola justitiae auctoritate] Sic edd. Rhenanianae et Paris. utraque: *nulla alia* editt. Franek. et Rigaltiana. Scribendum videtur, *nullo alio* praecellentem *ceteris, nisi sola justitiae auctoritate.*

Ibid. l. 26. Victorinus] De hoc Victorino nihil apud alios scriptores. ANNOTATIO ad edit. hujus libelli Romanam. Contra Praxeam Tertullianus scripsit.

FIRMILIANI

EPISTOLA AD S. CYPRIANUM,

CONTRA

EPISTOLAM STEPHANI EPISCOPI ROMANI,

E GRAECO ANTIQUITUS CONVERSA.

FIRMILIANUS.

Guil. Cavius, Hist. Lit. vol. I. p. 123.

FIRMILIANUS[a], vir genere, pietate, atque eruditione illustris, circa an. 233 Caesareae Cappadocum Episcopus factus est. Multa ei cum Origene tunc docendi munere Caesareae in Palaestina fungente familiaritas intercessit: immo tam propenso erga Origenem animo fuit, ut modo illum in suam provinciam ad Ecclesiarum utilitatem evocaret, modo ad ipsum visendum Judaeam usque proficisceretur, et cum eo aliquamdiu maneret, ut majorem rerum divinarum cognitionem perciperet. [Euseb. lib. VI. c. 26, 27.] Tanti ab omnibus habitus est, ut gravioribus Ecclesiae negotiis eo tempore agitatis semper interfuerit. Magnas cum Stephano Romano Pontifice ob dogma de Haereticis Rebaptizandis lites exercuit. Coacta enim Episcoporum Galatiae, Phrygiae, Ciliciae, et proximarum provinciarum Synodo Iconiensi, Cypriani sententiam haereticos denuo esse rebaptizandos adversus Stephanum constanter contendentis confirmavit: propterea a Stephano male habitus, qui rupto pacis ecclesiasticae vinculo eum ab Ecclesiae suae communione abscidit.

[a] Conf. Tillemont, Memor. Eccles. ad Vit. Firmilian. vol. IV.

Anno 265, Synodo orientalium Antiochiae adversus Paulum Samosatenum ejusdem urbis Episcopum habitae interfuit, et magna pars erat; in qua dogmatis a Paulo invecti novitatem quidem damnavit, hominem vero ipsum sententiam se mutaturum promittentem damnare distulit, ab homine nullius fidei deceptus, speransque sine ullo religionis dispendio rem optime posse constitui. Synodi istius epistola synodica a Turriano tenebris eruta exstat Gr. Lat Concil. tom. I. Auctuar. Bibliothec. PP. Paris. 1624. tom. I. pag. 302. [Edita apud Concilium Antioch. contra Paulum Samosatenum, in vol. III. Reliquiar. Sacr. p. 289.] Quum vero anno 270 ad secundam Synodum Antiochenam adversus eundem Paulum collectam iter faceret, et jam Tarsum usque pervenerat, ibi grandaevus decessit; uti Synodi istius Patres in literis suis encyclicis testantur [b]. Exstat inter Epistolas Cyprianicas [c] Firmiliani ad Cyprianum Epistola, a Cypriano, cujus stylum plane sapit, Latine, ut videtur, versa; qua confirmata Cypriani de Haereticorum Baptismo sententia, Stephanum Papam ob inhumanitatem, audaciam, insolentiam, aliaque ab eo improbe gesta acerbe perstringit. Firmiliani libros, quos post se reliquit, citat Basilius de Spiritu S. cap. xxix, p. 360; quot vero, vel quinam fuerint non dicit [d].

[b] Ap. Euseb. lib. VII. cap. 30.

[c] Conf. Fabr. Bibl. Med. et Infim. Latinit. lib. VI. vol. ii. p. 499.

[d] [Videsis notas ad Firmiliani Epistolam.]

FIRMILIANI

EPISCOPI CAESAREAE CAPPADOCIAE

AD

CYPRIANUM CONTRA EPISTOLAM STEPHANI.

I. FIRMILIANUS Cypriano fratri in Domino salutem. Accepimus per Rogatianum carissimum nostrum, Diaconum a vobis missum, literas quas ad nos fecisti, frater dilectissime, et gratias propter hoc Domino maximas egimus, quod contigerit, ut qui corpore ab invicem separamur, sic spiritu adunemur quasi non unam tantum regionem tenentes, sed in una atque in eadem domo simul inhabitantes. Quod et decet dicere, quia et spiritalis domus Dei una est. *Erit enim in novissimis*, ait Propheta, Isai. ii. 2. *diebus manifestus mons Domini et domus Dei super vertices montium.* In quam convenientes cum jucunditate adunantur, secundum quod et in Psalmo hoc postulatur a Domino, *inhabitare in domo Dei per* Ps. xxvi. 7. *omnes dies vitae.* Unde et in alio loco manifestatum est, esse apud sanctos magnam voluntatis caritatem [*fors.* alacritatem] in unum convenire: *Ecce*, inquit, Ps. cxxxii. *quam bonum et voluptabile est, ut habitent fratres in unum.* Adunatio enim et pax et concordia, non solum hominibus fidelibus et cognoscentibus veritatem, sed et Angelis ipsis coelestibus voluptatem maximam praestat; quibus dicit Sermo divinus, *esse gaudium in uno peccatore poenitentiam agente*, Luc. xv. 10. et ad unitatis vinculum revertente. Quod utique

non diceretur de Angelis, conversationem in coelis habentibus, nisi ipsi quoque essent nobis adunati, qui nostra adunatione laetantur: sicut e contrario utique contristantur, quando vident diversas quorundam mentes, et scissas voluntates; quasi non tantum unum et eundem Deum simul invocent, sed separatis et divisis ab invicem, nec confabulatio jam possit esse aut sermo communis. Nisi quod nos gratiam referre Stephano in isto possumus, quod per illius inhumanitatem nunc effectum sit, ut fidei et sapientiae vestrae experimentum caperemus. Sed non enim si nos propter Stephanum hanc beneficii gratiam cepimus, statim Stephanus beneficio et gratia digna commisit. Neque enim et Judas perfidia sua et proditione, qua scelerate circa Salvatorem operatus est, dignus videri potest, quasi causam bonorum tantorum ipse praestiterit, ut per illum mundus et gentium populus passione Domini liberaretur. Sed haec interim quae ab Stephano gesta sunt praetereantur, ne, dum audaciae et insolentiae ejus meminimus, de rebus ab eo improbe gestis longiorem moestitiam nobis inferamus. De vobis autem cognoscentes, quod secundum regulam veritatis et sapientiam Christi, hoc de quo nunc quaeritur disposueritis; cum magna laetitia exsultavimus et Deo gratias egimus, quia invenimus in fratribus tam longe positis tantam nobiscum fidei et veritatis unanimitatem.

Ab Unitate Divina pendet Christianorum unitas.

II. Potens est enim gratia Dei copulare et conjungere caritatis atque unitatis vinculo, etiam ea quae videntur longiore terrarum spatio esse divisa. Secundum quod et olim intervallo temporum separatos, ab Job et Noe qui in primis fuerant, Eze-

Ezech. xiv.

chielem et Danielem, posteriores aetate, ad unanimitatis vinculum virtus divina conjunxit, ut quamvis temporibus longis discreti essent, eadem tamen divina inspiratione sentirent. Quod et nunc in vobis animadvertimus, ut qui longissimis regionibus a nobis separati estis, sensu tamen et spiritu copulatos vos esse nobiscum probaretis. Quod totum hoc fit divina unitate. Nam quum Dominus unus atque idem sit qui habitat in nobis, conjungit ubique et copulat suos vinculo unitatis. Unde *in universam terram exivit sonus eorum* qui a Domino missi sunt, unitatis spiritu velociter currentes. Sicut e contrario nihil prodest aliquos proximos et junctos sibi esse corporibus, si animo et mente dissideant; quando adunari animae omnino non possint, quae se a Dei unitate diviserint. *Ecce enim*, inquit, *qui longinquant se abs te, peribunt;* sed tales judicium Domini pro merito suo subibunt, recedentes a verbis ejus qui Patrem pro unitate deprecatur, et dicit, *Pater, da ut quomodo ego et tu unum sumus, sic et hi in nobis unum sint.*

Ps. xix. 4.

Ps. lxxii. 26.

Jo. xvii. 22.

III. Nos vero ea quae a vobis scripta sunt, quasi nostra propria suscepimus, nec in transcursu legimus, sed saepe repetita memoriae mandamus; neque obest utilitati salutari, aut eadem retexere ad confirmandam veritatem, aut et quaedam addere ad cumulandam probationem. Si quid autem a nobis additum fuerit, non sic additur quasi a vobis aliquid minus dictum sit, sed quoniam sermo divinus humanam naturam supergreditur, nec potest totum et perfectum anima concipere; idcirco et tantus est numerus Prophetarum, ut multiplex divina sapientia per multos distribuatur. Unde et tacere prae-

1 Cor. xiv. 30. cipitur primo in prophetia loquenti, si secundo fuerit revelatum. Qua ex causa necessario apud nos fit, ut per singulos annos seniores et praepositi in unum conveniamus ad disponenda ea quae curae nostrae commissa sunt, ut si qua graviora sunt, communi consilio dirigantur; lapsis quoque fratribus et post lavacrum salutare a diabolo vulneratis, per poenitentiam medela quaeratur; non quasi a nobis remissionem peccatorum consequantur, sed ut per nos ad intelligentiam delictorum suorum convertantur, et Domino plenius satisfacere cogantur. Quoniam vero legatus iste a vobis missus regredi ad vos festinabat, et hibernum tempus urgebat, quantum potuimus ad scripta vestra rescripsimus.

Refellitur assertio Stephani dicentis, quod Apostoli ab haereticis venientes baptizare prohibuerint.

IV. Et quidem quantum ad id pertineat quod Stephanus dixit, quasi Apostoli eos qui ab haeresi veniant baptizari prohibuerint, et hoc custodiendum posteris tradiderint, plenissime vos respondistis, neminem tam stultum esse qui hoc credat Apostolos tradidisse, quando etiam ipsas haereses constet exsecrabiles ac detestandas postea exstitisse. Quum et Marcion Cerdonis discipulus inveniatur, sero post Apostolos et post longa ab eis tempora, sacrilegam adversus Deum traditionem induxisse. Apelles quoque blasphemiae ejus consentiens, multa alia nova et graviora, fidei ac veritati inimica addiderit. Sed et Valentini et Basilidis tempus manifestum est, quod et ipsi post Apostolos et post longam aetatem, adversus Ecclesiam Dei sceleratis mendaciis suis rebellaverint. Ceteros quoque haereticos constat pravas suas sectas et inventiones perversas prout quisque errore ductus est, postea induxisse; quos
Tit. iii. 14. omnes manifestum est a semetipsis damnatos esse, et

ante diem judicii inexcusabilem sententiam adversus semetipsos dixisse; quorum baptisma qui confirmat, quid aliud quam cum ipsis se adjudicat, et se ipse participem talibus faciendo condemnat?

V. Eos autem qui Romae sint non ea in omnibus observare quae sunt ab origine tradita, et frustra Apostolorum auctoritatem praetendere, scire quis etiam inde potest, quod circa celebrandos dies Paschae, et circa multa alia divinae rei sacramenta, videat esse apud illos aliquas diversitates, nec observari illic omnia aequaliter, quae Hierosolymis observantur. Secundum quod in ceteris quoque plurimis provinciis, multa pro locorum et nominum [*fors.* hominum, *Baluz.*] diversitate variantur; nec tamen propter hoc ab Ecclesiae catholicae pace atque unitate aliquando discessum est. Quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversum vos pacem, quam semper antecessores ejus vobiscum amore et honore mutuo custodierunt: adhuc etiam infamans Petrum et Paulum beatos Apostolos, quasi hoc ipsi tradiderint, qui in epistolis suis haereticos exsecrati sunt, et ut eos evitemus monuerunt. Unde apparet traditionem hanc humanam esse, quae haereticos asserit, et baptisma quod non nisi solius Ecclesiae est, eos habere defendit.

Ecclesia Romana tanquam custos traditionum minus diligens defertur.

Rom. xvi. 17. 2 Pet. iii. 17.

VI. Sed et ad illam partem bene a vobis responsum est, ubi Stephanus in Epistola sua dixit: 'Haereticos quoque ipsos in baptismo convenire, et 'quod alterutrum ad se venientes non baptizent, sed 'communicent tantum,' quasi et nos hoc facere debeamus. Quo in loco, etsi vos jam probastis satis ridiculum esse, ut quis sequatur errantes, illud tamen ex abundanti addimus, non esse mirum si sic

Ratio redditur quare haeretici alterutrum ad se venientes non baptizent.

haeretici agant, qui etsi in quibusdam minoribus discrepant, in eo tamen quod est maximum, unum et eundem consensum tenent, ut blasphement Creatorem, quaedam somnia sibi et phantasmata ignoti Dei confingentes : quos utique consequens est sic consentire in baptismi sui vanitate, ut consentiunt in repudianda divinitatis veritate. De quibus quoniam longum est ad singula eorum, vel scelesta vel supervacua respondere, satis est breviter illud in compendio dicere, eos qui non teneant verum Dominum Patrem, tenere non posse nec Filii nec Spiritus Sancti veritatem. Secundum quod etiam illi qui Cataphrygas appellantur, et novas prophetias usurpare conantur, nec Patrem possunt habere, nec Filium, nec [Spiritum Sanctum ; *Vid. not.*] a quibus si quaeramus quem Christum praedicent, respondebunt eum se praedicare qui miserit Spiritum, per Montanum et Priscam locutum. In quibus quum animadvertamus non veritatis Spiritum sed erroris fuisse, cognoscimus eos qui falsam illorum prophetiam contra Christi fidem vindicant, Christum habere non posse. Sed et ceteri quique haeretici, si se ab Ecclesia Dei sciderint, nihil habere potestatis aut gratiae possunt, quando omnis potestas et gratia in Ecclesia constituta sit, ubi praesident majores natu, qui et baptizandi et manum imponendi et ordinandi possident potestatem. Haeretico enim sicut ordinare non licet, nec manum imponere, ita nec baptizare, nec quicquam sancte nec spiritaliter gerere, quando alienus sit a spiritali et deifica sanctitate. Quod totum nos jam pridem in Iconio, qui Phrygiae locus est, collecti in unum, convenientibus ex Galatia et Cilicia et ceteris proximis regionibus, confirmavimus

tenendum contra haereticos firmiter et vindicandum, quum a quibusdam de ista re dubitaretur.

Et quoniam Stephanus et qui illi consentiunt, contendunt dimissionem peccatorum et secundam nativitatem in haereticorum baptisma posse procedere, apud quos etiam ipsi confitentur Spiritum Sanctum non esse, considerent et intelligant spiritalem nativitatem sine Spiritu esse non posse; secundum quod et beatus Apostolus Paulus eos qui ab Joanne baptizati fuerant, priusquam missus esset Spiritus Sanctus a Domino, baptizavit denuo spiritali baptismo, et sic eis manum imposuit ut acciperent Spiritum Sanctum. Quale est autem ut quum Paulum post Joannis baptisma iterato discipulos suos baptizasse videamus, nos eos qui ab haeresi ad Ecclesiam veniunt, post inlicitam et profanam eorum tinctionem baptizare dubitemus? Nisi si his Episcopis, quibus [*fors.* qui sunt] nunc, minor fuit Paulus; ut hi quidem possint per solam manus impositionem venientibus haereticis dare Spiritum Sanctum; Paulus autem idoneus non fuerit, qui ab Joanne baptizatis Spiritum Sanctum per manus impositionem daret, nisi eos prius etiam Ecclesiae baptismo baptizasset.

Stephanus, eo quod agnoscat haereticos Sp. Sanctum dare non posse, convincitur eos nec baptizare in remissionem peccatorum.

Act. xix.

VII. Illud quoque absurdum, quod non putant quaerendum esse quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit gratiam consequi potuerit, invocata trinitate nominum Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Deinde, haec erit *sapientia* quam scribit Paulus esse *in his qui perfecti sunt*, ut qui est in Ecclesia perfectus et sapiens, hoc aut defendat, aut credat, quod invocatio haec nominum nuda sufficiat ad remissionem peccatorum, et baptismi sanctifica-

Non satis videtur in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti baptizare, si constet illis vocibus alios quam qui in Evangelio praedicantur designari.

1 Cor. ii. 6.

tionem. Quum haec tunc utique proficiant, quando et qui baptizat habet Spiritum Sanctum, et baptisma quoque ipsum non sit sine Spiritu constitutum. Sed dicunt eum qui quomodocunque foris baptizatur, mente et fide sua, baptismi gratiam consequi posse: quod et ipsum sine dubio ridiculum est, quasi de coelo adducere ad se possit aut mens prava justorum sanctificationem, aut fides falsa credentium veritatem. Non omnes autem qui nomen Christi invocant, audiri, et invocationem suam [*fors.* invocatione sua] consequi aliquid gratiae posse, Dominus ipse manifestat, dicens, *Multi venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus, et multos fallent:* nulla quippe differentia est inter pseudoprophetam et haereticum. Nam ut ille in nomine Dei aut Christi, ita iste in sacramento baptismi fallit. Mendacio uterque nititur ad decipiendas hominum voluntates.

Marc. xiii. 6.

Historia mulieris energumenae, Sacramenta administrantis.

VIII. Volo autem vobis et de historia [*fors. addend.* rei] quae apud nos facta est exponere, ad hoc ipsum pertinente. Ante viginti enim et duos fere annos, temporibus post Alexandrum Imperatorem, multae istic conflictationes et pressurae acciderunt, vel in commune omnibus hominibus, vel privatim Christianis; terrae etiam motus plurimi et frequentes exstiterunt, ut et per Cappadociam et per Pontum multa subruerent, quaedam etiam civitates in profundum receptae, dirupti soli hiatu devorarentur, ut ex hoc persecutio quoque gravis adversum nos Christiani nominis fieret. Quae post longam retro aetatis pacem repente oborta, de inopinato et insueto malo ad turbandum populum nostrum terribilior effecta est. Serenianus tunc fuit in nostra provincia praeses, acerbus et dirus persecutor. In hac autem

perturbatione constitutis fidelibus, et huc atque illuc persecutionis metu fugientibus, et patrias suas relinquentibus, atque in alias partes regionum transeuntibus (erat enim transeundi facultas, eo quod persecutio illa, non per totum mundum, sed localis fuisset), emersit istic subito quaedam mulier, quae in extasin constituta, propheten se praeferret, et quasi Sancto Spiritu plena sic ageret. Ita autem principalium daemoniorum impetu ferebatur, ut per longum tempus sollicitaret et deciperet fraternitatem, admirabilia quaedam et portentosa perficiens, et facere se terram moveri polliceretur. Non quod daemoni tanta esset potestas, ut terram movere aut elementum concutere vi sua valeret; sed quod nonnunquam spiritus nequam praesciens et intelligens terrae motum futurum, id se facturum esse simularet, quod futurum videret. Quibus mendaciis et jactationibus subegerat mentes singulorum, ut sibi obedirent, et quocunque praeciperet et duceret sequerentur, faceret quoque mulierem illam cruda hyeme nudis pedibus per asperas nives ire, nec vexari in aliquo aut laedi illa discursione; diceret etiam se in Judaeam et Hierosolymam festinare, fingens tanquam inde venisset. Hic et unum de Presbyteris rusticum, item et alium Diaconum fefellit, ut eidem mulieri commiscerentur, quod paulo post detectum est. Nam subito apparuit illi unus de exorcistis, vir probatus et circa religiosam disciplinam bene semper conversatus, qui exhortatione quoque fratrum plurimorum, qui et ipsi fortes ac laudabiles in fide aderant, excitatus, erexit se contra illum spiritum nequam revincendum [*fors.* ad revincendum]; qui subtili fallacia etiam hoc paulo ante praedixerat,

venturum quendam aversum et tentatorem infidelem. Tamen ille exorcista inspiratus Dei gratia fortiter restitit, et esse illum nequissimum spiritum qui prius sanctus putabatur ostendit. Atqui illa mulier, quae prius per praestigias et fallacias daemonis, multa ad deceptionem fidelium moliebatur, inter cetera quibus plurimos deceperat, etiam hoc frequenter ausa est, ut et invocatione non contemptibili sanctificare se panem et eucharistiam facere simularet, et sacrificium Domino non sine sacramento solitae praedicationis offerret; baptizaret quoque multos usitata et legitima verba interrogationis usurpans, ut nil discrepare ab ecclesiastica regula videretur. Quid igitur de hujus baptismo dicemus, quo nequissimus daemon per mulierem baptizavit? Nunquid et hoc Stephanus, et qui illi consentiunt comprobant? maxime cui nec symbolum Trinitatis, nec interrogatio legitima et ecclesiastica defuit? Potest credi aut remissio peccatorum data, aut lavacri salutaris regeneratio rite perfecta, ubi omnia quamvis ad imaginem veritatis, tamen per daemonem gesta sunt? nisi si et daemonem in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, gratiam baptismi dedisse contendunt, qui haereticorum baptisma defendunt. Apud quos sine dubio idem error est, daemonum fallacia ipsa est; quando apud illos omnino Spiritus Sanctus non est. Illud etiam quale est, quod vult Stephanus, his qui apud haereticos baptizantur, adesse praesentiam et sanctimoniam Christi? Nam si
Gal. iii. 27. non mentitur Apostolus, dicens, *Quotquot in Christo tincti estis, Christum induistis*, utique qui illic in Christo baptizatus est, induit Christum; si autem induit Christum, accipere potuit et Spiritum Sanctum

qui a Christo missus est, et frustra illi venienti ad accipiendum Spiritum manus imponitur; nisi si a Christo Spiritum induit, [*fors.* non ducit, *Vid. notam*,] ut apud haereticos sit quidem Christus, non sit autem illic Spiritus Sanctus.

Haeretici qui adulterant fidem, filios Deo generare non possunt.

IX. Decurramus vero breviter et cetera quae a vobis copiose et plenissime dicta sunt, festinante vel maxime ad vos Rogatiano, Diacono carissimo nostro. Sequitur enim illud, quod interrogandi sunt a nobis qui haereticos defendunt, utrum carnale sit eorum baptisma, an spiritale. Si enim carnale est, nihil differunt a Judaeorum baptismo, quo sic illi utuntur, ut eo tanquam communi et vulgari lavacro tantum sordes laventur. Sin autem spiritale est, quomodo apud illos esse baptisma spiritale potest, apud quos Spiritus Sanctus non est? Ac per hoc, aqua qua tinguntur lavacrum est illis carnale tantum, non baptismi sacramentum. Quod si baptisma haereticorum habere potest regenerationem secundae nativitatis, non haeretici, sed filii Dei computandi sunt, qui apud illos baptizantur. Secunda enim nativitas quae est in baptismo filios Dei generat. Si autem sponsa Christi una est, quae est Ecclesia catholica, ipsa est quae sola generat Dei filios. Neque enim multae sunt sponsae Christi, quum dicat Apostolus, *Despondi vos uni viro, virginem castam assignare Christo.* 2 Cor. xi. 2. Et, *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populi tui, quia desideravit Rex speciem tuam.* Ps. xlv. 10. Et, *Veni, sponsa, de Libano, advenies et pertransibis a principio fidei.* Cant. iv. 8. Et, *Ingressus sum in hortum meum, soror mea, sponsa.* Cant. v. 1. Videmus unam personam ubique proponi, quia et sponsa est una. Non est autem una nobiscum haereticorum syna-

goga, quia nec sponsa est, adultera et fornicaria; unde nec potest filios Dei parere. Nisi si, secundum quod Stephano videtur, haeresis quidem parit et exponit, expositos autem Ecclesia suscipit, et quos non ipsa pepererit pro suis nutrit, quum filiorum alienorum mater esse non possit. Et ideo Christus Dominus noster unam esse manifestans sponsam suam, et unitatis ejus sacramentum declarans, ait,

Luc. xi. 23. *Qui non est mecum, adversus me est, et qui non mecum colligit, spargit.* Si enim nobiscum est Christus, haeretici autem non sunt nobiscum, pro certo adversus Christum sunt haeretici; et si nos colligimus cum Christo, non colligunt autem nobiscum haeretici, sine dubio spargunt.

Ecclesia hortus conclusus, et arca extra quam non est salus. Cant. iv. 12.

XI. Sed nec illud praetereundum est a nobis, quod a vobis necessario dictum est, quod Ecclesia, secundum Canticum Canticorum, *hortus* sit *conclusus, et fons signatus, paradisus cum fructu pomorum.* Qui autem nunquam in hunc hortum introierunt, neque paradisum a Deo Creatore plantatum viderunt, quomodo de fonte, qui intus inclusus est et divino sigillo signatus est, aquam vivam lavacri salutaris praebere alicui poterunt? Quum vero et arca Noe nihil aliud fuerit quam sacramentum Ecclesiae Christi, quae tunc, omnibus foris pereuntibus, eos solos servavit qui intra arcam fuerunt, manifeste instruimur ad Ecclesiae unitatem perspiciendam, quemadmodum et Apostolus Petrus posuit, dicens,

1 Pet. iii. 21. *Sic et nos similiter salvos faciet baptisma*, ostendens, quoniam quomodo qui cum Noe in arca non fuerunt, non tantum purgati et salvati per aquam non sunt, sed statim diluvio illo perierunt, sic et nunc quicunque in Ecclesia cum Christo non sunt, foris

peribunt, nisi ad unicum et salutare Ecclesiae lavacrum per poenitentiam convertantur.

XII. Qualis vero error sit, et quanta sit caecitas ejus qui remissionem peccatorum dicit apud synagogas haereticorum dari posse, nec permanet in fundamento unius Ecclesiae, quae semel a Christo supra petram solidata est, hinc intelligi potest, quod soli Petro Christus dixerit, *Quaecunque ligaveris super terram, erunt ligata et in coelis; et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in coelis;* et iterum in Evangelio quando in solos Apostolos insufflavit Christus, dicens, *Accipite Spiritum Sanctum; si cujus remiseritis peccata, remittentur illi; et si cujus tenueritis, tenebuntur.* Potestas ergo peccatorum remittendorum Apostolis data est, et Ecclesiis quas illi a Christo missi constituerunt, et Episcopis qui eis ordinatione vicaria successerunt. Hostes autem unius catholicae Ecclesiae in qua nos sumus, et adversarii nostri qui Apostolis successimus, sacerdotia sibi illicita contra nos vindicantes, et altaria profana ponentes, quid aliud sunt quam Chore et Dathan et Abiron, pari scelere sacrilegi, et easdem quas et illi poenas daturi cum his qui sibi consentiunt? secundum quod etiam tunc illorum participes et fautores pari cum eis morte perierunt. Atque ego in hac parte juste indignor ad hanc tam apertam et manifestam Stephani stultitiam, quod qui sic de Episcopatus sui loco gloriatur et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiae collocata sunt, multas alias petras inducat, et Ecclesiarum multarum nova aedificia constituat, dum esse illic baptisma sua auctoritate defendit. Nam qui baptizantur, complent sine dubio

Ecclesia super petram solidata, in symbolum unitatis Petro commendata.

Matt. xvi. 19.

Jo. xx. 22.

Ecclesiae numerum. Qui autem baptisma eorum probat, de baptizatis et Ecclesiam illic esse confirmat. Nec intelligit obfuscari a se et quodam modo aboleri Christianae petrae veritatem, qui sic prodit et deserit unitatem. Judaeos tamen, quamvis ignorantia caecos et gravissimo facinore constrictos, zelum Dei Apostolus habere confitetur: Stephanus, qui per successionem cathedram Petri habere se praedicat, nullo adversus haereticos zelo excitatur, concedens illis non modicam sed maximam gratiae potestatem, ut dicat eos et asseveret per baptismi sacramentum sordes veteris hominis abluere, antiqua mortis peccata donare, regeneratione coelesti filios Dei facere, ad aeternam vitam divini lavacri sanctificatione reparare. Qui sic magna et coelestia Ecclesiae munera haereticis concedit et tribuit, quid aliud agit quam communicat eis, quibus tantum gratiae defendit ac vindicat? Et frustra jam dubitat in ceteris quoque consentire eis et particeps esse, ut et simul cum eis conveniat, et orationes pariter cum eisdem misceat, et altare ac sacrificium commune constituat. Sed in multum, inquit, proficit nomen Christi ad fidem et baptismi sanctificationem, ut quicunque et ubicunque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi. Quando huic loco breviter occurri possit et dici, quoniam si in nomine Christi valuit foris baptisma ad hominem purgandum, in ejusdem Christi nomine valere illic potuit et manus impositio ad accipiendum Spiritum Sanctum. Et incipient cetera quoque quae apud haereticos aguntur justa et legitima videri, quando in nomine Christi gerantur, secundum quod vos in epistola vestra exsecuti estis, non nisi in Ecclesia

sola valere posse nomen Christi, cui uni concesserit Christus coelestis gratiae potestatem.

XIII. Quod autem pertinet ad consuetudinem refutandam, quam videntur opponere veritati, quis tam vanus sit ut veritati consuetudinem praeferat? aut, qui perspecta luce tenebras non derelinquat? Nisi si et Judaeos Christo adventante, id est, veritate, adjuvat in aliquo antiquissima consuetudo, quod relicta [*fors.* rejecta] nova veritatis via in vetustate permanserint. Quod quidem adversus Stephanum vos dicere Afri potestis, cognita veritate errorem vos consuetudinis reliquisse. Ceterum nos veritati et consuetudinem jungimus, et consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veritatis, opponimus, ab initio hoc tenentes quod a Christo et ab Apostolis traditum est. Nec meminimus hoc apud nos aliquando coepisse, quum semper istic observatum sit, ut non nisi unam Dei Ecclesiam nossemus, et sanctum baptisma non nisi sanctae Ecclesiae computaremus. Plane quoniam quidam de eorum baptismo dubitabant, qui et si novos prophetas recipiunt, eosdem tamen Patrem et Filium nosse nobiscum videntur, plurimi simul convenientes in Iconio diligentissime tractavimus, et confirmavimus repudiandum esse omne omnino baptisma, quod sit extra Ecclesiam constitutum.

Veritas consuetudini praeferenda.

XIV. Ad illud autem quod pro haereticis ponunt, et aiunt Apostolum dixisse, *Sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuncietur*, ut respondeamus, ineptum est; quando manifestum sit, Apostolum in epistola sua qua hoc dixit, neque haereticorum, neque baptismi eorum mentionem fecisse, sed locutum esse de fratribus tantum, sive perfide

Apostoli verba, Phil. i. 18, elucidantur.

secum loquentibus, sive in fide sincera perseverantibus. Nec oporteat hoc longo tractatu excutere, sed ipsam satis sit epistolam legere, et quid Apostolus dixerit, de ipso Apostolo recognoscere. Quid ergo, inquiunt, fiet de his qui ab haereticis venientes sine Ecclesiae baptismo admissi sunt? Si de saeculo excesserunt, in eorum numero qui apud nos catechizati quidem sunt, sed priusquam baptizarentur obierunt, habentur. Non modo dicunt [*fors.* Non modicum, *Vid. notam*] emolumentum veritatis et fidei, ad quam relicto errore pervenerant, etsi consummationem gratiae consecuti non sunt, morte praeventi. Qui autem adhuc in saeculo permanent, baptizentur Ecclesiae baptismo, ut remissionem peccatorum consequi possint, ne per alienam praesumptionem in pristino errore manentes, sine gratiae consummatione moriantur.

Baptisma temere admissum temerariam Eucharistiae participationem post se trahit. 1 Cor. xi. 27.

XV. Ceterum quale delictum est, vel illorum qui admittunt, vel eorum qui admittuntur, ut non ablutis per Ecclesiae lavacrum sordibus, nec peccatis expositis, usurpata temere communicatione contingant corpus et sanguinem Domini, quum scriptum sit, *Quicunque ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini?* Nos etiam illos quos hi qui prius in Ecclesia catholica Episcopi fuerant, et postmodum sibi potestatem clericae ordinationis assumentes baptizaverant, pro non baptizatis habendos judicavimus. Et hoc apud nos observatur, ut quicunque ab illis tincti ad nos veniunt, tanquam alieni et nihil consecuti, unico et vero Ecclesiae catholicae baptismo apud nos baptizentur, et lavacri vitalis regenerationem consequantur. Et tamen multum interest inter eum

qui invitus et necessitate persecutionis coactus succubuit, et illum qui sacrilega voluntate audax contra Ecclesiam rebellat, vel in Patrem et Deum Christi, et totius mundi conditorem, impia voce blasphemat. Et non pudet Stephanum hoc asserere, ut per eos qui ipsi in omnibus peccatis sint constituti, dicat posse remissionem peccatorum dari? Quasi possit esse in domo mortis lavacrum salutis. Ubi ergo erit quod scriptum est, *Ab aqua* Prov.ix.19. *aliena abstine te, et a fonte alieno ne biberis*, si, relicto Ecclesiae fonte signato, alienam aquam pro tua suscipis, et profanis fontibus Ecclesiam polluis? Quando enim baptismo haereticorum communicas, quid aliud quam de voragine et coeno illorum bibis, et ipse Ecclesiae sanctificatione purgatus alienarum sordium contactibus inquinaris? Nec metuis judicium Dei haereticis testimonium contra Ecclesiam perhibens, quum scriptum sit, *Falsus testis non erit* Prov.xix.5. *impunitus?*

XVI. Quin immo tu haereticis omnibus pejor es, nam quum inde multi cognito errore suo ad te veniant, ut Ecclesiae verum lumen accipiant, tu venientium errores adjuvas, et obscurato lumine ecclesiasticae veritatis, tenebras haereticae noctis accumulas. Quumque se illi in peccatis esse, et nihil gratiae habere se, ac propterea ad Ecclesiam venire fateantur, tu eis remissionem peccatorum subtrahis quae in baptismo datur, dum dicis eos jam baptizatos, et extra Ecclesiam Ecclesiae gratiam consecutos; nec intelligis animas eorum de manu tua exquiri, quum judicii dies venerit, qui sitientibus Ecclesiae potum negasti, et volentibus vivere causa mortis fuisti. Et insuper indignaris.

Qui haereticorum baptisma pro rato habet, illos a poenitentia avertit.

Quod rationum momentis deest, ira et furore solet suppleri.

XVII. Vide qua imperitia reprehendere audeas eos, qui contra mendacium pro veritate nituntur. Quis enim justius indignari contra alterum debuit? Utrumne qui hostes Dei asserit, an vero qui adversus eum qui hostes Dei asserit pro Ecclesiae veritate consentit [*fors.* contendit]? Nisi quod imperitos etiam animosos atque iracundos esse manifestum est, dum per inopiam consilii et sermonis ad iracundiam facile vertuntur, ut de nullo alio magis quam de te dicat Scriptura divina, *Homo animosus parat lites, et vir iracundus exaggerat peccata.* Lites enim et dissentiones quantas parasti per Ecclesias totius mundi! Peccatum vero quam magnum tibi exaggerasti, quando te a tot gregibus scidisti! Excidisti enim teipsum: noli te fallere.

Prov. xxix. 22.

Ille maxime schismaticus qui alios immerito tanquam schismaticos abstinet.

XVIII. Siquidem ille est vere schismaticus, qui se a communione ecclesiasticae unitatis apostatam fecerit. Dum enim putas omnes a te abstineri posse, solum te ab omnibus abstinuisti. Nec te informare ad regulam veritatis et pacis vel Apostoli praecepta potuerunt, monentis et dicentis: *Obsecro ergo vos ego vinctus in Domino, digne ambulare vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate sensus et lenitate, cum patientia sustinentes invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem Spiritus in conjunctione pacis. Unum corpus, et unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium, qui super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.* Haec Apostoli mandata et monita salutaria, quam diligenter Stephanus implevit, humilitatem sensus et lenitatem primo in loco servans! Quid enim humilius aut lenius quam cum tot Episcopis

Eph. iv. 1.

per totum mundum dissensisse; pacem cum singulis vario discordiae genere rumpentem, modo cum orientalibus, quod nec vos latere confidimus, modo vobiscum, qui in meridie estis? A quibus legatos Episcopos patienter satis et leniter suscepit, ut eos nec ad sermonem saltem colloquii communis admitteret, adhuc insuper dilectionis et caritatis memor, praeciperet fraternitati universae, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solum pax et communio, sed et tectum et hospitium negaretur. Hoc est servasse unitatem Spiritus in conjunctione pacis, abscindere se a caritatis unitate, et alienum se per omnia fratribus facere, et contra sacramentum et fidem contumacis furore discordiae rebellare. Apud talem potest esse unum corpus et unus Spiritus, apud quem fortasse ipsa anima una non est, sic lubrica et mobilis et incerta? Sed quantum ad illum pertinet, relinquamus.

XIX. Excutiamus potius id de quo maxima quaestio est. Qui contendunt ab haereticis baptizatos sic recipi oportere tanquam legitimi baptismi gratiam consecutos, unum nobis atque illis baptisma dicunt esse, et in nullo discrepare. Sed quid ait Apostolus Paulus? *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus.* Si unum atque idem est cum nostro baptisma haereticorum, sine dubio et fides una est; si autem fides una est, utique et Dominus unus est; si Dominus unus est, consequens est dicere, quia [*fors. addend.* Deus, *Vid. not.*] unus est. Si autem haec unitas, quae separari omnino et dividi non potest, etiam apud haereticos ipsa est, quid ultra contendimus? ut [*fors.* aut] quid illos haereticos, et non Christianos vocamus? Porro quum

Occurritur objectioni quod, quum unum ubique sit baptisma, pariter ubique ratum esse debet. Eph. iv. 5.

nobis et haereticis nec Deus unus sit, nec Dominus unus, nec una Ecclesia, nec Fides una, sed nec unus Spiritus, aut Corpus unum, manifestum est nec Baptisma nobis et haereticis commune esse posse, quibus nihil est omnino commune. Et tamen non pudet Stephanum talibus adversus Ecclesiam patrocinium praestare, et propter haereticos asserendos fraternitatem scindere; insuper et Cyprianum pseudochristum, et pseudoapostolum, et dolosum operarium dicere. Quae omnia in se esse conscius praevenit, ut alteri ea per mendacium objiceret, quae ipse ex merito audire deberet. Bene te valere omnibus nobis cum [*fors.* vobiscum,] universis qui in Africa sunt Episcopis, et cunctis clericis, et omni fraternitate universi optamus, ut perpetuo unanimes et unum sentientes habeamus nobiscum etiam de longinquo adunatos.

Matt. xxiv. 24.

2 Cor. xi. 13.

Exstat haec Epistola apud S. Cyprianum, edit. Benedictin. Paris. 1726. p. 142.

IN

FIRMILIANI

EPISCOPI CAESAREAE CAPPADOCUM

AD S. CYPRIANUM EPISTOLAM

ANNOTATIONES.

P. 231. l. 1. FIRMILIANI] Eusebius, Hist. Eccl. lib. VI, cap. 26, *Διέπρεπε ἐν τούτῳ* [tempore Imp. Alexandri Severi] *Φιρμιλιανὸς Καισαρείας τῆς Καππαδοκῶν Ἐπίσκοπος.* Ubi haec annotavit Henricus Valesius, 'Vir doctissimus et inter scriptores ecclesiasticos celebris fuit Firmilianus. Hujus testimonio utitur Basilius in libro de Spiritu Sancto. *Ταύτην καὶ Φιρμιλιανῷ τῷ ἡμετέρῳ μαρτυροῦσι τὴν πίστιν οἱ λόγοι οὓς κατέλιπε.* Ejusdem meminit in Epistola Canonica ad Amphilochium. Hodie unica superest Firmiliani Epistola ad Cyprianum. Mirum est tamen nec ab Hieronymo nec a Bellarmino inter scriptores ecclesiasticos eum recenseri. Ac de Bellarmino facile est conjicere quam ob causam illum praetermiserit. Ideo scilicet quod Stephanum Papam acerbius perstrinxisset.' Haec Valesius. Primum inter Praesules nominat Firmilianum Eusebius, qui Concilio Antiocheno adversus Paulum Samosatenum habito interfuerunt. Et ipsa quoque Synodus in epistola sua synodica Firmilianum jam mortuum cum laude commemorat. Magno porro hoc praeconio eum ornavit Theodoretus: *Καὶ Φιρμιλιανὸς ὁ Καισαρέων τῆς Καππαδοκίας Ἐπίσκοπος περιφανὴς ἀνὴρ, καὶ γνῶσιν ἑκατέραν ἔχων καὶ τὴν θύραθεν καὶ τὴν θείαν.* Haeret. Fab. IV, 8. Et referente Cavio in Hist. Lit vol. I, voce *Magnes*, p. 135, *Φιρμιλιανὸς ὁ θαυμάσιος* appellatur a Germano Patriarcha CP. in Dogmatico ad Anthimum MS. apud Galeum, ubi patres Synodi Antiochenae recenset. Is denique in Menologio Graecorum una cum Malchione presbytero Antiocheno die 28 Octobris commemoratur. Firmiliano quidem attribuit Moses Chorenensis in

Historia Armeniaca, quam ediderunt cum interpretatione Latina Guil. et Georg. Whistonii, librum de Ecclesiae Persecutionibus; an vero opus tale quid ille composuerit, dubium videri possit annotationes legenti ad Aristonem Pellaeum in Reliquiis Sacris, vol. I, p. 101.

P. 231. l. 4. Ad Cyprianum Epistolam] Hanc epistolam, quam primus protulit Morellius, habebant etiam ii qui Romae praefuerunt editioni operum Sancti Cypriani in officina Pauli Manutii. Illi autem, ut ait Latinus Latinius, non probaverunt uti e tenebris proferretur; hujusque consilii auctorem se et suasorem fuisse ipse testatur ingenue, quum majorum exempla secutum, tum hominis, id est, Firmiliani, cujus ea Epistola est, petulantiam detestatum. Postea Pamelius, qui illam repererat in sex antiquis Codicibus, eam recudit, innuens tamen, quo erat in rempublicam Christianam et ecclesiasticam affectu, se illam omissurum fuisse, quod paulo vehementius et acerbius quam Episcopum deceat scripta sit, nisi jam a Morellio fuisset edita. Scilicet Romanos et Pamelium commoverunt liber Firmiliani stylus et excandescentia adversus Papam Stephanum diverse ab eo sentientem. At si attente considerassent quanti et quam vehementes soleant esse affectus quum agitur de causa religionis et fidei, considerassent etiam quam vehemens et acerbus fuerat Stephanus scribens adversus Cyprianum, profecto hanc excandescentiam condonassent Firmiliano, neque propterea tenebris damnandum esse putassent illustre hoc antiquitatis ecclesiasticae monumentum, in quo sane bene multa sunt magni momenti quibus hodie careremus cum grandi rerum nostrarum dispendio, ut in simili argumento censuit Sirmondus, edens in lucem libellum precum Marcellini et Faustini adversus Papam Damasum. Neque illa Romanorum aut Pamelii cura impedivisset in hac luce litterarum quin Epistola illa prodiret in publicum. Quum enim certum sit illam ex veteri libro editam fuisse a Morellio, exstiterit etiam in sex Codicibus Pamelio visis, in iis in quibus inventa est a Latinio, in septem quibus usi sunt Angli in sua editione, in decem cum quibus ego contuli opera Sancti Cypriani, manifestum est illam non potuisse semper latere, etiamsi Morellius non edidisset. Codices autem, cum quibus illam contuli, sunt unus Remigianus, duo Compendienses, duo Victorini, unus Pithoeanus, unus monasterii Beccensis, Laetiensis, Bigotianus, et unus meus. Assentior autem Pamelio et Rigaltio existimantibus illam Graece scriptam fuisse a Firmiliano, versam autem Latine a Sancto Cypriano. Epistola ergo Firmiliani inventa est in viginti

sex Codicibus manuscriptis. STEPH. BALUZIUS. Scripsisse eam Firmilianum anno 256, ingravescente tempore hiberno, ostendit Pearsonius in Annal. Cyprianicis ad ann. 256, sect. x. Obiit anno 272. Litem autem Stephanum inter et Ecclesias orientales exortam de haereticis rebaptizandis memoravit in epistola ad Xystum Romanum S. Dionysius Alexandrinus his verbis, Ἐπέσταλκεν μὲν οὖν [Stephanus] *πρότερον καὶ περὶ Ἑλένου καὶ περὶ Φιρμιλιανοῦ καὶ πάντων τῶν τε ἀπὸ τῆς Κιλικίας καὶ Καππαδοκίας καὶ Γαλατίας, καὶ πάντων τῶν ἐξῆς ὁμορούντων ἐθνῶν· ὡς οὐδὲ ἐκείνοις κοινωνήσων, διὰ τὴν αὐτὴν ταύτην αἰτίαν, ἐπειδὴ τοὺς αἱρετίκους, φησὶν, ἀναβαπτίζουσι.* apud Eusebium Hist. Eccl. vii, 5. Porro unus de Firmiliani successoribus in Caesariensi sede S. Basilius M. hujus atque Cypriani de rebaptizandis haereticis sententiam commemoravit in Epistola sua Canonica ad Amphilochium in Beveregii Synodico posita. Quid, quod Cypriani et quorundam orientalium litteras, quae apud haereticos et schismaticos datum baptismum improbant, suo superesse tempore significat S. Augustinus? Vid. Lib. ejus III contra Cresconium, cap. 1, et Librum ejus contra Petilianum, cap. 14. Plura autem contra adversarios Epistolae, quae in editionem Conciliorum Florentinam nunc demum recepta est, infra annotabimus.

P. 231. l. 12. in una atque in eadem domo] Vulgo *ipsa* pro *una*, quod mutavi, fide nixus Codicis Simonis Goulartii, qui Cyprianum edidit anno 1593, idemque faciendum suasit. Graeca fuerant, *ἐν ἑνὶ καὶ ἐν τῷ αὐτῷ οἴκῳ*. Conf. infra, §. 2 init. et S. Irenaeum, I, x, 2.

Ibid. l. 20. magnam voluntatis caritatem, in unum convenire] Haec verba mendo non carere videntur. Quid si pro isto *voluntatis caritatem*, reponamus *voluntatis alacritatem?* Exstat apud Apostolum, in Epist. ejus posteriore ad Corinthios, *ἡ προθυμία τοῦ θέλειν*, vii. 11; et in Glossariis Vett. habes Ἡ *προθυμία, alacritas.*

P. 232. l. 6. quasi non tantum unum &c.] Afferenda sunt, quae de hoc loco scripsit vir eruditus Prudentius Maranus in Vita S. Cypriani editioni Baluzianae, seu Benedictinae, praemissa. ‘ Haec Firmiliani Epistola quae Latine ‘ reddita exstat inter Cyprianicas septuagesima quinta, sic ‘ Cypriani stilum redolet, ut non alium interpretem habuisse ‘ videatur. Fidus interpres Graecae linguae ingenium nonnullis in locis retinuit. Paulo post initium, *Contristantur* ‘ [Angeli] *quando vident diversas quorundam mentes et* ‘ *scissas voluntates, quasi non tantum unum et eundem* ‘ *Deum simul invocent, sed separatis et divisis ab invicem* ‘ *nec confabulatio jam possit esse, aut sermo communis:* id

‘ est, quasi non tantum unum et eundem Deum simul non ‘ invocent; quae postrema negatio nonnunquam omittitur ‘ apud Latinos, sed saepius apud Graecos.’ §. xxxi, p. cxviii. Tum pergit vir cl. ad alios locos similes indicandos, de quibus ordine suo posthac.

P. 232. l. 27. Invenimus in fratribus nostris tam longe positis] Sententiae Cypriani super haereticorum baptismo favebant non solum per Africam, Numidiam, et Mauritaniam Ecclesiae quamplurimae, verum etiam omnes fere quae in Oriente magno numero Christianam pietatem profitebantur. In iis autem Episcopi nobilium civitatum celeberrimi nominatim indicati Epistola ad Stephanum, quae prima est de septem illis Dionysii Alexandrini περὶ Βαπτίσματος ab Eusebio memoratis. Et in ea quidem Epistola magnus ille Dionysius Stephanum certiorem faciebat, sedatos esse motus quos in Oriente Novatiani concitaverant, itaque omnes Ecclesias in eo consentire, ut lapsis poenitentia daretur; verum adjecerat aliquid de poenitentibus, qui ab haereticis redirent, baptizandis, quod praetermisit Eusebius; unde Baronius [hic addendus est Pamelius Baronium secutus in notis ad Cyprianum,] occasionem sumpsit affirmandi pro certo, sic omnes illas Ecclesias acquievisse Stephano, ut in ejus decretum, de non baptizandis haereticis, abdicata Cypriani sententia convenirent; quod adeo non est ab Dionysio traditum, ut defuncto postmodum Stephano idem ille Dionysius Xystum Stephani successorem per alteram Epistolam diligenter ac serio monuerit, consideraret attentius quaestionis pondus et caussae difficultatem: Stephanum quidem Heleno et Firmiliano, caeterisque per Ciliciam et Cappadociam et finitimas Ecclesias Episcopis nunciasse per litteras, minime communicaturum se cum iis, eo quod haereticos rebaptizarent. Verumtamen esse magni momenti negotium, ὄντως γὰρ δόγματα περὶ τούτου γέγονεν ἐν ταῖς μείζοσιν τῶν Ἐπισκόπων Συνόδοις, ὡς πυνθάνομαι, ὥστε τοὺς προσίοντας ἀπὸ αἱρέσεων, προκατηχηθέντας, εἶτα ἀπολούεσθαι καὶ ἀποκαθαίρεσθαι τὸν τῆς παλαιᾶς καὶ ἀκαθάρτου ζύμης ῥύπον. Pergit Dionysius, aitque, hoc se ab Antiochiae, Caesareae, Aeliae, Tyri, Laodiceae, Tarsi Episcopis rogatum scribere Xysto, quin et compresbyteris suis Dionysio et Philemoni, qui fuerant ejusdem cum Stephano sententiae, scripsisse hac de re plenius et uberius. RIGALTIUS.

P. 233. l. 24. mandamus] Hoc pro praeterito *mandavimus* ex quinque Codd. scriptis posui, e quibus tres in edit. Oxon. memorantur, quartus Bodleianus, quintus Novi Collegii est.

P. 234. l. 21. postea exstitisse] Verum hoc est, si modo

sermo sit de haereticis illis, quorum causa tunc temporis agebatur, quosque hic nominat Firmilianus, maxime quidem tempore ejus vigentibus; sed aeque verum est, haereses haud minus pestiferas in apostolico aevo exstitisse. Dignus autem est, qui de hac re conferatur Tertullianus supra in lib. de Praescript. Haeret. capp. 33 et 34.

P. 234. l. 26. Sed et Valentini et Basilidis tempus &c.] Variae sunt opiniones virorum doctorum de tempore quo Basilides dogma suum disseminavit. Qua de controversia vide quae docte et erudite scripsit amicus olim noster Joannes Baptista Cotelerius in epistolam Ignatii ad Trallianos, ubi tempus Basilidis revocat ad imperium Adriani. Vide etiam viri doctissimi Renati Massueti observationes ad Irenaeum, pag. 59, §. 112. Ineptos Basilidis errores, quos portenta vocat, graviter exagitat Hieronymus in epitaphio Lucinii Baetici et in libro adversus Vigilantium. Illum idem Hieronymus, lib. II adversus Jovinianum, vocat magistrum luxuriae et turpissimorum complexuum, et in epistola ad Ctesiphontem adversus Pelagianos commemorat impietatem Basilidis. BALUZ. Videsis quae de his Firmiliani verbis ad Hegesippi Fragmenta apud Reliquias Sacr. I. pp. 258, 259, annotavi. De iisdem notabilia habet Pearsonius Vindic. Ignat. vol. II. cap. 7, p. 87.

P. 235. l. 13. locorum et nominum diversitate] Quamvis haec lectio constans sit in omnibus antiquis exemplaribus, puto tamen legendum esse *hominum*. BALUZ.

Ibid. l. 14. nec tamen propter hoc ab Ecclesiae catholicae pace atque unitate aliquando discessum est] Ait cl. Coustantius, Firmiliani verba afferens in nota ad S. Irenaei Epistolam ad Romanum Episcopum Victorem, qui Asianos Pascham die 14 mensis celebrantes ab Ecclesia separare conatus fuerat, ‘ Celeritas, quippe qua, ut credere est, pax ‘ ad modicum interturbata, in integrum restituta est, uni- ‘ tatis ruptae oblivionem ita peperit, ut ab ea aliquando ‘ discessum esse Cypriani aetate ne recoleretur quidem.’ Rom. Pontif. Epistolae, p. 99. Quinetiam testatus est Anatolius Laodicenus, is qui ante Concilium floruit Nicaenum, contentionem istam de Paschate exortam ab Irenaeo pacatam esse, ‘ utrisque partibus,’ inquit, ‘ in sua regula perseve- ‘ rantibus, nec a coepto antiquitatis more declinantibus.’ Vide Anatolii locum ibidem adductum.

Ibid. l. 29. ‘ alterutrum ad se venientes] Ad Cypriani Epistolam ad Pompeium, ubi Stephani verba adhuc plenius afferuntur, hoc annotavit Rigaltius, ‘ Rectissima est haec ‘ scriptura. Hoc est, neque venientem a Marcione baptizat

' Montanus, neque venientem a Montano baptizat Marcion. ' Non rebaptizant alterutrum ad se venientes.'

P. 236. l. 15. nec [Spiritum Sanctum]] Certum est haec duo vocabula non exstare in libris nostris nec in quatuor Anglicanis. Ita etiam de uno suo testatur Pamelius, qui tamen illa addidit ex Codice edito, in cujus marginibus Joannes Cauchius Ultrajectinus apposuerat castigationes ex variis Codicibus manuscriptis. Remanet tamen adhuc dubium an haec duo vocabula addita fuerint ex libro veteri, an vero ex conjectura Cauchii tantum. Nam quia in veteribus libris post vocem *Filium* additur *nec*, ita ut videantur aliqua deesse, conjecerat Pamelius addenda esse duo illa vocabula, et addidit, videns conjecturam suam confirmatam auctoritate libri Cauchiani. In Codice porro Cauchii annotatas fuisse non solum varias lectiones veterum librorum, sed etiam conjecturas ejus, monet ipse Pamelius in annotationibus suis. Itaque nos haec duo vocabula, quae posita sunt sine auctoritate, ex conjectura tantum, uncis conclusimus. BALUZ. Indicant quidem Var. Lectt. apud edit. Oxon. collectae tria verba *nec Spiritum Sanctum* in quatuor illis libris Anglicis deesse; sed revera in duobus ex illis, hi sunt Bodleianus et Novi Collegii Codex, apparet *nec* post vocem *Filium* cum sequentibus conjunctum. In altero autem Epistolarum Cypriani Codice, qui penes est idem Collegium, haud exstat Firmiliani Epistola.

P. 236. l. 25. ubi praesident majores natu] Graece, ὅπου προκάθηνται οἱ Πρεσβύτεροι. Sic et jam supra Firmilianus, *Mos apud nos fuit*, inquit, *ut per singulos annos Seniores* [οἱ Πρεσβύτεροι] *et praepositi in unum conveniamus.* §. iii, p. 224. Utroque loco designantur, ni fallor, superioris ordinis, seu qui praesident, Presbyteri. Praesidentem nominat Episcopum Tertullianus in lib. de Pudicitia, cap. 14, et illo quidem Presbyterorum nomine Episcopi a veteribus interdum appellantur: raro vicissim, idque accommodatione tantum ad Vet. Test. locum, Episcoporum titulo donantur Presbyteri. Confer. Annotatt. ad Concil. contra Noetum, vol. IV. Reliquiar. Sacr. p. 247, ubi tamen minus recte dubitasse me fateor, utrum plures Episcopi in unum, sive in provinciali Concilio, collecti, Presbyteri tertio saeculo Ecclesiae nominarentur. Porro apud Episcopum sitam esse potestatem ritus omnes administrandi, baptizandi, offerendi, manum imponendi, ordinandi, credebant antiqui; sed et Presbyteris licere, ut muniti auctoritate Episcopi baptizarent atque offerrent. ' Dandi quidem [baptismum] habet jus summus sacerdos, qui est Episcopus. Dehinc Presbyteri et Diaconi, non tamen sine Episcopi

'auctoritate propter Ecclesiae honorem. Quo salvo, salva 'pax est. Alioquin etiam laicis jus est, &c.' Haec Tertullianus in lib. de Baptismo, c. 17, haud finito saeculo Ecclesiae secundo docuit. Ad solos vero Episcopos ordinandi jus pertinere, consentit cum Hieronymo universa antiquitas. Adde quod idem hic Firmilianus, qui Episcoporum ordinem *Presbyterorum* nomine his locis appellavit, singulos Episcopos, Presbyteros, Diaconos, alibi in Epistola sua titulis suis distinxit. Porro ait infra, §. 12, Episcopos ordinatione vicaria successisse Apostolis.

P. 236. l. 29. nec spiritaliter gerere] Edit. princeps praestat *aut* pro *nec*, firmantibus illud MSto Novi Collegii ac Bodleiano; quin et fortasse revocandum.

Ibid. l. 31. in Iconio] Dionysius Alexandrinus hoc Iconiense idque in Synnada Concilium sanxisse rursus tingendos esse haereticos, in tertia Epistola ad Philemonem Romanum commemorat. Verba ejus, apud Eusebium H. E. vii, 7, haec sunt: Μεμάθηκα καὶ τοῦτο, ὅτι μὴ νῦν οἱ ἐν Ἀφρικῇ μόνον τοῦτο παρεισήγαγον, ἀλλὰ καὶ πρὸ πολλοῦ κατὰ τοὺς πρὸ ἡμῶν Ἐπισκόπους ἐν ταῖς πολυανθρωποτάταις Ἐκκλησίαις καὶ ταῖς Συνόδοις τῶν ἀδελφῶν, ἐν Ἰκονίῳ καὶ Συννάδοις καὶ παρὰ πολλοῖς τοῦτο ἔδοξεν· ὧν &c. Apud Iconium autem maxime ob Montanistarum Baptismum motam esse quaestionem istam, constat ex Firmiliani verbis infra in cap. 13.

P. 237. l. 18. quibus nunc] *de quibus nunc.* Praepositio deest in omnibus exemplaribus antiquis et in editione Morelliana. Illam Pamelius adjecit ex conjectura, quia existimabat sensum absque ea non posse constare. BALUZIUS, qui praepositionem delevit. Ait Prudentius Maranus in Vita S. Cypriani editioni Baluzianae praemissa, §. xxxi, p. cxviii, '*Nisi si his Episcopis quibus nunc minor fuit Paulus:* le-'gendum putavit Pamelius *de quibus nunc*, sed manifestus est 'Hellenismus, τούτοις Ἐπισκόποις τοῖς νῦν, *his Episcopis nunc* '*existentibus.*' Haec ille, quae quidem haud prohibent, ne sentiam reponendum esse *qui sunt nunc*, pro isto *quibus nunc*, quum absit praepositio *de* ante *quibus* a Codd. scriptis, quod sciam, omnibus.

Ibid. l. 30. ut qui est in Ecclesia perfectus et sapiens, hoc aut defendat, aut credat] *At quis est in Ecclesia perfectus et sapiens, qui hoc aut defendat aut credat?* Ita emendavit Pamelius ex libro Cauchii. Nam in editione Morelliana, quae prima est, legitur, *perfecti sunt, ut qui est in Ecclesia perfectus et sapiens. Hoc autem defendat et credat* &c. In tribus antiquis Codicibus scriptum est *perfecti sunt, ut qui est in Ecclesia perfectus et sapiens hoc autem defendat.*

Sic etiam alii libri veteres, nisi quod pro *et sapiens* habent *aut sapiens*. BALUZ. Optime Novi Collegii Codex, *ut qui est in ecclesia perfectus et sapiens hoc aut defendat aut credat*. In tribus quoque Codd. scriptis in edit. Oxon. nominatis, *qui* pro *quis* legitur, et *qui* ante *hoc* abest. Quapropter posthabita Pamelii lectione, quae fortasse ex Cauchii conjectura tantum orta est, Morellianam istam revocavi, posito tamen ex fide Codicis Novi Collegii *aut* pro *autem* ante verbum *defendat*. Ceterum paulo ante pro *poterit*, priorem lectionem, *potuerit* revocavi.

P. 238. l. 10. invocationem suam] Rectius foret *invocatione sua*.

Ibid. l. 18. de historia quae apud nos facta est] Excidisse vox *rei* post *historia* videtur. *Est* nescit Novi Coll. MS.

Ibid. l. 21. Alexandrum Imperatorem] Qui periit an. 235.

Ibid. l. 27. ut ex hoc persecutio quoque gravis &c.] Quasi irati Dii mala haec orbi invexissent propter Christianos.

P. 239. l. 24. unum de Presbyteris rusticum] Sic edidit in hujus Epistolae edit. principe Morellius, tanquam si *rusticus* nomen appellativum fuerit; sed quasi nomen proprium, Pamelius et Rigaltius. Aliter Fellus. Dubitat Baluzius. Fortasse significat hoc loco vox *rusticus*, non agrestem ut opinatur Fellus, sed ruralem, *ἐπιχώριον*. *Ἐπιχώριοι Πρεσβύτεροι*, *Presbyteri ruris*, in Canone decimo tertio Concilii Neocaesareae memorantur. Sed Graece scripsisse Firmilianus *ἀγροικικὸν* videtur, quum in decimo septimo Chalcedonensi *ἀγροικικὰς παροικίας ἢ ἐγχωρίους* habeas.

Ibid. l. 32. revincendum] An *ad* revincendum?

P. 240. l. 10. non sine sacramento solitae praedicationis] Hanc esse veram lectionem [nam omissa est particula *non* in MStis et editt. omnibus praeter illam ab ipso Fello adornatam] ex contextu satis est manifestum; subjungitur enim, *baptizaret quoque multos, usitata et legitima verba interrogationis usurpans, ut nil discrepare ab ecclesiastica regula videretur*. Et quidem vis argumenti periret, si verba solennia, Eucharistiae administrationi praestituta, non fuissent retenta. Praedicatio solita videtur ista *ἀνάμνησις*, quam Dominus fieri mandabat, et de qua D. Paulus, 1 Cor. ii, 26, *καταγγέλλετε τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου*. De הגדה paschali supra in Epist. ad Caecil. dictum. Rem hanc exsequi videtur Justinus Martyr Apol. 2. [1.] ubi dicit, *προσφέρεσθαι τῷ προεστῶτι τὸν ἄρτὸν καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος, καὶ οὗτος λαβὼν αἶνον καὶ δόξαν τῷ Πατρὶ τῶν ὅλων διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου ἀνα-*

πέμπει &c. Rigaltius ait, legendum videtur, *sive sacramentum solitae precationis offerret. Sacramentum precationis* dicit, quemadmodum Tertullianus, *sacramentum orationis.* FELLUS. Eruditissimum hunc virum sequi par fuit, cui et in hac re obtemperavit Tillemontius, Mem. Eccl. in Vita Firmiliani, tom. IV, p. 129, ed. Bruxel. Particulam igitur negativam, quae in textu Baluziano perperam omissa est, verbis praemisi, quum in voce antecedente *Domino* olim absorpta fuisse eadem videretur. Verumtamen cl. Marano in Vit. sua Cypriani ex imitatione Graecorum orta locutio videtur. Is ibidem opponens se Rigaltio, qui pro vocibus, *sine sacramento solitae praedicationis*, voluerat ponere *sive sacramentum solitae precationis*, ex Basilio M. monere pergit, ' Preces in sacrificio fieri solitae vocantur ' apud Basil. Ep. ccxli, ἐκκλησιαστικὰ κηρύγματα, *praedi-* ' *cationes ecclesiasticae.*' p. cxviii.

P. 240. l. 25. Apud quos] Haereticos.

P. 241. l. 2. nisi si a Christo Spiritum induit] Haec scripsit in loco plus semel memorato cl. Maranus: ' Quum ' existimaret Firmilianus adversarios suos in baptismo foris ' ab adultis suscepto Christi gratiam agnoscere, sic eos re- ' fellit, *Nam si non mentitur—Spiritus Sanctus.* Illud ' *nisi si a Christo Spiritum induit*, idem valet ac post ' Christum; nec probabilis est conjectura Cauchii et Pamelii, ' qui legendum putant, *Nisi si a Christo Spiritum non* ' *induit.*' Quae Marani mihi quidem haud satisfaciunt. Quid si *non ducit* latet in voce *induit?*

Ibid. l. 24. Neque enim multae sunt sponsae Christi] Verbum *sunt* addidi ex Bodleiano ac Novi Collegii MSto.

P. 242. l. 29. Sic et nos similiter] Textum sacrum, Cyprianique Codices quinque in var. lectt. edit. Oxon. commemoratos secutus, *nos* pro *vos* imprimendum curavi.

P. 243. l. 2. convertantur] De celebri quaestione hoc unum monebo; existere argumenta ab altera parte tempo- ribus illis allata, quibus Firmiliani suorumque rationes convelluntur, et baptismus nomine S. Trinitatis a quovis administro celebratus firmatur, cum alibi, tum in adnotationibus S. Augustini ad Carthaginiense septimum Concilium. Haec in libris ejusdem patris de Baptismo legi possunt.

Ib. l. 27. manifestam Stephani stultitiam] Hunc certe Firmilianus minime opinatus est fuisse universalem Ecclesiae pastorem, et controversiarum infallibilem judicem, cujus personam et definitionem tam inciviliter tractavit. FELLUS. Hoc pulchre vidit, ut olim Raymundus Missorius, sic nuper alius quoque Romanae communionis sacerdos, Stephanus

Morcelli, qui quidem vir disertissimus, elegantioribus sane litteris exquisite doctus, in Africa sua Christiana exinde collegit, non posse fieri, ut Firmilianus, vir sanctus, ut ait, et a multis commendatus, has literas scripserit, quia adeo contra Petri successorem Stephanum contumeliosae atque improbae sint, quales ab haeretico nequam et infami compositae. Insigne exemplum fallaciae, quae dicitur petitionis principii! Fac autem esse, qui hujusmodi argumentis scientes prudentesque in rebus tanti momenti usi sint, unde fiat totius fidei historicae interitus, quidni Deum deprecer meae animae, ne sit in futuro saeculo cum tam iniquis et improbis sophistis? Verumtamen, quod alibi dixi, ineptas illas Missorii contra hanc Epistolam cavillationes alii scriptores Romano-Catholici inter Italos quoque degentes respuerunt. Conferas et Baluzii notam, quam ad finem Epistolae adduxi.

P. 244. l. 7. confitetur] Vulgo *profitetur*. Mutavi ego ex quinque scriptis Codicibus.

P. 245. l. 21. et si novos Prophetas recipiunt] *Non ut vos* [prius *novos*]. Hanc lectionem, quam puto esse optimam, inveni in uno libro meo vetere. Morellius posuit *non vos;* eamque lectionem ego reperi in quatuor Codicibus antiquis. Pamelius emendavit ex conjectura et scripsit *novos Prophetas,* tum quia conjecturam suam confirmatam reperit auctoritate Codicis Anglicani quo ipse utebatur, tum quod antea Firmilianus novarum prophetiarum meminerit. Itaque ex editione Pamelii emersit vulgaris. Videtur autem Firmilianus respexisse ad haeresim Marcionitarum, quos Epiphanius ait repudiasse Legem ac Prophetas. Monet praeterea Pamelius in Codice suo Anglicano legi *et Spiritum Sanctum* post *Patrem et Filium*. Quod ego in nullo eorum veterum exemplarium reperi quibus usus sum in hac epistola recensenda. Rejecit autem Pamelius hoc additamentum, quia Cataphrygae non eundem Spiritum Sanctum cum Catholicis agnoscebant, utpote qui non illum sed Montanum esse Paracletum a Christo promissum dicerent. BALUZIUS. Statuenti hic Baluzio respexisse Firmilianum ad Marcionitas recte opponas, veteres Patres id semper solitos esse pro certo statuere, alium ac diversum Deum agnoscere Marcionitas, qui Christi Patrem negarent creavisse mundum. Audi Tertullianum adhuc Catholicum in hac ipsa de Baptismi quaestione idem suggerentem; 'Non debeo,' inquit, 'in 'illis [haereticis] agnoscere quod mihi est praeceptum, quia 'non idem Deus est nobis et illis, nec unus Christus, id est, 'idem.' de Baptismo cap. 15. Itaque veterem revocavi lectionem, quae cum melior apparet, tum exstat in Codice Bodleiano,

atque illo Novi Collegii, ceterisque fortasse MStis qui in editione Oxon. adferri solent, quippe quum nulla sit varietas lectionis ibidem notata. Ceterum additamentum illud, *et Spiritum Sanctum*, in Codd. quinque repertum fuisse novimus ex eadem editione. Ostendit vero hic ipse Firmiliani locus recte sensisse de Patre Filioque hos quidem Montanistas.

P. 246. l. 9. Non modo dicunt] Ad verba superiora, *in eorum numero habentur*, haec adnotavit Baluzius: Sic restituimus hunc locum auctoritate vetusti Codicis Compendiensis et Michaelini, in quibus vox *habentur* est transposita, sed tamen cum nota veteri quae ostendit ubi ponenda sit, nimirum post vocem *numero*. Itaque cadit conjectura Rigaltii hunc locum emendantis. BALUZ. Quum post verbum *obierunt* posita esset ante Baluzii mutationem vox *habentur*, Rigaltius locum sic emendandum voluit, *Habent non modo discunt emolumentum.* Affert vero Fellus longam sed satis contortam interpretationem verborum, *non modo dicunt emolumentum*. Ausim ergo reponere, *Non modicum emolumentum;* Graece, Οὐ μέτριον κέρδος ἀληθείας καὶ πίστεως. Exstant voces, *non modicum*, supra, §. 12. Et postquam haec scripsi, visis Marani verbis gavisus sum, quod ante me eodem fere modo is locum corrigere voluisset. 'Alium 'locum,' inquit, 'longe difficiliorem emendare conabor. De 'iis qui foris baptizati sine novo Baptismo in Ecclesia 'obierunt, sic statuit Firmilianus. *Si de saeculo—non 'sunt morte praeventi.* Existimat Rigaltius verbum *habent* 'reponendum post *habentur*, et sic emendat: Habent *non 'modo* discunt *emolumentum veritatis et fidei;* sed multo 'aptius legi posset, *Habent non modicum emolumentum*, pro '*non modo dicunt aut non modo discunt.*' Haec Maranus in Vit. S. Cypriani §. xxxi, p. cxviii. Sed haud necesse esse, ut addatur *habent*, opinor.

P. 247. l. 1. necessitate persecutionis coactus succubuit] Hic, quod constat ex superioribus, clericus designatur. Clericus autem lapsus ordine sacro moveri solitus est, neque ei licuit ut baptizandi ritum administraret.

Ibid. l. 3. Patrem et Deum Christi] Ista sic ponuntur tanquam si Deus esset conditor Christi et totius mundi. Videndum igitur an lectio veteris libri Remigiani et duorum Anglicanorum praeferenda sit, qui pro *Christi* habent *Dominum nostrum.* At si ea lectio placet, tollenda est conjunctio. In uno meo legitur *Domini Christi.* BALUZ. Ex edit. Oxon. constat exstare verba *Dominum Christum*, non, ut ait Baluzius, *Dominum nostrum*, in Codd. Ar. et Novi

Collegii. Ab hoc quidem MSto, sicut a Cod. Bodleiano, haud male abest particula *et* ante voces *totius mundi*. Ad verba autem quod attinet, *Patrem et Deum Christi*, similiter locutus est Dominus ipse ad Mariam Magdalenam in S. Joannis Evangelio, xx. 17. Similiter scripserunt Apostoli ejus. Confer Rom. xv. 6, 2 Cor. xi. 3, Ephes. i. 3. 17, Coloss. i. 3, Heb. i. 9, 1 Pet. i. 3.

P. 247. l. 6. qui ipsi in omnibus peccatis sint constituti] Veterem lectionem restitui. Primus edidit Fellus post Codices scriptos *qui cum ipsi* pro *qui ipsi*, quod quidem ex duplici lectione ortum videtur. Posuit autem Pamelius *sunt* pro *sint* ex Cauchii vel Codice vel conjectura ejusdem.

P. 248. l. 5. pro Ecclesiae veritate consentit] Forsitan legendum *contendit*.

Ibid. l. 8. consilii et sermonis] Forsitan scripserat Firmilianus, *συνέσεως καὶ λόγου*.

P. 249. l. 4. A quibus legatos Episcopos &c.] Haud dubium videtur, quin ab Afris, potius quam ab Orientalibus, Romam missi sint legati. Contrarium tamen affirmant Baronius in Annalibus, et Natalis Alexander in Hist. Ecclesiastica. Sed hoc in Afros gestum a Stephano fuisse, post Pearsonium retulerunt Pagius, Tillemontius, Basnagius. ‘Quid ex illorum verborum serie exploratius,’ inquit Pearsonius in Annalibus Cyprianicis, ad an. CCLVI, ‘quam Legatos ‘eos Episcopali honore conspicuos, non ab Orientalibus, sed ‘ab iis qui *in meridie* erant, hoc est, Afris, missos fuisse? ‘Neque aliter illa Firmiliani verba [quae citata praecedunt,] ‘intelligenda esse sentio, *Nisi quod nos gratiam referre Ste-* ‘*phano in isto possumus quod per illius inhumanitatem* ‘*nunc effectum sit, ut fidei et sapientiae vestrae experi-* ‘*mentum caperemus*. [Supra, p. 232.] Illa enim inhumani- ‘tas nihil aliud erat quam Legatorum rejectio, per quam *nec* ‘*confabulatio jam posset esse, aut sermo communis*. . . . Illi ‘Legati missi sunt a Synodo Carthaginiensi secunda.’ §. vii.

Ibid. l. 28. si Dominus unus est, consequens est dicere, quia unus est] Hoc membrum omissum est in editione Rigaltii, restitutum in Anglicana. Sed nescio quonam modo factum est ut Angli absque ullius libri veteris auctoritate, contra fidem veterum exemplarium et editionis Morellianae, scripserint *consequens est quia unitas est;* nisi si maluerunt amplecti conjecturam Pamelii, qui monuerat in margine suae editionis legendum esse *unitas*, vel auctoritatem Goulartii, qui eam vocem posuit in contextu, nulla Pamelii mentione. Reinhartus in sua editione reposuit *unus*. BALUZ. Exstat in Novi Coll. Codice *quia* unus *est*, quod edidit Balu-

zius. Legerim, *quia Deus unus* est, id quod sequentia verba suadent. *Quia* pro *quod* apud hos scriptores poni solet.

P. 250. l. 8. pseudochristum] Imitatum est istud ex capite undecimo Epistolae Secundae Pauli ad Corinthios. Hinc patet, inquit Pamelius, vehementiam Epistolae Stephani Papae in causa fuisse cur tam vehementer etiam contra eum scriberent Cyprianus et Firmilianus. Recte sane. Non enim aliud causae exstitit, cur Firmilianus, qui in tota Epistola summum amorem unitatis declarat, sic tamen in Stephanum invehatur, ut eum disputationis aestu abreptum fuisse pateat. Nihil lenius ac placabilius Cypriano; ejusque animi moderatio cum in omnibus aliis rebus, tum maxime in hac de Baptismo controversia enituit; sed tamen eum interdum a summa illa lenitate ad vehementiorem causae defensionem transiisse perspicitur ex Epistola ad Pompeium. Videtur autem Cyprianum et Firmilianum illud in primis offendisse, quod Stephanus putaret abstinendos rebaptizantes. Propter haec autem verba, quae putat non esse Stephani, dubitare se ait Christianus Lupus in scholiis suis ad librum Tertulliani de Praescriptionibus adversus haereticos an Epistola Firmiliani sit vera. Tamen nemo hactenus ante Lupum id sibi sumsit, ut dicere auderet eam esse falsam aut de ejus auctoritate dubitaret. Et certe ista facilitas accusandi falsitatis scripta veterum valde temeraria est et periculosa. Nam si cuique liceat inanes ejusmodi conjecturas sequi, nullum erit antiquitatis monumentum, quod iniquas suspiciones effugiat. BALUZ. Ita Baluzius. Haud interea mihi visus est voluisse hoc scribere Christianus Lupus, Firmiliani Epistola an germana sit, se dubitare; de appellationibus autem probrosis Cypriano a Stephano attributis, an hae ab eo revera prolatae fuerint, se haesitare. Vid. Scholia ejus ad Tertulliani cap. iv, p. 121. At cogitandum, quibus dicteriis ipsum, ut videtur, Cyprianum lacessiverit vetus quidam Stephanianae de haereticorum Baptismo sententiae stator, qui est Auctor de Rebaptismate, ad fin. Opp. S. Cypriani. Conferas quae de Firmiliani Epistola supra annotantur.

Ibid. l. 10. Quae omnia] Ita legendum olim duxi, priusquam sic se habere novissem editionem principem, siquidem postea Pamelius *qui* pro *quae* ex MSto suo edidit, aliis, fateor, libris scriptis consentientibus. Sed fortasse Graece scripserat Firmilianus ἃ δὴ *πάντα*, vel *τάδε* δὲ *πάντα*.

Ibid. l. 13. omnibus nobis] Haec mihi videntur esse luxata. Quid si legatur *carissime frater?* errore irrepente ex ignorantia notarum, ut etiam adnotavit Hieronymus in Epistola ad Avitum de erroribus Origenis, ubi ait difficile esse no-

tarum posse servare compendia. Simon Goulartius monuit in Codice Episcopi Acconensis scriptum fuisse, *Bene te valere cum universis qui in Africa sunt Episcopis et cunctis clericis et omni fraternitate optamus.* Quam lectionem, ut meliorem, posuit Reinhartus. Et nihilominus ego praefero conjecturam meam. Nihil tamen ausus sum mutare destitutus auctoritate veterum exemplarium. BALUZ. Vide annon recte emendari possit, *Bene te valere omnibus vobiscum, universis* &c. [Forsitan, *Bene valere omnibus vobiscum, universis qui . . . . et omni fraternitati universi* &c.]

S. CAECILII CYPRIANI

LIBRI

DE IDOLORUM VANITATE,
DE MORTALITATE, SIVE PESTE,
DE OPERE ET ELEEMOSYNIS,
DE ZELO ET LIVORE.

S. CYPRIANUS.

S. Hieronymus, Lib. de Viris Illustribus, cap. lxvii. pag. 150 ed. Fabricii, an. 1718, Hamburg.

Cyprianus Afer, primum gloriose rhetoricam[a] docuit, exinde suadente Presbytero Caecilio a quo et cognomentum[b] sortitus est, Christianus factus, omnem substantiam suam pauperibus erogavit[c], ac post non multum temporis electus in Presbyterum, etiam Episcopus[d] Carthaginiensis constitutus est. Hujus ingenii superfluum est indicem[e] texere, quum sole clariora sint ejus opera. Passus est sub Valeriano et Galieno Principibus[f], persecutione octava, eodem die quo Romae Cornelius, sed non eodem anno[g].

Joan. Alberti Fabricii Notae.

[a] Non rhetoricam adeo in scholis docuisse, quam in foro exercuisse Cyprianus videtur. Confer quae ipse de se Cyprianus libro ad Donatum, non longe ab initio.

[b] Quemadmodum liberti olim a dominis manumittentibus solebant cognomentum adsciscere, sic Cyprianus, a Caecilio Presbytero Carthaginiensi vindicatus ex ethnicismo in lucem ac libertatem Christianam, Caecilius cognominari gaudebat. De Caecilio illo vide Acta Sanctor. 3 Junii, tom. I, p. 270. Ad Christianos accessisse S. Cyprianus videtur A. C. 246, ut in Annalibus Cyprianicis colligit Joannes Pearsonius.

[c] De hoc plura Pontius in S. Cypriani vita.

[d] Utrumque non diu post factum idem Pontius innuit: 'Ad 'probationem operum solum hoc arbitror satis esse, quod judicio 'Dei et plebis favore ad officium sacerdotii [Presbyteri] et Episco- 'patus gradum adhuc neophytus, et ut putabatur novellus electus 'est.' Ceterum Pearsonius Presbyterum factum conjicit anno exeunte 247, Episcopum a. 248.

[e] *Indicem ingenii* pro indice scriptorum sive monumentorum ingenii poni ab Hieronymo est perspicuum. Mihi vero, post Guil. Caveum aliosque qui de scriptis sancti Martyris fuse ac diligenter tractarunt, nihil aliud hoc loco reliquum est commemorare, quam post curas in castigandis atque illustrandis Cypriani scriptis collocatas ab Erasmo, a Paulo Manutio, Latino Latinio, Jac. Pamelio, Nic. Rigaltio, Philippo Priorio, et novissime a Joanne Fello Oxoniensi Episcopo, novam operum S. Martyris editionem jam exspectari ab accuratissimae eruditionis sene et de Ecclesiastica antiquitate meritissimo Stephano Baluzio, qui triginta amplius Codices MSS. eum in usum contulisse se est professus. [Prodiit Parisiis anno 1726, post mortem Baluzii.] Praeclara Joannis Felli editio, vulgata Oxoniae a. 1682, Jo. Pearsonii Annales Cyprianicos praefixos habet: eidem separatim deinde H. Dodwelli dissertationes Cyprianicae accesserunt, in repetitis editionibus Brem. 1690, et Amstelod. 1699. etiam subjunctae. Ceterum non obstante Cypriani de rebaptizandis haereticis sententia per Ecclesiam rejecta, nihilominus pro Sancto semper habitum probat Jo. Launojus, lib. VIII, Epist. 15.

[f] A. C. 258, 14 Sept. ad decretum Pro Cos. 'Thascium Cypri- 'anum gladio animadverti placet.' [Hoc die amborum Martyrum commemoratio.]

[g] Cornelius Centumcellis Hetruriae in exilio obierat 14 Sept. a. 252, ut ad cap. 66 jam notare me memini. [Ad Cornelii martyrium, siccum an cruentum fuerit, pertinentia quaedam congessi, ad Concil. Carthag. sub Cypriano IV, in Reliquiis Sacris vol. III, pp. 161, 162. Digna autem sunt quae iis addantur verba S. Paciani, qui saeculo Ecclesiae quarto ad finem vergente floruit, in Epistola II, §. vii, p. 26, tom. VII Bibliothecae Patrum Gallandianae.]

S. CAECILII CYPRIANI

LIBER

DE IDOLORUM VANITATE.

Quod idola dii non sint, et quod Deus unus sit, et quod per Christum salus credentibus data sit.

I. DEOS non esse quos colit vulgus hinc notum est: reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud suos postmodum etiam in morte coeperunt. Inde illis instituta templa, inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expressa simulacra; et immolabant hostias, et dies festos tanto honore celebrabant. Inde posteris facta sunt sacra quae primis fuerant assumpta solatia. Et videamus an sit et haec apud singulos veritas. Melicertes et Leucothea praecipitantur in maria, et fiunt postmodum maris numina. Castores alternis moriuntur ut vivant. Aesculapius ut in Deum surgat fulminatur. Hercules ut hominem exuat Oeteis ignibus concrematur. Apollo Admeto pecus pavit. Laomedonti muros Neptunus instituit, nec mercedem operis infelix structor accepit. Antrum Jovis in Creta visitur, et sepulcrum ejus ostenditur, et ab eo Saturnum fugatum esse manifestum est: inde

Dii gentium Reges vita defuncti.

Latium de latebra ejus nomen accepit. Hic litteras imprimere, hic signare nummos in Italia primus instituit: inde aerarium Saturni vocatur. Et rusticitatis hic cultor fuit: inde falcem ferens pingitur. Hunc fugatum hospitio Janus exceperat, de cujus nomine Janiculum dictum est, et mensis Januarius institutus est. Ipse bifrons exprimitur, quod in medio constitutus annum incipientem pariter et recedentem spectare videatur. Mauri vero manifeste reges colunt, nec ullo velamento hoc nomen obtexunt.

Cultus iste per gentes varius, et subinde mutatus: porro absurdus et cultoribus inutilis.

II. Inde per gentes et provincias singulas varia deorum religio mutatur, dum non unus ab omnibus Deus colitur, sed propria cuique majorum suorum cultura servatur. Hoc ita esse Alexander magnus insigni volumine ad matrem suam scribit, metu suae potestatis proditum sibi de diis hominibus a sacerdote secretum, quod majorum et regum memoria servata sit: inde colendi et sacrificandi ritus inoleverit. Si autem aliquando dii nati sunt, cur non hodieque nascuntur? Nisi si forte Jupiter senuit, aut partus in Junone defecit. Cur vero deos putas pro Romanis posse, quos videas nihil pro suis adversus eorum arma valuisse? Romanorum enim vernaculos deos novimus. Est Romulus pejerante Proculo deus factus, et Picus, et Tiberinus, et Pilumnus, et Consus, quem deum fraudis, velut consiliorum deum, coli Romulus voluit, postquam in raptum Sabinarum perfidia provenit. Deam quoque Cloacinam Tatius et invenit et coluit, Pavorem Hostilius atque Pallorem. Mox a nescio quo Febris dedicata, et Acca et Flora meretrices. Hi dii Romani. Ceterum Mars Thracius, et Jupiter Creticus, et Juno vel Argiva vel Samia vel Poena, et Diana Taurica, et deorum

mater Idaea, et Aegyptia portenta, non numina, quae utique si quid potestatis habuissent, sua ac suorum regna servassent. Plane sunt apud Romanos et victi Penates, quos Aeneas profugus advexit. Est et Venus calva, multo hic turpius calva quam apud Homerum vulnerata.

III. Regna autem non merito accidunt, sed sorte variantur. Ceterum imperium ante tenuerunt et Assyrii et Persae, et Graecos et Aegyptios regnasse cognovimus. Ita vicibus potestatum variantibus, Romanis quoque ut et ceteris imperandi tempus obvenit. Ceterum si ad originem redeas, erubescas. Populus de sceleratis et nocentibus congregatur, et asylo constituto facit numerum impunitas criminum. Nunc ut rex ipse principatum habeat ad crimina, fit Romulus parricida, atque ut matrimonium faciant, rem concordiae per discordias auspicantur. Rapiunt, ferociunt, fallunt ad copiam civitatis augendum. Nuptiae sunt illis rupta hospitii foedera et cum soceris bella crudelia. Est et gradus summus in Romanis honoribus consulatus: sic consulatum coepisse videmus ut regnum. Filios interficit Brutus ut crescat de suffragio sceleris commendatio dignitatis. Non ergo de religionibus sanctis, nec de auspiciis aut auguriis Romana regna creverunt; sed acceptum tempus certo fine custodiunt. Ceterum et Regulus auspicia servavit, et captus est; et Mancinus religionem tenuit, et sub jugum missus est. Pullos edaces Paulus habuit, et apud Cannas tamen caesus est. C. Caesar ne ante brumam in Africam navigia transmitteret auguriis et auspiciis renitentibus, sprevit, et eo facilius et navigavit et vicit. Horum autem omnium ratio est illa quae fallit et

Regna minime Numinum istorum beneficio concessa aut retenta.

decipit, et praestigiis caecantibus veritatem, stultum et prodigum [*fors.* proditum] vulgus inducit: spiritus sunt insinceri et vagi, qui postea quam terrenis vitiis immersi sunt, et a vigore coelesti terreno contagio recesserunt, non desinunt perditi perdere et depravati errorem pravitatis infundere.

A plerisque pro daemoniis agnita.

IV. Hos et poëtae daemonas norunt, et Socrates instrui se et regi ad arbitrium daemonis praedicabat. Et magis inde est ad perniciosa vel ludicra potentatus; quorum tamen praecipuus Hostanes et formam veri Dei negat conspici posse, et angelos veros [*fors.* servos, *Vide not.*] sedi ejus dicit assistere. In quo et Plato pari ratione consentit, et unum Deum servans, ceteros angelos vel daemonas dicit. Hermes quoque Trismegistus unum Deum loquitur, eumque incomprehensibilem atque inaestimabilem confitetur. Hi ergo spiritus sub statuis atque imaginibus consecratis delitescunt. Hi afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsa veris semper involvunt, nam et falluntur et fallunt, vitam turbant, somnos inquietant. Irrepentes etiam spiritus in corporibus occulte mentes terrent, membra distorquent, valetudinem frangunt, morbis lacessunt ut ad cultum sui cogant, ut nidore altarium et rogis pecorum saginati, remissis quae constrinxerant curasse videantur. Haec est de illis medela quum illorum cessat injuria, nec aliud illis studium est quam a Deo homines avocare et ad superstitionem sui ab intellectu verae religionis avertere; et quum sint ipsi poenales, quaerere sibi ad poenam comites quos ad crimen suum fecerint terrore participes. Hi tamen adjurati per Deum verum a nobis, statim cedunt et

fatentur et de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostra voce et operatione majestatis occultae flagris caedi, igne torreri, incremento poenae propagantis extendi, ejulare, gemere, deprecari; unde veniant et quando discedant ipsis etiam qui se colunt audientibus confiteri; et vel exsiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat aut gratia curantis adspirat. Hinc vulgus in odium nostri nominis cogunt, ut nos odisse incipiant homines antequam nosse, ne cognitos aut imitari possint aut damnare non possint.

Deus unus est.

V. Unus igitur omnium Dominus Deus. Neque enim illa sublimitas potest habere consortem, quum sola omnem teneat potestatem. Ad divinum imperium etiam de terris mutuemur exemplum. Quando unquam regni societas aut cum fide coepit aut sine cruore desiit? Sic Thebanorum germanitas rupta, et permanens rogis dissidentibus etiam in morte discordia. Et Romanos geminos unum non capit regnum, quos unum uteri cepit hospitium. Pompeius et Caesar affines fuerunt, nec tamen necessitudinis foedus in aemula potestate tenuerunt. Nec hic tu de homine mireris, quum in hoc omnis natura consentiat. Rex unus est apibus, et dux unus in gregibus, et in armentis rector unus. Multo magis mundi unus est rector, qui universa quaecunque sunt verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec aestimari, sensu major est. Et ideo sic eum digne aestimamus, dum inaestimabilem dicimus. Quod vero templum habere possit Deus cujus templum totus est mundus? et quum homo latius [*fors.* laxius] maneat, intra unam

aediculam vim tantae majestatis includam? In nostra dedicandus est mente, in nostro consecrandus est pectore. Nec nomen Deo quaeras: Deus nomen est illi. Illic vocabulis opus est ubi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est. Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum [*fors.* solum] est. Ergo unus est, et ubique ipse diffusus est. Nam et vulgus in multis Deum naturaliter confitetur, quum mens et anima sui Auctoris et Principis admonetur. Dici frequenter audimus, *O Deus*, et *Deus videt*, et *Deo commendo*, et *Deus tibi reddat*, et *quod vult Deus*, et *si Deus dederit.* Atque haec est summa delicti, nolle agnoscere quem ignorare non possis.

Verae Religionis origo et derivatio.

VI. Quod vero Christus sit, et quomodo per ipsum nobis salus venerit, sic est ordo, sic ratio. Judaeis primum erat apud Deum gratia. Sic olim justi erant, sic majores eorum religionibus obediebant. Inde illis et regni sublimitas floruit, et generis magnitudo provenit. Sed illi [negligentes et] [*fors. delend. Vid. not.*] indisciplinati et superbi postmodum facti, et fiducia patrum inflati, dum divina praecepta contemnunt, datam sibi gratiam perdiderunt. Quam vero fuerit illis prophana vita, quae contracta sit violatae religionis offensa, ipsi quoque testantur, qui etsi voce tacent, exitu confitentur. Dispersi et palabundi vagantur, soli et coeli sui profugi per hospitia aliena jactantur. Necnon Deus ante praedixerat, fore ut vergente saeculo et mundi fine jam proximo ex omni gente et populo et loco cultores sibi allegeret Deus multo melioris obsequii et fidei fortioris, qui indulgentiam de divinis muneribus haurirent, quam acceptam Judaei contemtis religionibus perdidissent. Hujus igitur gratiae

disciplinaeque arbiter et magister Sermo et Filius Dei mittitur, qui per Prophetas omnes retro illuminator et deductor humani generis praedicabatur. Hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia ejus et gloria. Hic in virginem delabitur, carnem Spiritus Sanctus induitur, Deus cum homine miscetur. Hic Deus noster hic Christus est, qui, mediator duorum, hominem induit quem perducat ad Patrem. Quod homo est esse Christus voluit, ut et homo possit esse quod Christus est. Sciebant et Judaei Christum esse venturum. Nam hic illis semper Prophetis monentibus adnuntiabatur. Sed significato duplici ejus adventu, uno qui exercitio et exemplo hominis fungeretur, altero qui Deum fateretur, non intelligendo primum adventum, qui in passione praecessit occultus, unum tantum credunt qui erit in potestate manifestus. Quod autem hoc Judaeorum populus intelligere non potuit, delictorum meritum fuit. Sic erant sapientiae et intelligentiae caecitate multati, ut qui vita indigni essent haberent vitam ante oculos, nec viderent.

VII. Itaque quum Christus Jesus, secundum Prophetis ante praedicta, verbo et vocis imperio daemonia de hominibus excuteret, paralyticos restringeret, leprosos purgaret, illuminaret caecos, claudis gressum daret, mortuos rursus animaret, cogeret sibi elementa famulari, servire ventos, maria obedire, inferos cedere, Judaei, qui illum crediderant hominem tantum de humilitate carnis et corporis, existimabant magum de licentia potestatis. Hunc magistri eorum atque primores, hoc est, quos et doctrina ille et sapientia revincebat, accensi ira et indignatione provocati insecuti sunt, et postremo detentum Pontio Pilato, qui tunc ex parte Romana Syriam procu- Christi miracula, passio, resurrectio, ascensio, Evangelium.

rabat, tradiderunt, crucem ejus et mortem suffragiis violentis ac pertinacibus flagitantes. Hoc eos facturos et ipse praedixerat, et Prophetarum omnium testimonium sic ante praecesserat, oportere illum pati, non ut sentiret mortem, sed ut vinceret, et, quum passus esset, ad superos denuo regredi, ut vim divinae majestatis ostenderet. Fidem itaque rerum cursus implevit. Nam et crucifixus 'praevento car-'nificis officio' spiritum sponte dimisit, et die tertio rursus a mortuis sponte surrexit. Apparuit discipulis suis qualis et fuerat, agnoscendum se videntibus praebuit simul junctis; et substantiae corporalis firmitate conspicuus, ad dies quadraginta remoratus est, ut de eo ad praecepta vitalia instrui possent, et discerent quae docerent. Tunc in coelum circumfusa nube sublatus est, ut hominem quem dilexit, quem induit, quem a morte protexit, ad Patrem victor imponeret jam venturus e coelo ad poenam diaboli et ad censuram generis humani ultoris [*fors.* in ultoris] vigore et judicis potestate; per orbem vero discipuli, magistro et [*fors.* et *delend.*] Deo monente, diffusi praecepta in salutem darent, ab errore tenebrarum ad viam lucis adducerent, caecos et ignaros ad agnitionem veritatis ocularent. Ac ne esset probatio minus solida et de Christo delicata confessio, per tormenta, per cruces, per multa poenarum genera tentantur. Dolor, qui veritatis testis est, admovetur ut Christus Dei Filius, qui hominibus ad vitam datus creditur, non tantum praeconio vocis, sed et passionis testimonio praedicaretur. Hunc igitur comitamur, hunc sequimur, hunc habemus itineris ducem, lucis principem, salutis auctorem, coelum pariter et Patrem quaerentibus et credentibus pollicentem. Quod est Christus erimus Christiani, si Christum fuerimus secuti.

S. CAECILII CYPRIANI

LIBER

DE MORTALITATE, SIVE PESTE.

I. ETSI apud plurimos vestrum, fratres dilectissimi, mens solida est et fides firma et anima devota, quae ad praesentis mortalitatis copiam non movetur, sed tanquam petra fortis et stabilis turbidos impetus mundi et violentos saeculi fluctus frangit potius ipsa, nec frangitur, et tentationibus non vincitur, sed probatur; tamen quia animadverto in plebe quosdam vel imbecillitate animi, vel fidei parvitate, vel dulcedine saecularis vitae, vel sexus mollitie, vel, quod majus est, veritatis errore minus stare fortiter, nec pectoris sui divinum atque invictum robur exserere, dissimulanda res non fuit nec tacenda quo minus, quantum nostra mediocritas sufficit, vigore pleno et sermone de Dominica lectione concepto delicatae mentis ignavia comprimatur, et qui homo Dei et Christi esse jam coepit, Deo et Christo dignus habeatur. Agnoscere enim se debet, fratres dilectissimi, qui Deo militat, qui positus in coelestibus castris divina jam sperat, ut ad procellas et turbines mundi trepidatio nulla sit in nobis, nulla turbatio, quando haec ventura praedixerit Dominus. Providae

Inter calamitates id imprimis considerandum quod praedictae sunt.

vocis hortatu instruens et docens et praeparans atque corroborans Ecclesiae suae populum ad omnem tolerantiam futurorum, bella et fames et terrae motus et pestilentias per loca singula exsurgere praenuntiavit et cecinit. Et ne inopinatus nos et novus rerum infestantium metus quateret, magis ac magis in novissimis temporibus adversa crebrescere ante praemonuit. Fiunt ecce quae dicta sunt; et quando fiunt quae ante praedicta sunt, sequentur et quaecunque promissa sunt, Domino ipso pollicente et dicente, *Quum autem videritis haec omnia fieri, scitote quoniam in proximo est regnum Dei.*

Luc. xxi. 31.

Porro quod regnum Dei appropinquare ostendunt.

II. Regnum Dei, fratres dilectissimi, esse coepit in proximo. Praemium vitae et gaudium salutis aeternae, et perpetua laetitia, et possessio Paradisi nuper amissa, mundo transeunte jam veniunt; jam terrenis coelestia et magna parvis et caducis aeterna succedunt. Quis hic anxietatis et sollicitudinis locus est? Quis inter haec trepidus et moestus est, nisi cui spes et fides deest? Ejus est enim mortem timere qui ad Christum nolit ire. Ejus est ad Christum nolle ire qui se non credat cum Christo incipere regnare. Scriptum est enim *justum fide vivere.* Si justus es et fide vivis, si vere in Christum credis, cur non, cum Christo futurus et de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris amplecteris, et quod diabolo careas gratularis? Symeon denique ille justus, qui vere justus fuit, qui fide plena Dei praecepta servavit, quum ei divinitus responsum fuisset quod non ante moreretur quam Christum vidisset, et Christus infans in templum cum matre venisset, agnovit in spiritu natum esse jam Christum, de quo sibi fuerat ante praedictum,

Rom. i. 17.

quo viso, scivit se cito esse moriturum. Laetus itaque de morte jam proxima, et de vicina accersitione securus, accepit in manus puerum, et benedicens Dominum exclamavit et dixit, *Nunc dimittis servum* Luc. ii. 29. *tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei salutare tuum.* Probans scilicet atque contestans tunc esse servis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti sedis et securitatis aeternae portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus.

III. Illa est enim vera pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis et firma et perpetua securitas. Ceterum quid aliud in mundo quam pugna adversus diabolum quotidie geritur, quam adversus jacula ejus et tela conflictationibus assiduis dimicatur? Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est; cum carnalibus vitiis, cum illecebris saecularibus assidua et molesta luctatio est. Obsessa mens hominis et undique diaboli infestatione vallata vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata est, exsurgit libido. Si libido compressa est, succedit ambitio. Si ambitio contemta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat [*fors.* irritat], invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit. Cogeris maledicere, quod divina Lex prohibet. Compelleris jurare, quod non licet. Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus urgetur; et delectat hic inter diaboli gladios diu stare, quum magis concupiscendum sit et optandum ad Christum, subveniente velocius morte, properare, ipso instruente nos et dicente, *Amen amen dico vobis, quoniam vos* Joan. xvi. 20. *plorabitis et plangetis, saeculum autem gaudebit; vos*

A morte expectanda fida tranquillitas et perpetua securitas.

tristes eritis, sed tristitia vestra in laetitiam veniet. Quis non tristitia carere optet, quis non ad laetitiam venire festinet? Quando autem in laetitiam veniat nostra tristitia Dominus denuo ipse declarat, dicens, *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum et gaudium vestrum nemo auferet a vobis.* Quum ergo Christum videre gaudere sit, nec possit esse gaudium nostrum nisi quum viderimus Christum, quae caecitas animi quaeve dementia est amare pressuras et poenas et lacrymas mundi, et non festinare potius ad gaudium quod nunquam possit auferri.

Joan. xvi. 22.

Ex infidelitate fit quod mortem adeo aversemur.

IV. Hoc autem fit, fratres dilectissimi, quia fides deest, quia nemo credit vera esse quae promittit Deus, qui verax est, cujus sermo credentibus aeternus et firmus est. Si tibi vir gravis et laudabilis aliquid polliceretur, haberes utique pollicenti fidem, nec te falli aut decipi ab eo crederes quem stare in sermonibus atque in actibus suis scires. Nunc Deus tecum loquitur, et tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus tibi de hoc mundo recedenti immortalitatem atque aeternitatem pollicetur, et tu dubitas? Hoc est Deum omnino non nosse, hoc est Christum credentium magistrum peccato incredulitatis offendere, hoc est in Ecclesia constitutam fidem in domo fidei non habere. Quantum prosit exire de saeculo Christus ipse salutis atque utilitatis nostrae magister ostendit, qui quum discipuli ejus contristarentur quod se jam diceret recessurum, locutus est ad eos dicens, *Si me dilexissetis, gauderetis utique, quoniam vado ad Patrem;* docens et ostendens, quum cari quos diligimus de saeculo exeunt, gaudendum potius quam dolendum. Cujus rei memor beatus Apostolus Paulus in epistola sua ponit et

Joan. xiv. 28.

dicit, *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum*; lucrum maximum computans jam saeculi laqueis non teneri, jam nullis peccatis et vitiis carnis obnoxium fieri, exemptum pressuris angentibus, et venenatis diaboli faucibus liberatum, ad laetitiam salutis aeternae Christo vocante proficisci. Phil. i. 21.

Inepta est querela Christianorum, quod cum Gentilibus plectantur.

V. Atenim quosdam movet quod aequaliter cum Gentilibus nostros morbi istius valitudo corripiat; quasi ad hoc crediderit Christianus ut immunis a contactu malorum, mundo et saeculo feliciter perfruatur, et non omnia hic adversa perpessus ad futuram laetitiam reservetur. Movet quosdam quod sit nobis cum ceteris mortalitas ista communis. Quid enim nobis in hoc mundo non commune cum ceteris, quamdiu adhuc secundum legem primae nativitatis manet caro ista communis? Quoadusque istic in mundo sumus, cum genere humano carnis aequalitate conjungimur, spiritu separamur. Itaque donec *corruptivum istud induat incorruptionem, et* 1 Cor. xv. 53. *mortale hoc accipiat immortalitatem*, et Spiritus nos perducat ad Deum Patrem, quaecunque sunt carnis incommoda sunt nobis cum humano genere communia. Sic quum foetu sterili terra jejuna est, neminem fames separat. Sic quum irruptione hostili civitas aliqua possessa est, omnes simul captivitas vastat. Et quando imbrem nubila serena suspendunt, omnibus siccitas una est. Et quum navem scopulosa saxa constringunt, navigantibus naufragium sine exceptione commune est. Et oculorum dolor, et impetus febrium, et omnium valitudo membrorum cum ceteris communis est nobis quamdiu portatur in saeculo caro ista communis. Quinimmo si qua conditione, qua lege crediderit Christianus

noscat et teneat, sciet plus sibi quam ceteris in saeculo laborandum, cui magis sit cum diaboli impugnatione luctandum. Docet et praemonet Scriptura divina dicens, *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem;* et iterum, *In dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis.*

Eccl. ii. 1.

Eccl. ii. 4.

Job non magis pietate quam calamitatibus notabilis.

VI. Sic Job, post rerum damna, post pignorum funera, vulneribus quoque et vermibus graviter afflictus, non victus est, sed probatus; qui in ipsis conflictationibus et doloribus suis patientiam religiosae mentis ostendens ait, *Nudus exivi de utero matris, nudus etiam ibo sub terram. Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino visum est ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Et quum eum uxor quoque compelleret ut vi doloris impatiens aliquid adversus Deum querula et invidiosa voce loqueretur, respondit et dixit, *Tanquam una ex ineptis mulieribus locuta es. Si bona excepimus de manu Domini, mala cur non tolerabimus? In his omnibus quae contigerunt ei nihil peccavit Job labiis suis in conspectu Domini.* Itaque illi Dominus Deus perhibet testimonium, dicens, *Animadvertisti puerum meum Job? Non enim est similis illi quisquam in terris, homo sine querela, verus Dei cultor.* Et Tobias, post opera magnifica, post misericordiae suae multa et gloriosa praeconia, caecitatem luminum passus, timens et benedicens in adversis Deum, per ipsam corporis sui cladem crevit ad laudem; quem et ipsum uxor sua depravare tentavit, dicens, *Ubi sunt justitiae tuae? Ecce quae pateris!*

Job. i. 21.

Job. ii. 10.

Pariter Tobias aerumnis exercitatus.

Tob. ii. 14.

At ille circa timorem Dei stabilis et firmus, et ad omnem tolerantiam passionis fide religionis armatus, tentationi uxoris invalidae in dolore non cessit, sed magis Deum patientia majore promeruit; quem postmodum Raphael Angelus collaudat, et dicit, *Opera Dei revelare et confiteri honorificum est. Nam quando orabas tu et Sarra nurus tua, ego obtuli memoriam orationis vestrae in conspectu claritatis Dei. Et quum sepelires tu mortuos simpliciter, et quia non es cunctatus exsurgere et derelinquere prandium tuum, et abisti, et condidisti mortuum, missus sum tentare te, et iterum me misit Deus curare te et Sarram nurum tuam. Ego enim sum Raphael, unus ex septem Angelis sanctis qui assistimus et conversamur ante claritatem Dei.* Tob. xii.

VII. Hanc tolerantiam justi semper habuerunt, hanc Apostoli disciplinam de Domini lege tenuerunt, non mussitare in adversis, sed quaecunque in saeculo accidunt fortiter et patienter accipere; quum Judaeorum populus hinc semper offenderit quod adversus Deum frequentius murmuraret, sicut testatur in Numeris Dominus Deus, dicens, *Desinat murmuratio eorum a me, et non morientur.* Murmurandum non est in adversis, fratres dilectissimi, sed patienter et fortiter quicquid acciderit sustinendum, quum scriptum sit, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicit.* In Deuteronomio quoque monet per Moysen Spiritus Sanctus, et dicit, *Dominus Deus tuus vexabit te, et famem injiciet tibi, et cognoscetur in corde tuo si bene custodieris praecepta ejus, sive non.* Et iterum, *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro* Tolerantiam justi semper habuerunt. Num. xviii. 10. Psal. li. 17. Deut. viii. 2. Deut. xiii. 3.

Gen. xxii. *et ex tota anima vestra.* Sic Abraham Deo placuit, qui, ut placeret Deo, nec amittere filium timuit, nec gerere parricidium recusavit. Qui filium non potes lege et sorte mortalitatis amittere, quid faceres si filium jubereris occidere?

Calamitates omnis generis illustrandae virtuti inserviunt.

VIII. Ad omnia te paratum facere timor Dei et fides debet. Sit licet rei familiaris amissio, sit de infestantibus morbis assidua membrorum et cruenta vexatio, sit de uxore, de liberis, de excedentibus caris funebris et tristis avulsio, non sint tibi scandala ista, sed proelia; nec debilitent aut frangant Christianam fidem, sed potius ostendant in colluctatione virtutem, quum contemnenda sit omnis injuria malorum praesentium fiducia futurorum bonorum. Nisi praecesserit pugna, non potest esse victoria. Quum fuerit in pugnae congressione victoria, tunc datur vincentibus et corona. Gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. Delicata jactatio est quum periculum non est. Conflictatio in adversis probatio est virtutis. Arbor quae alta radice fundata est ventis incumbentibus non movetur; et navis quae forti compage solidata est pulsatur fluctibus, nec foratur; et quando area fruges terit, ventos grana fortia et robusta contemnunt, inanes paleae flatu portante rapiuntur. Sic et Apostolus Paulus post naufragia, post flagella, post carnis et corporis multa et gravia tormenta, non vexari sed emendari se dicit adversis, ut dum gravius affligitur, verius probaretur. *Datus est mihi,* inquit, *stimulus carnis meae, angelus Satanae qui me colaphizet, ut non extollar. Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me, et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.*

2 Cor. xii. 7.

Quando ergo infirmitas et imbecillitas et vastitas aliqua grassatur, tunc virtus nostra perficitur, tunc fides, si tentata perstiterit, coronatur, sicut scriptum est, *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.* Hoc denique inter nos et ceteros interest qui Deum nesciunt, quod illi in adversis queruntur et murmurant, nos adversa non avocant a virtutis et fidei veritate, sed corroborant in dolore. Hoc quod nunc corporis vires solutus in fluxum venter eviscerat, quod in faucium vulnera conceptus medullitus ignis exaestuat, quod assiduo vomitu intestina quatiuntur, quod oculi vi sanguinis inardescunt, quod quorundam vel pedes vel aliquae membrorum partes contagio morbidae putredinis amputantur, quod per jacturas et damna corporum prorumpente languore vel debilitatur incessus, vel auditus obstruitur, vel caecatur aspectus, ad documentum proficit fidei. Contra tot impetus vastitatis et mortis inconcussi animi virtutibus congredi, quanta pectoris magnitudo est, quanta sublimitas inter ruinas generis humani stare erectum, nec cum eis quibus spes in Deum nulla est jacere prostratum! Gratulari magis oportet et temporis munus amplecti, quod dum nostram fidem fortiter promimus, et labore tolerato ad Christum per angustam Christi viam pergimus, praemium viae ejus et fidei ipso judicante capiamus.

Eccl. xxvii. 5.

IX. Mori plane timeat, sed qui ex aqua et spiritu non renatus, gehennae ignibus mancipatur. Mori timeat qui non Christi cruce et passione censetur. Mori timeat qui ad secundam mortem de hac morte transibit. Mori timeat quem de saeculo recedentem perennibus poenis aeterna flamma torquebit. Mori

Mors fortassis Ethnicis timenda, minime Christianis.

timeat cui hoc mora longiore confertur, ut cruciatus ejus et gemitus interim differatur. Multi ex nostris in hac mortalitate moriuntur, hoc est, multi ex nostris de saeculo liberantur. Mortalitas ista ut Judaeis et gentilibus et Christi hostibus pestis est, ita Dei servis salutaris excessus est. Hoc quod sine ullo discrimine generis humani cum injustis moriuntur et justi, non est quod putetis bonis et malis interitum esse communem. Ad refrigerium justi vocantur, ad supplicium rapiuntur injusti. Datur velocius tutela fidentibus, perfidis poena. Improvidi et ingrati sumus, fratres dilectissimi, ad divina beneficia, nec quid nobis conferatur agnoscimus. Excedunt ecce in pace tutae cum gloria sua virgines, venientis antichristi minas et corruptelas et lupanaria non timentes; pueri periculum lubricae aetatis evadunt, ad continentiae atque innocentiae praemium feliciter perveniunt; tormenta jam non timet delicata matrona, metum persecutionis et manus cruciatusque carnificis moriendi celeritate lucrata. Pavore mortalitatis et temporis [*fors.* terroribus] accenduntur tepidi, constringuntur remissi, excitantur ignavi, desertores compelluntur ut redeant, gentiles coguntur ut credant, vetus fidelium populus ad quietem vocatur, ad aciem recens et copiosus exercitus robore fortiore colligitur, pugnaturus sine metu mortis quum proelium venerit, qui ad militiam tempore mortalitatis accedit.

Multis de causis utilis est Pestis.

X. Quid deinde illud, fratres dilectissimi, quale est, quam pertinens, quam necessarium, quod pestis ista et lues, quae horribilis et feralis videtur, explorat justitiam singulorum, et mentes humani generis examinat, an infirmis serviant sani, an propinqui

cognatos pie diligant, an misereantur servorum languentium domini, an deprecantes aegros non deserant medici, an feroces violentiam suam comprimant, an rapaces avaritiae furentis insatiabilem semper ardorem vel metu mortis exstinguant, an cervicem flectant superbi, an audaciam leniant improbi, an pereuntibus caris, vel sic aliquid divites indigentibus largiantur et donent sine haerede morituri. Ut nihil aliud mortalitas ista contulerit, hoc Christianis et Dei servis plurimum praestitit, quod martyrium coepimus libenter appetere, dum mortem discimus non timere. Exercitia sunt nobis ista, non funera; dant animo fortitudinis gloriam, contemtu mortis praeparant ad coronam.

XI. Sed fortasse aliquis opponat et dicat: Hoc me ergo in praesenti mortalitate contristat, quod qui paratus ad confessionem fueram, et ad tolerantiam passionis toto me corde et plena virtute devoveram, martyrio meo privor, dum morte praevenior. Primo in loco non est in tua potestate sed in Dei dignatione martyrium, nec potes te dicere perdidisse quod nescis an merearis accipere. Tunc deinde Deus, scrutator renis et cordis et occultorum contemplator et cognitor, videt te et laudat et comprobat, et qui perspicit apud te paratam fuisse virtutem, reddet pro virtute mercedem. Numquid Cain quum Deo munus offerret jam peremerat fratrem? Et tamen parricidium mente conceptum Deus providus ante damnavit. Ut illic cogitatio mala et perniciosa conceptio Deo providente prospecta est, ita et in Dei servis, apud quos confessio cogitatur et martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus Deo judice coronatur. Aliud est martyrio

Nec hoc nomine Pestis aversanda, quod a Martyrio excludat.

animum deesse, aliud animo defuisse martyrium. Qualem te invenit Dominus quum vocat, talem pariter et judicat, quando ipse testetur et dicat, *Et scient omnes Ecclesiae quia ego sum scrutator renis et cordis.* Nec enim sanguinem nostrum quaerit Deus, sed fidem. Nam nec Abraham, nec Isaac, nec Jacob occisi sunt, et tamen fidei ac justitiae meritis honorati inter patriarchas primi esse meruerunt, ad quorum convivium congregatur quisquis fidelis et justus et laudabilis invenitur.

Apoc. ii. 23.

Id unum nobis incumbit, ut ad Dei voluntatem nos componamus.

Matt. viii. 11.

XII. Meminisse debemus voluntatem nos, non nostram, sed Dei facere debere, secundum quod nos Dominus quotidie jussit orare. Quam praeposterum est quamque perversum ut quum Dei voluntatem fieri postulemus, quando evocat nos et accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis ejus imperio pareamus! Obnitimur et reluctamur, et pervicacium more servorum ad conspectum Domini cum tristitia et moerore perducimur, exeuntes istinc necessitatis vinculo, non obsequio voluntatis; et volumus ab eo praemiis coelestibus honorari, ad quem venimus inviti. Quid ergo oramus et petimus ut adveniat regnum coelorum, si captivitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus et poscimus ut acceleret dies regni, si majora desideria et vota potiora sunt servire istic diabolo quam regnare cum Christo?

Notabilis historia mortis cujusdam Episcopi.

XIII. Denique ut manifestius divinae providentiae indicia clarescerent, quod Dominus praescius futurorum suis consulat ad veram salutem, quum quidam de collegis et consacerdotibus nostris infirmitate defessus et de appropinquante jam morte sollicitus commeatum sibi precaretur, adstitit deprecanti et

jam paene morienti juvenis honore et majestate venerabilis, statu celsus, et clarus aspectu, et quem assistentem sibi vix posset humanus aspectus oculis carnalibus intueri, nisi quod talem videre jam poterat de saeculo recessurus. Atque ille non sine quadam animi et vocis indignatione infremuit et dixit, 'Pati timetis, exire non vultis, quid faciam 'vobis?' Increpantis vox est et monentis; qui de persecutione sollicitus, de accersitione securus, non consentit ad praesens desiderium, sed consulit in futurum. Audivit frater noster et collega moriturus quod ceteris diceret. Nam qui moriturus audivit, ad hoc audivit ut diceret. Audivit non sibi ille, sed nobis. Nam quid sibi disceret jam recessurus? Dicidit immo remanentibus, ut dum sacerdotem qui commeatum petebat increpitum esse comperimus, quid cunctis expediat agnosceremus.

Cypriano divinitus revelatum, ut contra mortis metum fratres armaret.

XIV. Nobis quoque ipsis minimis et extremis quoties revelatum est, quam frequenter atque manifeste de Dei dignatione praeceptum est ut contestarer assidue et publice praedicarem fratres nostros non esse lugendos accersitione Dominica de saeculo liberatos, quum sciamus non eos amitti, sed praemitti, recedentes praecedere, ut proficiscentes, ut navigantes solent, desiderari eos debere, non plangi, nec accipiendas esse hic atras vestes, quando illi ibi indumenta alba jam sumpserint, occasionem dandam non esse Gentilibus ut nos merito ac jure reprehendant quod quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos et perditos lugeamus, et fidem quam sermone et voce depromimus cordis et pectoris testimonio non probemus.

Spei et fidei

XV. Spei nostrae ac fidei praevaricatores sumus;

praevaricatio est mortem refugere.

simulata, ficta, fucata videntur esse quae dicimus. Nihil prodest verbis praeferre virtutem et factis destruere veritatem. Improbat denique Apostolus Paulus et objurgat et culpat si qui contristentur in excessu suorum: *Nolumus*, inquit, *ignorare vos, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut et ceteri qui spem non habent. Si enim credimus quia Jesus mortuus est et resurrexit, sic et Deus eos qui dormierunt in Jesu adducet cum illo.* Eos contristari dicit in excessu suorum qui spem non habent. Qui autem spe vivimus, et in Deum credimus, et Christum passum esse pro nobis et resurrexisse confidimus, in Christo manentes, et per ipsum atque in ipso resurgentes, quid aut ipsi recedere istinc de saeculo nolumus, aut nostros recedentes quasi perditos plangimus ac dolemus, ipso Christo Domino et Deo nostro monente, ac dicente, *Ego sum resurrectio et vita. Qui credit in me, licet moriatur, vivet; et omnis qui vivit et credit in me non morietur in aeternum?* Si in Christum credimus, si fidem verbis et promissis ejus habemus, et non morimur in aeternum, ad Christum, cum quo et victuri et regnaturi semper sumus, laeta securitate veniamus. Quod interim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur; nec potest vita aeterna succedere, nisi hinc contigerit exire. Non est exitus iste, sed transitus, et temporali itinere decurso ad aeterna transgressus. Quis non ad meliora festinet? Quis non mutari et reformari ad Christi speciem, et ad coelestis gloriae dignitatem venire citius exoptet, Paulo Apostolo praedicante, et dicente, *Nostra autem conversatio*, inquit, *in coelis est, unde et Dominum exspectamus Jesum Christum, qui transformabit corpus*

1 Thess. iv. 13.

Joan. xi. 25.

Philipp. iii. 20.

humilitatis nostrae conformatum corpori claritatis suae? Tales nos futuros et Christus Dominus pollicetur, quando ut cum illo simus, et cum illo in aeternis sedibus vivamus, atque in regnis coelestibus gaudeamus, Patrem pro nobis precatur, dicens, *Pater, quos mihi dedisti, volo ut ubi ego fuero et ipsi sint mecum, et videant claritatem quam mihi dedisti prius quam mundus fieret.* Joan. xvii. 24.

Justissima gaudii causa quod mortis interventu Christo jungatur fidelis.

XVI. Venturus ad Christi sedem, ad regnorum coelestium claritatem, lugere non debet nec plangere, sed potius secundum pollicitationem Domini, secundum fidem veri, in profectione hac sua et translatione gaudere. Sic denique invenimus et Enoch translatum esse, qui Deo placuit, sicut in Genesi testatur et loquitur Scriptura divina, *Et placuit Enoch Deo, et non est inventus postmodum, quia Deus illum transtulit.* Gen. v. 24. Heb. xi. 5. Hoc fuit placuisse in conspectu Dei, de hoc contagio saeculi meruisse transferri. Sed et per Salomonem docet Spiritus Sanctus eos qui Deo placeant maturius istinc eximi et citius liberari, ne dum in isto mundo diutius immorantur, mundi contactibus polluantur. *Raptus est,* inquit, *ne malitia mutaret intellectum illius, placita enim erat Deo anima ejus : propter hoc properavit educere eum de media iniquitate.* Sap. iv. 11. Sic et in Psalmis ad Dominum properat spiritali fide Deo suo anima devota dicens, *Quam dilectissimae habitationes tuae, Deus virtutum! Desiderat et properat anima mea ad atria Dei.* Ps. lxxxiv. 1. Ejus est in mundo diu velle remanere quem mundus oblectat, quem saeculum blandiens atque decipiens illecebris terrenae voluptatis invitat.

Quod etiam a mundi hostili in-

XVII. Porro quum mundus oderit Christianum, quid amas eum qui te odit, et non magis sequeris

cursu liberetur. Christum, qui te et redemit et diligit? Joannes in epistola sua clamat et loquitur, et ne carnalia desideria sectantes mundum diligamus hortatur: *Nolite*, inquit, *diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est caritas Patris in illo: quia omne quod in mundo est concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum et ambitio saeculi, quae non est a Patre, sed ex concupiscentia mundi; et mundus transibit et concupiscentia ejus. Qui autem fecerit voluntatem Dei manet in aeternum, quomodo et Deus manet in aeternum.* Potius, fratres dilectissimi, mente integra, fide firma, virtute robusta, parati ad omnem voluntatem Dei simus; pavore mortis excluso, immortalitatem quae sequitur cogitemus. Hoc nos ostendamus esse quod credimus, ut neque carorum lugeamus excessum, et quum accersitionis propriae dies venerit, incunctanter et libenter ad Dominum ipso vocante veniamus.

1 Joan. ii. 15.

Praesertim quum jam, in fine saeculi, mala gravissima impendeant. XVIII. Quod quum semper faciendum fuerit Dei servis, nunc fieri multo magis debet, corruente jam mundo et malorum infestantium turbinibus obsesso; ut qui cernimus coepisse jam gravia, et scimus imminere graviora, lucrum maximum computemus, si istinc velocius recedamus. Si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent, tecta desuper tremerent, domus jam fatigata, jam lassa, aedificiis senectute labentibus, ruinam proximam minaretur, nonne omni celeritate migrares? Si navigante te turbida et procellosa tempestas fluctibus violentius excitatis praenuntiaret futura naufragia, nonne portum velociter peteres? Mundus ecce nutat et labitur, et ruinam sui non jam senectute rerum sed fine testatur; et

tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quod exitu maturiore subtractus, ruinis et naufragiis et plagis imminentibus eximaris ?

XIX. Considerandum est, fratres dilectissimi, et identidem cogitandum, renuntiasse nos mundo, et tanquam hospites et peregrinos hic interim degere. Amplectamur diem qui assignat singulos domicilio suo, qui nos istinc ereptos et laqueis saecularibus exsolutos Paradiso restituit et regno. Quis non peregre constitutus properaret in patriam regredi ? Quis non ad suos navigare festinans ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter caros liceret amplecti? Patriam nostram Paradisum computamus, parentes patriarchas habere jam coepimus. Quid non properamus et currimus ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus ? Magnus illic nos carorum numerus exspectat ; parentum, fratrum, filiorum frequens nos et copiosa turba desiderat, jam de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum et complexum venire quanta et illis et nobis in commune laetitia est ! Qualis illic coelestium regnorum voluptas sine timore moriendi, et cum aeternitate vivendi quam summa et perpetua felicitas ! Illic Apostolorum gloriosus chorus, illic Prophetarum exsultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis et passionis victoriam coronatus, triumphantes Virgines, quae concupiscentiam carnis et corporis continentiae robore subegerunt, remunerati misericordes, qui alimentis et largitionibus pauperum justitiae opera fecerunt, qui Dominica praecepta servantes ad coelestes thesauros terrena patrimonia

transtulerunt. Ad hos, fratres dilectissimi, avida cupiditate properemus, ut cum his cito esse, ut cito ad Christum pervenire contingat, optemus. Hanc cogitationem nostram Deus videat, hoc propositum mentis et fidei Dominus Christus aspiciat, daturus eis gloriae suae ampliora praemia quorum circa se fuerint desideria majora.

S. CAECILII CYPRIANI

LIBER

DE OPERE ET ELEEMOSYNIS.

I. MULTA et magna sunt, fratres carissimi, beneficia divina, quibus in salutem nostram Dei Patris et Christi larga et copiosa clementia et operata sit et semper operetur, quod conservandis ac vivificandis nobis Pater Filium misit, ut reparare nos posset, quodque Filius missus esse et hominis filius fieri voluit ut nos Dei filios faceret. Humiliavit se, ut populum qui prius jacebat erigeret. Vulneratus est, ut vulnera nostra curaret. Servivit, ut ad libertatem servientes extraheret. Mori sustinuit, ut immortalitatem mortalibus exhiberet. Multa haec sunt et magna divinae misericordiae munera. Sed adhuc qualis providentia illa et quanta clementia est, quod nobis salutari ratione prospicitur, ut homini qui redemptus est, reservando plenius consulatur! Nam quum Dominus adveniens sanasset illa quae Adam portaverat vulnera, et venena serpentis antiqua curasset, legem dedit sano, et praecepit ne ultra jam peccaret, ne quid peccanti gravius eveniret. Coartati eramus et in angustum innocentiae praescriptione conclusi. Nec haberet quid fragilitatis hu-

Inter praecipua Dei beneficia reputandum est, quod nobis liceat aliis benefacere.

Joan. v. 14.

manae infirmitas atque imbecillitas faceret, nisi iterum pietas divina subveniens, justitiae et misericordiae operibus ostensis, viam quandam tuendae salutis aperiret, ut sordes postmodum quascunque contrahimus eleemosynis abluamus. Loquitur in Scripturis divinis Spiritus Sanctus, et dicit, *Eleemosynis et fide delicta purgantur.* Non utique illa delicta quae fuerant ante contracta. Nam illa Christi sanguine et sanctificatione purgantur. Idem denuo dicit, *Sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccatum.* Hic quoque ostenditur et probatur quia sicut lavacro aquae salutaris gehennae ignis exstinguitur, ita et eleemosynis atque operationibus justis delictorum flamma sopitur. Et quia semel in baptismo remissa peccatorum datur, assidua et jugis operatio baptismi instar imitata Dei [*fors.* Deum] rursus indulgentiam largitur. Hoc et in Evangelio Dominus docet. Nam quum denotarentur discipuli ejus quod ederent, nec prius manus abluissent, respondit, et dixit, *Qui fecit quod intus est fecit et quod foris est. Verum date eleemosynam, et ecce, vobis munda omnia.* Docens scilicet et ostendens non manus lavandas esse, sed pectus, et sordes intrinsecus potius quam extrinsecus detrahendas, verum qui purgaverit quod est intus, eum quoque id quod foris est repurgasse, et emundata mente, cute quoque et corpore mundum esse coepisse. Porro autem monens et ostendens unde mundi et purgati esse possimus, addidit eleemosynas esse faciendas. Misericors docet et monet misericordiam fieri; et quia servare quaerit quos magno pretio redemit, post baptismi gratiam sordidatos docet denuo posse purgari. Agnoscamus itaque, fratres carissimi, divinae indulgentiae munus

Tob. iv. Prov. xv. 29.

Eccl. iii. 38.

Luc. xi. 41.

salubre, et emundandis purgandisque peccatis nostris, qui sine aliquo conscientiae vulnere esse non possumus, medelis spiritalibus vulnera nostra curemus.

II. Nec quisquam sic sibi de puro atque immaculato pectore blandiatur, ut innocentia sua fretus medicinam non putet adhibendam esse vulneribus, quum scriptum sit, *Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse a peccatis?* et iterum in epistola sua Joannes ponat et dicat, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est.* Si autem nemo esse sine peccato potest, et quisquis inculpatum se esse dixerit aut superbus aut stultus est, quam necessaria, quam benigna est divina clementia, quae quum sciat non deesse sanatis quaedam postmodum vulnera, dedit curandis denuo sanandisque vulneribus remedia salutaria.

Frustra innocentiam jactat aliquis, quasi misericordia Divina illi non esset opus. Prov. xx. 9.

1 Joan. i. 10.

III. Nunquam denique, fratres dilectissimi, admonitio divina cessavit et tacuit quo minus in Scripturis sanctis tam veteribus quam novis semper et ubique ad misericordiae opera Dei populus provocaretur; et canente atque exhortante Spiritu Sancto quisquis ad spem regni coelestis instruitur, facere eleemosynas jubetur. Mandat et praecipit Esaiae Deus: *Exclama*, inquit, *in fortitudine et noli parcere. Sicut tuba exalta vocem tuam, et annuntia plebi meae peccata ipsorum, et domui Jacob facinora eorum.* Et quum peccata eis sua exprobrari praecepisset, quumque eorum facinora pleno indignationis impetu protulisset, dixissetque eos nec si orationibus et precibus et jejuniis uterentur satisfacere pro delictis posse, nec si in cilicio et cinere volverentur,

In officiis misericordiae exigendis, minime cessant divina eloquia.

Esai. lviii. 1.

iram Dei posse lenire, in novissima tamen parte demonstrans solis eleemosynis Deum posse placari,
Esai. lviii. 7. addidit, dicens, *Frange esurienti panem tuum, et egenos sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, vesti eum, et domesticos seminis tui non despicias. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, et vestimenta tua cito orientur, et praeibit ante te justitia, et claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis, et Deus exaudiet te. Dum adhuc loqueris, dicet, Ecce, adsum.* Remedia propitiando Dei ipsius Dei verbis data sunt, quid deberent facere peccantes magisteria divina docuerunt, operationibus justis Deo satisfieri, misericordiae meritis peccata purgari. Et
Prov. xxi. apud Salomonem legimus, *Conclude eleemosynam in corde pauperis, et haec pro te exorabit ab omni malo.*
—— 13. Et iterum: *Qui obturat aures ne audiat imbecillum, et ipse invocabit Deum, et non erit qui exaudiat eum.* Neque enim promereri misericordiam Domini poterit qui misericors ipse non fuerit, aut impetrabit de divina pietate aliquid in precibus qui ad precem pauperis non fuerit humanus. Quod item in Psalmis
Ps. xli. 1. Spiritus Sanctus declarat et probat, dicens, *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Quorum praeceptorum memor Daniel, quum rex Nabuchodonosor adverso somnio territus aestuaret, pro avertendis malis ad divinam
Dan. v. 27. opem impetrandam remedium dedit, dicens, *Propterea, rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime et injustitias tuas miserationibus pauperum, et erit Deus parcens peccatis tuis.* Cui rex non obtemperans adversa quae viderat et infesta perpessus est, quae evadere et vitare potuisset, si peccata sua eleemosynis redemisset. Raphael quoque

Angelus paria testatur, et ut eleemosyna libenter ac largiter fiat hortatur, dicens, *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna: quia eleemosyna a morte liberat, et ipsa purgat peccata.* Ostendit orationes nostras ac jejunia minus posse nisi eleemosynis adjuventur, deprecationes solas parum ad impetrandum valere, nisi factorum et operum accessione satientur. Revelat Angelus et manifestat et firmat eleemosynis petitiones nostras efficaces fieri, eleemosynis vitam de periculis redimi, eleemosynis animas a morte liberari. Tob. xii. 8.

IV. Nec sic, fratres carissimi, ista proferimus ut non quod Raphael Angelus dixit veritatis testimonio comprobemus. In Actibus Apostolorum facti fides posita est; et quod eleemosynis, non tantum a secunda, sed a prima morte animae liberentur, gestae et impletae rei probatione compertum est. Tabitha operationibus justis et eleemosynis praestandis plurimum dedita quum infirmata esset et mortua, ad cadaver exanime Petrus accitus est, qui quum impigre pro apostolica humanitate venisset, circumsteterunt eum viduae flentes et rogantes, pallia et tunicas et omnia illa quae prius sumpserant indumenta monstrantes, nec pro defuncta suis vocibus, sed ipsius operibus deprecantes. Sensit Petrus impetrari posse quod sic petebatur, nec defuturum Christi auxilium viduis deprecantibus, quando esset in viduis ipse vestitus. Quum itaque genibus nixus orasset, et viduarum ac pauperum idoneus advocatus legatas sibi preces ad Dominum pertulisset, conversus ad corpus, quod in tabula jam lotum jacebat, *Tabitha*, inquit, *exsurge in nomine Jesu Christi.* Nec defuit Petro quo minus statim ferret auxilium qui in Evangelio Eleemosynae non tantum a secunda, sed etiam a prima morte liberant. Act. ix. 40.

dari dixerat quicquid fuisset ejus nomine postulatum. Mors itaque suspenditur, et spiritus redditur, et mirantibus ac stupentibus cunctis ad hanc mundi denuo lucem redivivum corpus animatur. Tantum potuerunt misericordiae merita, tantum opera justa valuerunt. Quae laborantibus viduis largita fuerat subsidia vivendi, meruit ad vitam viduarum petitione revocari.

Nullum mandatum a Domino crebrius praecipitur, aut acrius urgetur, quam ut insistamus Eleemosynis.

V. Itaque in Evangelio, Dominus, doctor vitae nostrae, et magister salutis aeternae, vivificans credentium populum, et vivificatis consulens in aeternum, inter sua mandata divina et praecepta coelestia nihil crebrius mandat et praecipit quam ut insistamus eleemosynis dandis, nec terrenis possessionibus incubemus, sed coelestes thesauros potius recondamus.

Luc. xii. 33. Matt. vi. 19. *Vendite*, inquit, *res vestras, et date eleemosynam.* Et iterum, *Nolite vobis condere thesauros super terram, ubi tinea et comestura exterminat, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in coelo, ubi neque tinea neque comestura exterminat, et ubi fures non effodiunt nec furantur. Ubi enim fuerit thesaurus tuus, illic erit et cor tuum.* Et quum observata Lege perfectum et consummatum vellet ostendere, *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade et vende omnia tua, et da egenis, et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me.* Item alio loco negotiatorem coelestis gratiae et comparatorem salutis aeternae, distractis omnibus rebus suis, pretiosam margaritam, hoc est, vitam aeternam Christi cruore pretiosam, de quantitate patrimonii sui dicit debere mercari. *Simile est*, inquit, *regnum coelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas. Ubi autem invenit pretiosam margaritam,*

Matt. xix. 21.

Matt. xiii. 45.

abiit, et vendidit omnia quae habuit, et emit illam. Eos denique et Abrahae filios dicit quos in juvandis alendisque pauperibus operarios cernit. Nam quum Zachaeus dixisset, *Ecce, dimidium ex substantia mea* Luc. xix. 8.
do egenis, et si cui quid fraudavi, quadruplum reddo, respondit Jesus, et dixit, *Quia salus hodie huic domui facta est, quoniam et hic filius est Abrahae.* Nam si Abraham credidit Deo, et deputatum est ei Gen. xv. 6.
ad justitiam, utique qui secundum praeceptum Dei eleemosynas facit, Deo credit, et qui habet fidei veritatem, servat Dei timorem; qui autem Dei timorem servat, in miserationibus pauperum Deum cogitat. Operatur enim ideo quia credit, quia scit vera esse quae praedicta sunt verbis Dei, nec Scripturam sanctam posse mentiri; arbores infructuosas, Matt. iii. 10.
id est, steriles homines, excidi et in ignem mitti, misericordes autem ad regnum vocari. Qui et alio in loco operarios et fructuosos fideles appellat, infructuosis vero et sterilibus fidem derogat, dicens, *Si in injusto mammona fideles non fuistis, quod est* Luc. xvi. 11.
verum quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis, quod est vestrum quis dabit vobis?

VI. Sed vereris et metuis ne si operari plurimum coeperis, patrimonio tuo larga operatione finito ad penuriam forte redigaris: esto in hac parte intrepidus, esto securus: finiri non potest unde in usus Christi impenditur, unde opus coeleste celebratur. Nec hoc tibi de meo spondeo, sed de sanctarum Scripturarum fide et divinae pollicitationis auctoritate promitto. Loquitur per Salomonem Spiritus Sanctus et dicit, *Qui dat pauperibus, nunquam egebit,* Prov. xxviii. 27.
qui autem avertit oculum suum, in magna penuria erit; ostendens misericordes atque operantes egere

Inanis metus quo quis veretur, ne larga operatione ad penuriam redigatur.

non posse, magis parcos et steriles ad inopiam postmodum devenire. Item beatus Apostolus Paulus, Dominicae inspirationis gratia plenus, *Qui administrat*, inquit, *semen seminanti, et panem ad edendum praestabit, et multiplicabit seminationem vestram, et augebit incrementa frugum justitiae vestrae, ut in omnibus locupletemini.* Et iterum, *Administratio hujus officii non tantum supplebit ea quae sanctis desunt, sed et abundabit per multam gratiarum actionem in Deum.* Quoniam dum gratiarum actio ad Deum pro eleemosynis atque operationibus nostris pauperum oratione dirigitur, census operantis Dei retributione cumulatur. Et Dominus in Evangelio jam tunc ejusmodi hominum corda considerans, et perfidis atque incredulis praescia voce denuntians, contestatur, et dicit, *Nolite cogitare, dicentes, Quid edemus, aut quid bibemus, aut quid vestiemur? Haec enim nationes quaerunt. Scit autem Pater vester quia omnium horum indigetis. Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus, et omnia ista apponentur vobis.* Eis omnia apponi dicit et tradi, qui regnum et justitiam Dei quaerunt. Eos enim Dominus, quum judicii dies venerit, ad percipiendum regnum dicit admitti qui fuerint in Ecclesia ejus operati. Metuis ne patrimonium tuum forte deficiat, si operari ex eo largiter coeperis, et nescis, miser, quia dum times ne res familiaris deficiat, vita ipsa et salus deficit; et dum ne quid de rebus tuis minuatur attendis, non respicis quod ipse minuaris, amator magis mammonae quam animae tuae; ut dum times ne pro te patrimonium tuum perdas, ipse pro patrimonio tuo pereas. Et ideo bene Apostolus clamat, et dicit, *Nihil intulimus in hunc mundum,*

2 Cor. ix. 10.

2 Cor. ix. 12.

Matt. vi. 31.

1 Tim. vi. 7.

verum nec auferre quid possumus. Habentes itaque exhibitionem et tegumentum, his contenti simus. Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in muscipulam et desideria multa et nocentia, quae mergunt hominem in perditionem et in interitum. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes naufragaverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis.

VII. Metuis ne patrimonium tuum forte deficiat, si operari ex eo largiter coeperis? Quando enim factum est ut justo possent deesse subsidia, quum scriptum sit, *Non occidet fame Dominus animam justam?* Helias in solitudine corvis ministrantibus pascitur, et Danieli in lacu ad leonum praedam jussu regis incluso prandium divinitus apparatur; et tu metuis ne operanti tibi et Dominum promerenti desit alimentum, quando ipse in Evangelio, ad exprobrationem eorum quibus mens dubia est et fides parva, contestetur, et dicat, *Aspicite volatilia coeli, quoniam non seminant, neque metunt, neque colligunt in horrea, et Pater vester coelestis alit illa. Nonne vos pluris illis estis?* Volucres Deus pascit, et passeribus alimenta diurna praestantur; et quibus nullus divinae rei sensus est, eis nec potus nec cibus deest. Tu Christiano, tu Dei servo, tu operibus bonis dedito, tu Domino suo caro aliquid existimas defuturum? nisi si putas quia qui Christum pascit, a Christo ipse non pascitur, aut eis terrena deerunt quibus coelestia et divina tribuuntur.

Non vanus tantum sed impius praetextus a futurae inopiae metu ducitur. Prov. x. 3. 3 Reg. xvii. 6. Dan. xii. apud LXX. Matt. vi. 26.

VIII. Unde haec incredula cogitatio, unde impia et sacrilega ista meditatio? Quid facit in domo fidei perfidum pectus? Quid qui Christo omnino non credit appellatur et dicitur Christianus? Phari-

Cogitatio haec Pharisaeo congruit, non Christiano.

saei tibi magis congruit nomen. Nam quum Dominus in Evangelio de eleemosynis disputaret, et ut nobis amicos de terrestribus lucris provida operatione faceremus, qui nos postmodum in tabernacula aeterna susciperent, fideliter ac salubriter praemoneret, addidit post haec Scriptura, dicens, *Audiebant autem haec omnia Pharisaei, qui erant cupidissimi, et irridebant eum.* Quales nunc quosdam in Ecclesia videmus, quorum praeclusae aures et corda caecata nullum de spiritalibus ac salutaribus monitis lumen admittunt; de quibus mirari non oportet quod contemnant in tractatibus servum, quando a talibus ipsum Dominum videamus esse contemtum.

Luc. xvi. 14.

Sterilitatem sola avaritia efficit.

IX. Quid tibi in istis ineptis et stultis cogitationibus plaudis, quasi metu et sollicitudine futurorum ab operibus retarderis? Quid umbras et praestigias quasdam vanae excusationis obtendis? Confitere immo quae vera sunt, et quia scientes non potes fallere, secreta et abdita mentis exprome. Obsederunt animum tuum sterilitatis tenebrae, et recedente inde lumine veritatis, carnale pectus alta et profunda avaritiae caligo caecavit. Pecuniae tuae captivus et servus es, catenis cupiditatis et vinculis alligatus es, et quem jam solverat Christus, denuo vinctus es. Servas pecuniam, quae te servata non servat. Patrimonium cumulas, quod te pondere suo onerat; nec meministi quid Deus responderit diviti exuberantium fructuum copiam stulta exultatione jactanti: *Stulte*, inquit, *hac nocte expostulatur anima tua a te. Quae ergo parasti cujus erunt?* Quid divitiis tuis solus incubas, quid in poenam tuam patrimonii tui pondus exaggeras, ut quo locupletior saeculo fueris, pauperior Deo fias? Reditus tuos divide

Luc. xii. 20.

cum Domino Deo tuo, fructus tuos partire cum Christo, fac tibi possessionum terrestrium Christum participem, ut et ille te sibi faciat regnorum coelestium cohaeredem.

X. Erras et falleris quisquis te in saeculo divitem credis. Audi in Apocalypsi Domini tui vocem ejusmodi homines justis objurgationibus increpantem: *Dicis*, inquit, *dives sum, et ditatus sum, et nullius rei egeo; et nescis quoniam tu es miser, et miserabilis, et pauper, et caecus, et nudus. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum de igni ut sis dives, et vestem album ut vestiaris, et non appareat in te foeditas nuditatis tuae, et collyrio inunge oculos tuos ut videas.* Qui ergo locuples et dives es, eme tibi a Christo aurum ignitum, ut sordibus tuis tanquam igne decoctis, esse aurum mundum possis, si eleemosynis et justa operatione purgeris. Eme tibi albam vestem, ut qui secundum Adam nudus fueras, et horrebas ante deformis, indumento Christi candido vestiaris. Et quae matrona locuples et dives es, inunge oculos tuos, non stibio diaboli, sed collyrio Christi, ut pervenire ad videndum Deum possis, dum Deum et operibus et moribus promereris. Ceterum quae talis es, nec operari in Ecclesia potes; egentem enim et pauperem non vident oculi tui superfusi nigroris tenebris et nocte contecti.

Solus ille dives qui in opere largus. Alii omnes pauperes, caeci, et miseri. Apoc. iii. 17.

XI. Locuples et dives es, Dominicum celebrare te credis, quae *Corban* omnino non respicis, quae in Dominicum sine sacrificio venis, quae partem de sacrificio quod pauper obtulit sumis? Intuere in Evangelio viduam praeceptorum coelestium memorem inter ipsas pressuras et angustias egestatis operantem, in gazophylacium duo quae sola sibi fuerant

Res nullo modo excusanda, ut quis ad Eucharistiam sine oblatione accedat.

minuta mittentem, quam quum animadverteret Dominus et videret, non de patrimonio sed de animo opus ejus examinans, et considerans non quantum
Luc. xxi. 3. sed ex quanto dedisset, respondit, et dixit, *Amen dico vobis, quoniam vidua ista plus omnibus misit in dona Dei. Omnes enim isti ex eo quod abundavit illis miserunt in dona Dei. Haec autem de inopia sua omnem quemcunque habuit victum misit.* Multum beata mulier et gloriosa, quae etiam ante diem judicii meruit Judicis voce laudari. Pudeat divites sterilitatis atque infelicitatis suae. Vidua et inops in opere invenitur. Quumque universa quae dantur pupillis et viduis conferantur, dat illa quam oportebat accipere, ut sciamus quae poena sterilem divitem maneat, quando hoc ipso documento operari etiam pauperes debeant. Atque ut intelligamus haec opera Deo dari et eum quisquis haec faciat Dominum promereri, Christus illud *Dei dona* appellat, et in *dona Dei* viduam duos quadrantes misisse significat, ut magis ac magis possit esse manifestum quia *qui miseretur pauperis Deum foenerat.*

Familiae cura minime excusat.

XII. Sed nec illa res, fratres carissimi, a bonis operibus et justis refraenet et revocet Christianum, quod excusari se posse aliquis existimet beneficio filiorum, quando in impensis spiritalibus Christum cogitare, qui accipere se professus est, debeamus, nec conservos liberis nostris sed Dominum praeferamus,
Matt. x. 37. ipso instruente et monente. *Qui diligit,* inquit, *patrem aut matrem super me, non est me dignus; et qui diligit filium aut filiam super me, non est me dignus.* Item in Deuteronomio ad corroborationem
Deut. xxxiii. 9. fidei et dilectionem Dei paria conscripta sunt: *Qui dicunt,* inquit, *patri aut matri, non novi te, et filios*

suos non agnoverunt, hi custodierunt praecepta tua, et testamentum tuum servaverunt. Nam si Deum toto corde diligimus, nec parentes nec filios Deo praeferre debemus. Quod et Joannes in epistola sua ponit, caritatem Dei apud eos non esse quos videamus operari in pauperes nolle: *Qui habuerit,* inquit, *substantiam mundi, et viderit fratrem suum desiderantem, et clauserit viscera sua, quomodo caritas Dei manet in illo?* Si enim Deus eleemosynis pauperum foeneratur, et quum datur minimis Christo datur, non est quod quis terrena coelestibus praeferat nec divinis humana praeponat. 1 Joan. iii. 17.

XIII. Sic vidua illa in tertio Regnorum libro, quum in siccitate et fame consumptis omnibus de modico farre et oleo quod superfuerat fecisset subcinericium panem, quo absumpto moritura cum liberis esset, supervenit Helias, et petiit sibi prius ad edendum dari, tunc quod superfuisset inde illam cum filiis suis vesci. Nec obtemperare illa dubitavit, aut Heliae filios mater in fame et egestate praeposuit. Fit immo in conspectu Dei quod Deo placeat; prompte ac libenter quod petebatur offertur; nec de abundantia portio, sed de modico totum datur, et esurientibus liberis alter prius pascitur, neque in penuria et fame cibus ante quam misericordia cogitatur; ut dum in opere salutari carnaliter vita contemnitur, spiritaliter anima servetur. Helias itaque typum Christi gerens, et quod ille pro misericordia vicem singulis reddat ostendens, respondit, et dixit, *Haec dicit Dominus, Fidelia farris non deficiet, et capsaces olei non minuetur usque in diem quod abit Dominus imbrem super terram.* Secundum divinae pollicitationis fidem multiplicata sunt viduae Quantum sit ex hoc dispendio compendium, exemplis monebatur. Tob. xiv. 10. 3 Reg. xvii. 14.

et cumulata quae praestitit, et operibus justis ac misericordiae meritis augmenta et incrementa sumentibus, farris et olei vasa completa sunt. Nec filiis abstulit mater quod Heliae dedit, sed magis contulit filiis quod benigne et pie fecit. Et illa nondum Christum sciebat, nondum praecepta ejus audierat, non cruce et passione ejus redempta cibum et potum pro sanguine rependebat; ut ex hoc appareat quantum in Ecclesia peccet qui se et filios Christo anteponens divitias suas servat, nec patrimonium copiosum cum indigentium paupertate communicat.

Multitudo liberorum beneficentiam uberiorem suadere debet.

XIV. Sed enim multi sunt in domo liberi, et retardat te numerositas filiorum quo minus largiter bonis operibus insistas. Atqui hoc ipso operari amplius debes quo multorum pignorum pater es. Plures sunt pro quibus Dominum depreceris, multorum delicta redimenda sunt, multorum purgandae conscientiae, multorum animae liberandae. Ut in hac vita saeculari alendis sustinendisque pignoribus quo major est numerus, hoc major et sumptus est, ita et in vita spiritali atque coelesti, quo amplior fuerit pignorum copia, esse et operum debet major impensa. Sic et Job sacrificia numerosa pro liberis offerebat; quantusque erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur Deo et numerus hostiarum. Et quoniam quotidie deesse non potest quod peccetur in conspectu Dei, sacrificia quotidiana non deerant, quibus possent peccata tergeri. Probat Scriptura divina, dicens, *Job homo verus et justus habuit filios septem et filias tres, et emundabat illos, offerens pro eis hostias Deo secundum numerum illorum, et pro peccatis eorum vitulum unum.* Si ergo

Job. i.

vere filios tuos diligis, si eis exhibes plenam et paternam dulcedinem caritatis, operari magis debes ut filios tuos Deo justa operatione commendes. Nec eum liberis tuis cogites patrem qui et temporarius et infirmus est, sed illum pares qui aeternus et firmus filiorum spiritalium Pater est. Illi assigna facultates tuas quas haeredibus servas. Ille sit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes injurias saeculares divina majestate protector. Patrimonium Deo creditum nec respublica eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit. In tuto haereditas ponitur quae Deo custode servatur. Hoc est caris pignoribus in posterum providere, hoc est futuris haeredibus paterna pietate consulere secundum fidem Scripturae sanctae dicentis, *Junior fui, et* Ps. xxxvi. *senui, et non vidi justum derelictum, neque semen ejus egens pane. Tota die miseretur et foenerat, et semen ejus in benedictione est.* Et iterum, *Qui con-* Prov. xx. *versatur sine vituperatione in justitia, beatos post se filios relinquet.*

XV. Praevaricator itaque et proditor pater es, nisi filiis tuis fideliter consulas, nisi conservandis eis religiosa et vera pietate prospicias. Qui studes terreno magis quam coelesti patrimonio, filios tuos diabolo magis commendare quam Christo, bis delinquis, et geminum ac duplex crimen admittis, et quod non praeparas filiis tuis Dei Patris auxilium, et quod doces filios patrimonium plus amare quam Christum. Esto potius liberis tuis pater talis qualis Tobias exstitit. Da utilia et salutaria praecepta pignoribus qualia ille filio dedit, manda filiis tuis quod et ille filio mandavit, dicens, *Et nunc, fili, mando* Tob.xiv.10. *tibi, servi Deo in veritate, et fac coram illo quod illi*

Male filiis consulunt, qui non thesauros cum foenore reddendos apud pauperes recondunt.

placet, et filiis tuis manda ut faciant justitiam et eleemosynas, et sint memores Dei, et benedicant nomen
Tob. iv. 5. *ejus omni tempore.* Et iterum, *Omnibus diebus vitae tuae, fili dilectissime, Deum in mente habe, et noli praeterire praecepta ejus. Justitiam fac omnibus diebus vitae tuae, et noli ambulare viam iniquitatis; quoniam agente te ex veritate, erit respectus operum tuorum. Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita fiet ut nec a te avertatur facies Dei. Prout habueris, fili, sic fac. Si tibi fuerit copiosa substantia, plus ex illa fac eleemosynam. Si exiguum habueris, ex hoc ipso exiguo communica. Et ne timueris quum facis eleemosynam. Praemium enim bonum reponis tibi in diem necessitatis, quia eleemosyna a morte liberat, et non patitur ire in gehennam. Munus bonum est eleemosyna omnibus qui faciunt eam coram summo Deo.*

Eleemosyna Dei spectaculum, cum gentilium et diaboli muneribus comparatur.

XVI. Quale munus est, fratres carissimi, cujus editio Deo spectante celebratur! Si in gentilium munere grande et gloriosum videtur proconsules vel imperatores habere praesentes, et apparatus ac sumptus apud munerarios major est ut possint placere majoribus, quanto illustrior muneris et major est gloria Deum et Christum spectatores habere! Quanto istic et apparatus uberior et sumptus largior exhibendus est ubi ad spectaculum conveniunt coelorum virtutes, conveniunt Angeli omnes, ubi munerario non quadriga vel consulatus petitur, sed vita aeterna praestatur, nec captatur inanis et temporarius favor vulgi, sed perpetuum praemium regni coelestis accipitur! Atque ut pigros et steriles et cupiditate numnaria nihil circa fructum salutis operantes magis pudeat, ut plus conscientiam sordidam

dedecoris ac turpitudinis suae rubor caedat, ponat unusquisque ante oculos suos diabolum cum servis suis, id est, cum populo perditionis ac mortis, in medium prosilire; plebem Christi, praesente et judicante ipso, comparationis examine provocare, dicentem, Ego pro istis quos mecum vides nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam pretio passionis et cruoris redemi; sed nec regnum illis coeleste promitto, nec ad paradisum restituta immortalitate denuo revoco; et munera mihi quam pretiosa, quam grandia, quam nimio et longo labore quaesita sumptuosissimis apparatibus comparant, rebus suis vel obligatis in muneris comparatione vel venditis; ac nisi editio honesta successerit, conviciis ac sibilis ejiciuntur, et furore populari nonnunquam paene lapidantur. Tuos tales munerarios, Christe, demonstra, illos divites, illos copiosis opibus affluentes, an in Ecclesia praesidente et spectante te ejusmodi munus edant, oppigneratis vel distractis rebus suis, immo ad coelestes thesauros mutata in melius possessione translatis. In istis muneribus meis caducis atque terrenis nemo pascitur, nemo vestitur, nemo cibi alicujus aut potus solatio sustinetur. Cuncta inter furorem edentis et spectantis errorem prodiga et stulta voluptatum frustrantium vanitate depereunt. Illic in pauperibus tuis tu vestiris et pasceris, tu aeternam vitam operantibus polliceris; et vix tui meis pereuntibus adaequantur, qui a te divinis mercedibus et praemiis coelestibus honorantur. Quid ad haec respondemus, fratres carissimi? Sacrilega sterilitate et quadam tenebrarum nocte coopertas divitum mentes qua ratione defendimus, qua excusa-

tione purgamus, qui diaboli servis minores sumus, ut Christo pro pretio passionis et sanguinis vicem nec in modicis rependamus?

In die judicii pro beneficentiae ratione sententia fertur.

XVII. Praecepta ille nobis dedit, quid facere servos suos oporteret instruxit; operantibus praemium pollicitus, et supplicium sterilibus comminatus, sententiam suam protulit, quid judicaturus sit ante praedixit. Quae potest excusatio esse cessanti, quae defensio sterili, nisi quod non faciente servo quod praecipitur, Dominus faciet quod minatur? qui et dicit, *Quum venerit Filius hominis in claritate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit in throno claritatis suae, et colligentur ante eum omnes gentes, et segregabit eos ab invicem, quemadmodum pastor segregat oves ab haedis, et statuet oves ad dexteram suam, haedos autem ad sinistram. Tunc dicet Rex iis qui ad dexteram suam erunt, Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi; esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et potastis me; hospes fui, et adduxistis me; nudus, et vestistis me; infirmatus sum, et visitastis me; in carcere fui, et venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi, dicentes, Domine, quando te vidimus esurientem et pavimus, sitientem et potavimus? quando te vidimus hospitem, et adduximus? nudum, et vestivimus? quando autem te vidimus infirmari et in carcere, et venimus ad te? Tunc respondens Rex dicet eis, Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni horum ex fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet et illis qui ad sinistram ejus erunt, Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum quem paravit Pater meus diabolo et angelis ejus; esurivi enim, et non dedistis mihi manducare;*

Matt. xxv. 31.

sitivi, et non potastis me; hospes fui, et non adduxistis me; nudus, et non vestistis me; infirmus et in carcere, et non visitastis me. Tunc respondebunt et ipsi, dicentes, Domine, quando te vidimus esurientem aut sitientem, aut hospitem aut nudum, aut infirmum aut in carcere, et non ministravimus tibi? Et respondebit illis, Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni ex minimis his, neque mihi fecistis. Et abibunt isti in ambustionem aeternam, justi autem in vitam aeternam.

Summa operum misericordiae commendatio, quod Christo praestari dicuntur.

XVIII. Quid potuit nobis majus Christus edicere? Quomodo magis potuit justitiae ac misericordiae nostrae opera provocare quam quod praestari dixit sibi quicquid egenti praestatur et pauperi, et se dixit offendi nisi egenti praestetur et pauperi; ut qui respectu fratris in Ecclesia non movetur, vel Christi contemplatione moveatur, et qui non cogitat in labore atque in egestate conservum, vel Dominum cogitet in ipso illo quem despicit constitutum? Et idcirco, fratres carissimi, quibus metus in Deum pronus est, et spreto calcatoque jam mundo ad superna et divina animus erectus est, fide plena, mente devota, operatione continua, promerendo Domino obsequium praebeamus. Demus Christo vestimenta terrena, indumenta coelestia recepturi. Demus cibum et potum saecularem, cum Abraham et Isaac et Jacob ad convivium coeleste venturi. Ne parum metamus, plurimum seminemus. Securitati ac saluti aeternae dum tempus est consulamus, Paulo Apostolo admonente, et dicente, *Ergo dum tempus habemus operemur quod bonum est ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus.* Gal. vi. 10.

Apostolicorum temporum exemplum proponitur.

XIX. Cogitemus, fratres dilectissimi, quid sub Apostolis fecerit credentium populus, quando inter ipsa primordia majoribus virtutibus mens vigebat, quando credentium fides novo adhuc fidei calore fervebat. Domicilia tunc et praedia venundabant, et dispensandam pauperibus quantitatem libenter ac largiter Apostolis offerebant, terreno patrimonio vendito atque distracto fundos illuc transferentes ubi fructus caperent possessionis aeternae, illic comparantes domos ubi inciperent semper habitare. Talis tunc fuit in operationibus cumulus qualis in dilectione consensus, sicut legimus in Actis Apostolorum: *Turba autem eorum qui crediderunt anima ac mente una agebant, nec fuit inter illos discrimen ullum, nec quicquam suum judicabant ex bonis quae eis erant, sed fuerunt illis omnia communia.* Hoc est nativitate spiritali vere Dei filios fieri, hoc est lege coelesti aequitatem Dei Patris imitari. Quodcunque enim Dei est in nostra usurpatione commune est, nec quisquam a beneficiis ejus et muneribus arcetur quo minus omne humanum genus bonitate ac largitate divina aequaliter perfruatur. Sic aequaliter dies illuminat, sol radiat, imber rigat, ventus aspirat; et dormientibus somnus unus est, et stellarum splendor ac lunae communis est. Quo aequalitatis exemplo qui possessor in terris reditus ac fructus suos cum fraternitate partitur, dum largitionibus gratuitis communis ac justus est, Dei Patris imitator est.

Act. iv. 32.

Merces demum futura proponitur.

XX. Quae illa erit, fratres carissimi, operantium gloria, quam grandis et summa laetitia, quum populum suum Dominus coeperit recensere, et meritis atque operibus nostris praemia promissa contribuens,

pro terrenis coelestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna praestare! offerre nos Patri, cui nos sua sanctificatione restituit, aeternitatem nobis immortalitatemque largiri, ad quam nos sanguinis sui vivificatione reparavit, reduces ad paradisum denuo facere, regna coelorum fide et veritate suae pollicitationis aperire! Haec haereant firmiter sensibus nostris, haec intelligantur plena fide, haec corde toto diligantur, haec indesinentium operum magnanimitate redimantur. Praeclara et divina res [*fors.* res est], fratres carissimi, salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostrae salubre praesidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati, res posita in potestate facientis, res et grandis et facilis, sine periculo persecutionis, corona pacis, verum Dei munus et maximum, infirmis necessarium, fortibus gloriosum, quo Christianus adjutus perfert gratiam spiritalem, promeretur Christum judicem, Deum computat debitorem. Ad hanc operum salutarium palmam libenter ac prompte certemus, omnes in agone justitiae Deo et Christo spectante curramus, et qui saeculo et mundo majores esse jam coepimus, cursum nostrum nulla saeculi et mundi cupiditate tardemus. Si expeditos, si celeres, si in hoc operis agone currentes dies nos vel reditionis vel persecutionis invenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad praemium deerit. In pace vincentibus coronam candidam pro operibus dabit, in persecutione purpuream pro passione geminabit.

S. CAECILII CYPRIANI

LIBER

DE ZELO ET LIVORE.

Invidia hoc ipso gravius malum est, quod leve videtur.

I. ZELARE quod bonum videas et invidere melioribus leve apud quosdam et modicum crimen videtur, fratres dilectissimi; dumque existimatur leve esse et modicum, non timetur; dum non timetur contemnitur; dum contemnitur, non facile vitatur, et fit caeca et occulta pernicies: quae dum minus perspicitur ut caveri a providentibus possit, improvidas mentes latenter affligit. Porro autem Dominus prudentes esse nos jussit, et cauta sollicitudine vigilare praecepit ne adversarius vigilans semper et semper insidians, ubi in pectus obrepserit, de scintillis conflet incendia, de parvis maxima exaggeret, et dum remissis et incautis leniore aura et flatu molliore blanditur, procellis ac turbinibus excitatis, ruinas fidei et salutis ac vitae naufragia moliatur. Excubandum est itaque, fratres dilectissimi, atque omnibus viribus elaborandum ut inimico saevienti, et jacula sua in omnes corporis partes quibus percuti et vulnerari possumus dirigenti, sollicita et plena vigilantia repugnemus, secundum quod Petrus Apostolus in epistola sua praemonet et docet, dicens,

Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, aliquem devorare quaerens. Circuit ille nos singulos, et tanquam hostis clausos obsidens, muros explorat, et tentat an sit pars aliqua murorum minus stabilis et minus fida, cujus aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices et faciles voluptates, ut visu destruat castitatem. Aures per canora musica tentat, ut soni dulcioris auditu solvat et molliat Christianum vigorem. Linguam convicio provocat, [*fors.* provocat ad petulantiam,] manum injuriis lacessentibus ad petulantiam [*fors.* violentiam. *Vid. not.*] caedis instigat; ut fraudatorem faciat, lucra opponit injusta; ut animam pecunia capiat, ingerit perniciosa compendia; honores terrenos promittit ut coelestes adimat; ostentat falsa ut vera subripiat; et quum latenter non potest fallere, exserte atque aperte minatur, terrorem turbidae persecutionis intentans, ad debellandos Dei servos; inquietus semper et semper infestus, in pace subdolus, in persecutione violentus. Quamobrem, fratres dilectissimi, contra omnes diaboli vel fallaces insidias vel apertas minas stare debet instructus animus et armatus, tam paratus semper ad repugnandum quam est ad impugnandum semper paratus inimicus. Et quoniam frequentiora sunt tela ejus quae latenter obrepunt, magisque occulta et clandestina jaculatio quo minus perspicitur, hoc et gravius et crebrius in vulnera nostra grassatur; ad haec quoque intelligenda et depellenda vigilemus ex quibus est zeli et livoris malum. Quod si quis penitus inspiciat, inveniet nihil magis Christiano cavendum, nihil cautius providendum, quam ne quis invidia et livore capiatur, ne quis fallentis inimici

1 Pet. v. 8.

Zelus et livor, tanquam ipse diabolus fugiendi.

caecis laqueis implicatus, dum zelo frater in fratris odia convertitur, gladio suo nescius ipse perimatur. Quod ut colligere plenius et manifestius perspicere possimus, ad caput ejus atque originem recurramus.

Ad originem Zeli recurritur.

II. Videamus unde zelus et quando et quomodo coeperit. Facilius enim a nobis malum tam perniciosum vitabitur, si ejusdem mali et origo et magnitudo noscatur. Hinc diabolus inter initia statim mundi et periit primus et perdidit. Ille angelica majestate subnixus, ille Deo acceptus et carus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum malivolo livore prorupit, non prius alterum dejiciens instinctu zeli quam ipse zelo ante dejectus, captivus antequam capiens, perditus antequam perdens, dum stimulante livore homini gratiam datae immortalitatis eripit, ipse quoque id quod prius fuerat amisit. Quale malum est, fratres dilectissimi, quo Angelus cecidit, quo circumveniri et subverti alta illa et praeclara sublimitas potuit, quo deceptus est ipse qui decepit! Exinde invidia grassatur in terris, dum livore periturus magistro perditionis obsequitur, dum diabolum qui zelat imitatur, sicut scriptum est, *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Imitantur ergo illum qui sunt ex parte ejus. Hinc denique novae fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda coeperunt, dum Abel justum Cain zelat injustus, dum bonum malus invidia et livore persequitur. Tantum valuit ad consummationem facinoris aemulationis furor ut nec caritas fratris, nec sceleris immanitas, nec timor Dei, nec poena delicti cogitaretur. Injuste oppressus est qui justitiam primus ostenderat, odia perpessus est qui odisse non noverat, occisus est

Sap. ii. 24.

Gen. iv. 5.

impie qui moriens non repugnabat. Et quod Esau fratri suo Jacob inimicus exstitit, zelus fuit. Nam quia ille benedictionem patris acceperat, hic in odium persecutionis facibus livoris exarsit. Et quod Joseph fratres sui vendiderunt, causa vendendi de aemulatione descendit. Postquam id quod sibi in visionibus prosperum fuerat ostensum simpliciter ut fratribus frater exposuit, in invidiam malivolus animus erupit. Saul quoque rex ut David odisset, ut persecutionibus saepe repetitis innocentem, misericordem, miti lenitate patientem necare cuperet, quid aliud quam zeli stimulus provocavit? Quia Goliath interfecto, et ope ac dignatione divina tanto hoste deleto, populus admirans in laudes David praedicationis suffragio prosiliit, Saul simultatis atque insectationis furias de livore concepit. Et ne longum faciam singulos recensendo, pereuntis simul populi attendamus interitum. Judaei nonne inde perierunt dum Christo malunt invidere quam credere? Obtrectantes magnalibus quae ille faciebat, zelo excaecante decepti sunt, nec ad divina noscenda cordis oculos aperire potuerunt.

Gen. xxvii. 41.

Gen. xxxvii. 11.

1 Reg. xviii. 8.

1 Reg. xviii. 8.

III. Quae nos considerantes, fratres dilectissimi, contra tantam mali perniciem vigilanter et fortiter dicata Deo pectora muniamus. Aliorum mors proficiat ad nostram salutem, imprudentium poena providentibus conferat sanitatem. Non est autem quod aliquis existimet malum istud una specie contineri aut brevibus terminis et angusto fine concludi. Late patet zeli multiplex et foecunda pernicies. Radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. Inde odium surgit, animositas inde procedit. Avaritiam zelus inflam-

Eorum exemplis qui per Zelum perierunt, oportet ut nos muniamus. Neque enim unum sed multiplex malum est.

mat, dum quis suo non potest esse contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus altiorem. Zelo excaecante sensus nostros atque in ditionem suam mentis arcana redigente, Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, judicii dies non providetur. Inflat superbia, exacerbat saevitia, perfidia praevaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira fervescit; nec se jam potest cohibere vel regere qui factus est potestatis alienae. Hinc Dominicae pacis vinculum rumpitur, hinc caritas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad haereses atque ad schismata prosilitur, dum obtrectatur sacerdotibus, dum Episcopis invidetur, dum quis aut queritur non se potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre praepositum. Hinc recalcitrat, hinc rebellat de zelo superbus, de aemulatione perversus, animositate et livore non hominis, sed honoris, inimicus.

Nihil invido injustius; nihil justius invidia, quae certissimas poenas malevolo reposcit.

IV. Qualis vero est animae tinea, quae cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutem ejus vel felicitatem, id est, odisse in eo vel merita propria vel beneficia divina, in malum proprium bona aliena convertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam poenam, et velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus et sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta malivolentiae ungulis pulsent. Non cibus talibus laetus, non potus potest esse jucundus. Suspiratur semper et ingemiscitur et doletur; dumque ab invidis nunquam livor exponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur.

Mala cetera habent terminum, et quodcunque delinquitur delicti consummatione finitur. In adultero cessat facinus perpetrato stupro, in latrone conquiescit scelus homicidio admisso, et praedoni rapacitatem statuit praeda possessa, et falsario modum ponit impleta fallacia. Zelus terminum non habet, permanens jugiter malum et sine fine peccatum; quantoque ille cui invidetur successu meliore profecerit, tanto invidus in majus incendium livoris ignibus inardescit. Hinc vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effraenata convicia, manus ad caedis violentiam prompta, etiamsi a gladio interim vacua, odio tamen furiatae mentis armata. Et idcirco Spiritus Sanctus dicit in Psalmis, *Noli zelare bene ambulantem in via sua.* Et iterum, *Observabit peccator justum, et stridebit ad eum dentibus suis. Deus autem irridebit eum, quoniam providet quia veniet dies ejus.* Hos beatus Apostolus Paulus designat et denotat, dicens, *Venenum aspidum sub labiis eorum, et os eorum maledictione et amaritudine plenum est. Veloces ad effundendum sanguinem pedes eorum, contritio et calamitas in viis eorum qui viam pacis non agnoverunt, nec est timor Dei ante oculos eorum.* Multo malum levius et periculum minus est quum membra gladio vulnerantur. Facilis cura est ubi plaga perspicua est, et cito ad sanitatem medela subveniente perducitur quod videtur. Zeli vulnera abstrusa sunt et occulta; nec remedium curae medentis admittunt quae se intra conscientiae latebras caeco dolore clauserunt. Quicunque es invidus et malignus, videris quam sis eis quos odisti insidiosus, perniciosus, infestus. Nullius magis quam

Psal. xxxvi. 7.—12.

Rom. iii. 13.

tuae salutis inimicus es. Quisquis ille est quem zelo persequeris, subterfugere et vitare te poterit. Tu te non potes fugere: ubicunque fueris, adversarius tuus tecum est, hostis semper in pectore tuo est, pernicies intus inclusa est, ineluctabili catenarum nexu ligatus et vinctus es, zelo dominante captivus es, nec solatia tibi ulla subveniunt. Perseverans malum est hominem persequi ad Dei gratiam pertinentem. Calamitas sine remedio est odisse felicem.

Ut emulationem omnem amputaret Dominus, illum maximum fore spondet qui minimus est. Luc. ix. 48.

V. Et idcirco, fratres dilectissimi, huic periculo consulens Dominus, ne quis zelo fratris in laqueum mortis incurreret, quum eum discipuli interrogarent quis inter illos major esset, *Qui fuerit*, inquit, *minimus in omnibus vobis, hic erit magnus.* Amputavit omnem aemulationem responso suo, omnem causam et materiam mordacis invidiae eruit et abscidit. Discipulo Christi zelare non licet, non licet invidere. Exaltationis apud nos non potest esse contentio. De humilitate ad summa crescimus, didicimus unde placeamus. Denique et Apostolus Paulus instruens et monens ut qui illuminati Christi lumine tenebras nocturnae conversationis evasimus, in factis atque in operibus luminis ambulemus, scribit et dicit, *Nox transivit, dies autem appropinquavit; abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamus arma lucis. Tanquam in die decenter ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus, non in concupiscentiis et impudicitiis, non in certaminibus et zelo.* Si recesserunt de pectore tuo tenebrae, si nox inde discussa est, si caligo detersa est, si illuminavit sensus tuos splendor diei, si homo lucis esse coepisti, quae sunt Christi gere; quia lux et dies Christus est.

Rom. xiii. 12.

Quid in zeli tenebras ruis, quid te nubilo livoris involvis, quid invidiae caecitate omne pacis et caritatis lumen exstinguis, quid ad diabolum cui renuntiaveras redis, quid Cain similis existis? Homicidii namque facinore constringi eum qui zelaverit et odio habuerit fratrem suum declarat Joannes Apostolus in epistola sua, dicens, *Qui fratrem suum odit, homicida est; et scitis quia omnis homicida non habet in se vitam manentem.* Et iterum, *Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc, et in tenebris ambulat, et non scit quo eat, quoniam tenebrae excaecaverunt oculos ejus.* Qui odit, inquit, fratrem suum, in tenebris ambulat, et non scit quo eat. It enim nescius in gehennam, ignarus et caecus praecipitatur in poenam, recedens scilicet a Christi lumine monentis, et dicentis, *Ego sum lumen mundi. Qui me secutus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitae.* Sequitur autem Christum qui praeceptis ejus insistit, qui per magisterii ejus viam graditur, qui vestigia ejus atque itinera sectatur, qui id quod Christus et docuit et fecit imitatur, secundum quod Petrus quoque hortatur et monet, dicens, *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum ut sequamini vestigia ejus.*

1 Joan. iii. 15.

1 Joan. ii. 9.

Joan. viii. 12.

1 Pet. ii. 21.

VI. Meminisse debemus quo vocabulo plebem suam Christus appellet, quo titulo gregem suum nuncupet. *Oves* nominat, ut innocentia Christiana ovibus aequetur; *agnos* vocat, ut agnorum naturam simplicem simplicitas mentis imitetur. Quid sub vestitu ovium lupus latitat, quid gregem Christi qui se Christianum mentitur infamat? Christi nomen induere, et non per Christi viam pergere, quid aliud

Non temere discipulos suos oves appellabat Dominus. Joan. x. Luc. x. 3.

quam praevaricatio est divini nominis, quam desertio itineris salutaris, quando ipse doceat et dicat
Matt. xix. 17. eum ad vitam venire qui mandata servaverit, et
Matt. vii. 24. eum esse sapientem qui verba ejus audierit et fecerit, doctorem quoque eum maximum in regno coelorum
Matt. v. 19. vocari qui fecerit et sic docuerit, tunc praedicanti profuturum quod bene atque utiliter praedicatum fuerit, si id quod ore promitur factis sequentibus impleatur. Quid vero insinuavit crebrius discipulis suis Dominus, quid inter salutaria monita et praecepta coelestia custodiendum magis servandumque mandavit, quam ut eadem dilectione qua discipulos
Joan. xiii. 34. xv. 12. ipse dilexit nos quoque invicem diligamus? Quomodo autem vel pacem Domini vel caritatem tenet, qui intercedente zelo nec pacificus potest esse nec carus? Ideo et Apostolus Paulus, quum pacis et caritatis merita depromeret, quumque asseveraret firmiter et doceret nec fidem sibi nec eleemosynas nec passionem quoque ipsam confessoris et martyris profuturam, nisi caritatis foedera integra atque inviolata
1 Cor. xiii. 4. servasset, adjecit et dixit, *Caritas magnanima est, caritas benigna est, caritas non zelat.* Docens scilicet et ostendens eum posse caritatem tenere quisquis magnanimus fuerit et benignus et zeli ac livoris alienus. Item alio loco, quum moneret ut homo jam Sancto Spiritu plenus et nativitate coelesti Dei filius factus non nisi spiritalia et divina sec-
1 Cor. iii. 1. tetur, ponit et dicit, *Et ego quidem, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, tanquam infantibus in Christo. Lacte vos potavi, non cibo; nondum enim poteratis, sed neque nunc potestis. Adhuc enim estis carnales; ubi enim in vobis zelus et contentio et dissensiones sunt,*

nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis?

VII. Obterenda sunt, fratres dilectissimi, vitia et peccata carnalia, et terreni corporis infesta labes spiritali vigore calcanda, ne dum iterum ad veteris hominis conversationem revolvimur, lethalibus laqueis implicemur, Apostolo hoc idem providenter et salubriter praemonente: *Itaque*, inquit, *fratres, non secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, incipietis mori. Si autem Spiritu opera carnis mortificaveritis, vivetis. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.* Si filii Dei sumus, si templa ejus esse jam coepimus, si accepto Spiritu Sancto sancte et spiritaliter vivimus, si de terris oculos ad coelum sustulimus, si ad superna et divina plenum Deo et Christo pectus ereximus, non nisi quae sunt Deo et Christo digna faciamus, sicut et Apostolus excitat et hortatur: *Si consurrexistis*, inquit, *cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Quum autem Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.* Qui ergo in baptismo secundum hominis antiqui peccata carnalia et mortui et sepulti sumus, qui regeneratione coelesti Christo consurreximus, quae sunt Christi et cogitemus pariter et geramus, sicut idem Apostolus docet rursus et monet, dicens, *Primus homo de terrae limo, secundus homo de coelo. Qualis ille de limo, tales et qui de limo; et qualis coelestis, tales et coelestes. Quomodo portavimus imaginem ejus qui de limo est, portemus*

Zelus et livor, ceu certissima opera carnis, obterendi et conculcandi. Rom. viii. 12.

Coloss. iii. 1.

1 Cor. xv. 47.

et imaginem ejus qui de coelo est. Imaginem autem coelestem portare non possumus, nisi in eo quod esse jam coepimus Christi similitudinem praebeamus. Hoc est enim mutasse quod fueras, et coepisse esse quod non eras, ut in te divina nativitas luceat, ut ad Patrem Deum deifica disciplina respondeat, ut honore et laude vivendi Deus in homine clarescat, ipso exhortante et monente et eis qui se clarificant vicem mutuam pollicente. *Eos*, inquit, *qui clarificant me clarificabo; et qui spernit me spernetur.* Ad quam clarificationem formans nos ac praeparans Dominus et Filius Dei, similitudinem Dei Patris insinuans in Evangelio suo dicit, *Audistis quia dictum est, Diliges proximum tibi, et odio habebis inimicum tibi. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, et orate pro iis qui vos persequuntur, ut sitis filii Patris vestri qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Si hominibus laetum est et gloriosum filios habere consimiles, et tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis paribus soboles subseciva respondeat, quanto major in Deo Patre laetitia est quum quis sic spiritaliter nascitur ut in actibus ejus et laudibus divina generositas praedicetur! Quae justitiae palma est, quae corona, esse talem de quo Deus non dicat, *Filios generavi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me!* Collaudet te potius Christus, et invitet ad praemium, dicens, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.*

1 Reg. ii. 30.

Matt. v. 43.

Isai. i. 2.

Matt. xxv. 34.

Officii sui erga Patrem coelestem et praemii re-

VIII. His meditationibus corroborandus est animus, fratres dilectissimi, ejusmodi exercitationibus contra omnia diaboli jacula firmandus. Sit in ma-

nibus divina lectio, in sensibus Dominica cogitatio. Oratio jugis omnino non cesset. Salutaris operatio perseveret. Spiritalibus semper actibus occupemur, ut quotiescunque inimicus accesserit, quoties adire tentaverit, et clausum adversum se pectus inveniat et armatum. Non enim Christiani hominis corona una est quae tempore persecutionis accipitur. Habet et pax coronas suas, quibus de varia et multiplici congressione victores prostrato et subacto adversario coronantur. Libidinem subegisse continentiae palma est. Contra iram, contra injuriam repugnasse corona patientiae est. De avaritia triumphus est pecuniam spernere. Laus est fidei fiducia futurorum mundi adversa tolerare. Et qui superbus in prosperis non est, gloriam de humilitate consequitur. Et qui ad pauperum fovendorum misericordiam pronus est, retributionem thesauri coelestis adipiscitur. Et qui zelare non novit, quique unanimis et mitis fratres suos diligit, dilectionis et pacis praemio honoratur. In hoc virtutum stadio quotidie currimus, ad has justitiae palmas et coronas sine intermissione temporis pervenimus; ad quas ut pervenire tu etiam possis, qui fueras zelo et livore possessus, omnem illam malitiam qua prius tenebaris abjice, ad viam vitae aeternae vestigiis salutaribus reformare. Evelle de pectore tuo spinas et tribulos, ut te Dominicum semen fertili fruge locupletet, ut divina et spiritalis seges in copiam foecundae messis exuberet. Venena fellis evome, discordiarum virus exclude, purgetur mens quam serpentinus livor infecerat, amaritudo omnis quae intus insederat Christi dulcedine leniatur. Si de sacramento crucis et cibum sumis et potum, lignum quod

positi memor Christianus pacem et caritatem sectetur.

Exod. xv. 25. apud Merrham profecit in imagine ad saporis dulcedinem, tibi in veritate proficiat ad mulcendi pectoris lenitatem, nec ad medelam prosperandae valitudinis laborabis. Unde vulneratus fueras, inde curare. Ama eos quos ante oderas, dilige illos quibus injustis obtrectationibus invidebas. Bonos imitare, si sectari potes. Si sectari non potes, collaetare certe et congratulare melioribus. Fac te illis adunata dilectione participem, fac te consortio caritatis et fraternitatis vinculo cohaerentem. Dimittentur tibi debita, quando et ipse dimiseris; accipientur sacrificia tua, quum pacificus ad Deum veneris. Sensus atque actus tui divinitus dirigentur, quando ea quae divina et justa sunt cogitaveris, sicut scriptum est: *Cor viri cogitet justa, ut a Domino diri-* Prov. xvi. 9. *gantur gressus ejus.* Habes autem multa quae cogites. Paradisum cogita, quo Cain non redit, qui Gen. iv. zelo fratrem peremit. Cogita coeleste regnum, ad quod non nisi concordes atque unanimes Dominus admittit. Cogita quod filii Dei hi soli possint vocari qui sint pacifici, qui nativitate coelesti et lege divina ad similitudinem Dei Patris et Christi respondeant adunati. Cogita sub oculis Dei nos stare, spectante ac judicante ipso conversationis ac vitae nostrae curricula decurrere, pervenire nos tunc demum posse ut eum videre contingat, si ipsum nunc videntem delectemus actibus nostris, si nos dignos gratia ejus et indulgentia praebeamus, si placituri semper in regno, in hoc mundo ante placeamus.

IN

S. CYPRIANI

LIBRUM

DE IDOLORUM VANITATE

ANNOTATIONES.

P. 269. l. 2. Liber de Idolorum Vanitate] Difficile est certo statuere quid in titulo istius libri posuerit Cyprianus, si quid tamen posuit, praesertim si vera sit opinio Erasmi existimantis esse tantum fragmentum majoris operis, quia incipit ex abrupto. Plures sane libri veteres, et ii quidem optimi, initium operis constituunt in his verbis, *Deos non esse quos colit vulgus.* Apud Angelum Politianum, cap. 34 Miscellaneorum, vocatur Liber de origine et generibus Idolorum. Posterorum diligentia titulum illi fecit de idolorum vanitate, atque ita se invenisse in exemplaribus antiquis testatur Rigaltius. Ego, quamquam hunc titulum nuspiam repererim in Codicibus manuscriptis, retinui tamen propter commoditatem studiorum. In edendo autem initio ipsius libri secutus sum scripturam veterum librorum et veterum editionum. Quamquam sunt aliqui libri veteres qui incipiunt *Deos non esse,* priora non habent.

Pauca hujus libri mentio reperitur in scriptoribus antiquis, quippe quem nuspiam reperio citatum quam apud Hieronymum et Augustinum. Et Augustinus quidem ita scribit in libro de Unico Baptismo adversus Petilianum, cap. 4, ‘Hujus regulae apostolicae sectator Episcopus Cypri-‘anus, de uno vero Deo adversus multorum deorum falso-‘rumque cultores disputans, multa profert testimonia de libris ‘eorum quos praeclaros auctores habent: hoc est, ex illa ‘veritate quam in iniquitate detinent.’ Citat etiam lib. vi de

Baptismo adversus Donatistas cap. 44. Hieronymus autem in epistola ad Magnum, ponens in principio sermonis materiam istius libri, tanquam si titulus esset, sic scribit: 'Cyprianus quod idola dii non sint, qua brevitate, qua historiarum omnium scientia, quorum verborum et sensuum splendore perstrinxit!' Ad eundem librum respexisse videtur quibusdam Pontius diaconus in Vita sancti Cypriani scribens per illum gentiles, repercussis in se iis quae nobis ingerunt, victos fuisse. Verum quum ista Pontii verba convenire etiam possint libro ad Demetrianum, in quo sanctus Martyr adversus gentiles ingerit querelas eorum de Christianis, non audeo affirmare verba Pontii intelligenda tantum esse de libro de Vanitate Idolorum. Potuit enim Pontius respexisse ad utrumque opus. Porro adversus cultum Idolorum nihil est elegantius Jove tragoedo Luciani. BALUZIUS.

P. 269. l. 4. *Quod idola dii non sint, et quod Deus unus sit, et quod per Christum salus credentibus data sit*] Quum in nonnullis Codd. scriptis, atque veteribus aliquot ante Baluzianam seu Benedictinam editionibus omnia haec pro titulo seu potius argumento operis recte seorsum posita sint, ita imprimenda ea curavi. Ceterum ad tertium quod attinet hujus tituli articulum, qui, qualis hic exstat, editioni Manutianae primitus debetur, consimiliter scribit auctor in sequentibus, *Quod vero et Christus sit, et quomodo per ipsum nobis salus venerit, sic est ordo, sic ratio.*

Ibid. l. 11. et dies festos tanto honore celebrabant.] Locum hunc sic restituere ausus sum, reposito *tanto* pro *dando* ex duobus Codd. scriptis, uno Vossiano inter lectiones variantes in editione Oxoniensi seu Fellina adducto, altero meo, quem ex bibliotheca Tewaterana nuper comparavi. Pro voce *honore* praestabant *honores* vel *honorem* editiones ante Baluzium, exceptis vetustissimis illis ante Erasmianam.

Ibid. l. 14. an sit et haec apud singulos veritas] Ita ediderat, qui ante Baluzium ornavit suam hujus libelli editionem Jacobus Gronovius, posito *an sit et haec* pro vulgato, *an stet haec.* Firmantque hanc emendationem neglectam a Baluzio, si modo unquam venerit ea ad notitiam ejus, Codices duo Cypriani apud Novum Collegium in Oxonio conservati, numeris 2 et 3 a me designati. Exstat in eodem Collegio alius praeterea Cypriani liber scriptus; sed vero nullius horum Codicum lectiones variantes ad hunc quidem quod attinet libellum in Oxoniensi editione comparent. Consentit et cum lectione emendatiori Codex Cypriani MStus ex bibliotheca cl. Drury nunc a me comparatus.

Ibid. l. 19. Apollo Admeto pecus pavit] Hoc pro vulgato

Admeti posuerat Gronovius in jam dicta edit. hujus libelli, quae Minucio Felici adjecta anno 1705 circiter viginti annos ante Cypriani editionem Baluzianam prodiit. Suffragantibus dictis duobus Novi Collegii MStis hanc praetuli lectionem. Ubicunque autem ab editione illa Baluzii in his Cypriani opusculis discedam, id vero, prout jam feci in Firmiliani epistola, nusquam non adnotaturus sum, raro alibi lectionis varietatem adducens.

P. 270. l. 4. inde falcem ferens pingitur] Vulgo additur *senex* post *ferens*, quod in edit. sua recte omiserat Gronovius. Primus vocem recepit Pamelius ex MSto Cambonensi, sed nesciunt eam quatuor Codices in edit. Oxon. adducti, praeter tres illos Novi Collegii MStos, meumque Codicem jam supra memoratum, olim Tewateranum, et vetustissimas Cypriani editiones. Quapropter vocem praetermisi. Nunc addere licet duos Codices Drurianos, alterumque olim cl. Meermanni jam meum, duodecimo sacculo scriptum.

Ibid. l. 14. Hoc ita esse Alexander M.] Rigaltius contendit, haec revera ad alterum Alexandrum, nimirum Polyhistorem, pertinere: quae conjectura in tantum ipsi placuit, ut ter ingesserit. Nimirum hic loci, in notis ad Tertullianum, et etiam ad Minutium. Decepti erant nimirum Cyprianus, Athenagoras, Minutius, Augustinus, immo probatissimi etiam apud ethnicos scriptores, qui omnes literas ab Alexandro Magno matri Olympiadi scriptas referunt, in quibus arcanum hoc de numinum natalibus, metu ipsius potentiae extortum perhibetur.——Sed litem dirimat Plutarchus, in Alexandri rebus si quis alius versatissimus, et in historia testis locuples. Is, in Alexandri Vita, ait Ἀλέξανδρος *ἐν ἐπιστολῇ πρὸς τὴν μητέρα φησὶν, γεγονέναι τινὰς αὐτῷ μαντείας ἀπορρήτους, ἃς αὐτὸς ἐπανελθὼν φράσει πρὸς μόνην ἐκείνην* &c. *λέγεται δὲ καὶ Ψάμμονος ἐν Αἰγύπτῳ τοῦ φιλοσόφου διακούσας, ἀποδέξασθαι μάλιστα τῶν λεχθέντων, ὅτι πάντες ἄνθρωποι βασιλεύονται ὑπὸ Θεοῦ, τὸ γὰρ ἄρχον ἐν ἑκάστῳ καὶ κρατοῦν θεῖόν ἐστι,* &c. FELLUS. De epistolis visis a Plutarcho aliisque veteribus scriptoribus, non de iis quae hodie circumferuntur nomine Alexandri insignitae, haec et plura adnotavit doctissimus Oxonii Episcopus. Male autem omittitur post *ita* verbum *esse*, et post *scribit* punctum in textu Baluziano, unde, ut olim monui, errores isti transiverant in meum.

Ibid. l. 31. meretrices] Postea sequitur in editione quae dicitur Gravii, in Pameliana, Rigaltiana, et Anglicana: ‘Interdum vero deum vocabula apud Romanos finguntur ut

'sit apud illos Viduus deus, qui anima corpus viduet, qui 'quasi feralis et funebris intra muros non habetur, sed foris 'collocatur, et nihilominus, quia extorris factus, damnatur 'potius Romana religione quam colitur. Est et Scansus ab 'ascensibus dictus, et Forculus a foribus, et a liminibus Li- 'mentinus, et Cardea a cardinibus, et ab orbitatibus Orbana.' Ea vero nos sustulimus, quia ea in nullo veterum exemplarium reperimus quibus usi sumus, quia desunt in pluribus Anglicanis, quia non exstant in antiquis editionibus neque in Minucio, et quia sensum, ut Rigaltius ait, abrumpunt. BALUZ. In editionibus multis, quae Baluzianam praecedunt, verba haec uncis inclusa sunt, neque agnoscuntur vel tribus Codd. scriptis Novi Collegii aut duobus olim Drurianis aut Meermannano; exstant vero in codice Tewaterano, quem supra commemoravi.

P. 271. l. 4. Est et Venus calva] Lactantius lib. 1 Div. Instit. cap. 20, 'Urbe a Gallis occupata, obsessi in Capitolio 'Romani, quum ex mulierum capillis tormenta fecissent, 'aedem Veneri calvae consecrarunt.' Hunc locum post Fellum attulit Baluzius. Verum, dum plures causae hujus appellationis ab auctoribus afferuntur, ob causam aliquam minus honestam ita vocatam fuisse Venerem, hic innuit Cyprianus.

Ibid. l. 9. Et Assyrii et Persae] *Et Assyrii et Medi et Persae.* Ita veteres editiones, et quidam libri veteres, tum etiam Minucius. Alii veteres praeferunt *Syri.* Alii xxvi omittunt mentionem Medorum. Sed alii quatuor illam habent, itemque Minucius, [ex quo multa sumpsit Cyprianus]. Praeterea Codex Veronensis et Codex sancti Eligii Attrebatensis addunt *Tyrios;* Medorum regni mentio deest etiam in editionibus Manutii et Morellii. Assyrii qui primo dicti sunt postea Syrii sunt appellati. Vide Renati Massueti Dissertationes ad Irenaeum pag. 71, §. 142. Arbactus imperium ab Assyriis ad Medos transtulit, et postea translatum est ad Persas. Ita docet Justinus lib. 1, cap. 3. BALUZIUS. Quum voces *et Medi* omnes paene MSti omittant, editionem principem hic secutus sum. Sed *Syri* pro *Assyrii* plurimi Codices scripti praestant.

Ibid. l. 17. faciant—auspicantur] Pluralia haec pro vulgatis *faciat* et *auspicatur* posuit Jacobus Gronovius Cellarium secutus, qui Veronensem Codicem in sua edit. hujus libelli Minucio Felici affixi, appellat. Halae anno 1699 haec Cellarii edit. typis mandata est. Sed lectionem Codicis Veronensis jam ante cum laude attulerat Rigaltius in Notis ad Cyprianum. Addendi MStus Novi Collegii 2, Tewa-

teranus et vetustior ex Drurianis. Retulit interim Mabillonius, in Itinere suo Italico p. 23, istum Codicem Veronensem majusculis literis ante annos mille scriptum fuisse.

P. 271. l. 26. sed acceptum tempus certo fine custodiunt] Videlicet, tempus sibi assignatum, fine fixo ac determinato, regna Romana habent.

Ibid. l. 28. et sub jugum missus est] *et victus.* Addidi istud ex libro Fuxensi. Audaciam istam mihi fecit Minucius, apud quem ita legitur, *Mancinus religionem tenuit, et sub signum missus est et deditus.* Pro eo quod Minucius dixit *deditus* liber Fuxensis habet *victus.* BALUZIUS. Verba haec neglexi, quae sine idonea causa addita sunt a Baluzio, quaeque interea praeter ejus mentem in editione illa postuma Baluzii post voces *et captus est* locata sunt.

Ibid. l. 32. et eo facilius et navigavit et vicit] Particulam *et* in Oxoniensi aliisque editt. vocibus *eo facilius* praefixam restitui; eadem vero particula ante verbum *navigavit* in iisdem libris omissa est. Utroque loco eam servavit Codex Novi Collegii, quem nomino secundum; itidem MS. Drury recentior ille; sed omittit particulam ante *navigavit* vetustior ejus MS. aliter quam MS. Meerman.

P. 272. l. 1. stultum et prodigum vulgus] *Credulum.* Ita scribendum esse arbitratus sum, quin ita scriptum inveni in tribus codicibus, et in editione quae dicitur Gravii, pro eo quod editiones et quidam libri veteres habent, *prodigum.* Etiam falsa lectio libri Turonensis [et Corbiensis] quae habet *crudelem*, ostendit istam esse veram. Vulgatissimum est inveniri frequenter in veteribus libris Manuscriptis *crudelem* pro *credulo* et e converso, *credulitatem* etiam pro *crudelitate*, et e converso, ut monui jam pag. 483. Vide tom. 2 in Capitularium, pag. 1119. BALUZIUS. Haec Baluzius, qui *credulum*, lectionem quidem faciliorem, praeposuit alteri lectioni *prodigum*, quam praestant editiones omnes praeter Gravii illam, omnesque fere libri manuscripti. Et voces conjunctae infra videntur, *Cuncta prodiga et stulta*, inquit Cyprianus, *voluptatum frustrantium depereunt*, De Op. et Eleemos. cap. 16. In Codice autem meo nuper Tewaterano *incredulum* exstat. *Perditum* quidem pro *prodigum* scriptum olim fuisse conjecit Rigaltius; et habes in eodem capite *cum populo* perditionis *ac mortis*, sed malim ego pro *prodigum* reponere *proditum.* Cicero in Epist. ad Atticum III, 15, 'Ego proditus, inductus, conjectus in fraudem.' Vide Forcellini Lexic. in v.

Ibid. l. 10. Hostanes] Plinius lib. XXX Hist. Nat. cap. 2, 'Primus, quod exstet, ut equidem invenio, commentatus de

‘ ea [magia] Osthanes, Xerxem regem Persarum bello, quod ‘ is Graeciae intulit, comitatus; ac velut semina artis por- ‘ tentosae sparsisse, obiter infecto, quacunque commeaverat, ‘ mundo. Diligentiores paulo ante hunc ponunt Zoroastrem ‘ alium Proconnesium. Quod certum est, hic maxime Osthanes ‘ ad rabiem, non aviditatem modo scientiae ejus, Graecorum ‘ populos egit.’ Attulit Plinianum hunc locum Fellus, nunc vero ex Harduini editione repraesentatum.

P. 272. l. 11. et angelos veros sedi ejus dicit assistere] *Nostros* pro *veros* habet codex MS. in Var. Lectt. edit. Oxon. Fortasse olim in *veros* corrupta est vox *servos*.

Ibid. l. 17. consecratis] In textu Baluziano exstat *consecrati*, et habet quidem *congregati* unus MS. in edit. Oxon. adductus, Codexque Novi Collegii numero 1 a me designatus. Porro ut lectio varians ad marg. edit. Erasmianae *conservati* positum est. Quum vero optimam esse censeam superiorum editionum lectionem *consecratis*, quam quidem firmant duo alteri Novi Collegii Codices, meusque olim Tewateranus, et MS. Drurianus uterque, hanc eandem a Cellario positam, tum a Joanne quoque Lindnero in edit. sua retentam, pro Baluzii lectione *consecrati* huc ego revocavi.

Ibid. l. 24. morbis lacessunt] Vulgo *morbos lacessunt*. Ex Cod. 2 Novi Collegii locum correxi.

Ibid. l. 29. ad superstitionem sui] Hoc est, daemonum; supra scripsit auctor, *ad cultum sui*.

Ibid. l. 32. fecerint terrore participes] Vulgo *errore*; quod cum *terrore*, fide MSti Coll. Nov. 3 nixus, mutavi. Ad oram quoque Codicis, quem Codicem Novi Collegii secundum nomino, haec lectio adscripta est. De daemonibus agens posuit Lactantius in Epitome sua, cap. 28, ‘ somnia immit- ‘ tunt aut plane terrores.’

P. 273. l. 3. incremento poenae propagantis extendi] Idem dixit verbis iisdem, Epist. ad Donatum. RIGALTIUS.

Ibid. l. 12. Unus igitur omnium Dominus Deus] Vulgo existente verbo *est* post *Dominus*, idem suasu trium MStorum Novi Collegii atque Erasmianae editionis delevi. Nunc addere licet MS. Drurianum utrumque. Habet MStus Tewateranus, *Unus ergo omnium Dominus, unus Deus*. Addunt *unus est* ante *Deus* Cellarii, Gronovii, et Lindneri editiones.

Ibid. l. 22. Nec hic tu de homine mireris] Posuit Baluzius *Nec hoc tu de homine mireris*, pro lectione Fellina, *Nec hoc tantum de homine mireris*, a Gronovio, Cellario, Lindneroque praclata. Sententia mea est debere lectionem editionis

principis *nec hîc tu* revocari. In MSto quoque Tewaterano super vocem *hoc* eadem manu *hic* ut lectio varians posita est.

P. 273. l. 29. sensu major est] Scribendum *censu* pro *sensu* conjecerat aliquis apud Marshalli Interpretationem Opp. S. Cypriani Anglicam. Dixi olim voces istas inter se saepe confundi, et *censum* vocem Cyprianicam esse agnovi. Veruntamen nil mutandum esse Lactantii verba ostendunt in Epitome Div. Instit. cap. 2, 'Unus igitur Deus 'est—quem nec aestimare sensu valeat humana mens, nec 'eloqui lingua mortalis. Sublimior enim ac major est, quam 'ut possit aut cogitatione hominis aut sermone comprehendi.'

Ibid. l. 33. et quum homo latius [*fors.* laxius] mancat] Minucius, cap. xxxii, §. 1, *quum homo laxius maneam.* Sic ibi cum Fulvio Ursino expressimus, quia Cicero, quem imitari solet Minucius, *habitare laxe*, pro Domo sua, cap. 44, dixit. Codices vero omnes Cypriani, si transcripsit Felicem, prae se *latius* ferunt, ut dubitare incipiam an nec prior ille, *latius*, ut Sabaeus et Fr. Balduinus legunt, scripserit. CELLARIUS, afferente Lindnero. Utrique auctori adscribendum *laxius* existimo, quod in *latius* vel *lacius*, hoc enim habent MSti, facile transibat. 'Jam fluxisse,' questus est apud Imp. Diocletianum Galerius, 'annos quindecim, in Illyricum vel ad 'ripam Danubii se relegatum cum gentibus barbaris luctatum 'esse, quum alii intra *laxiores* et quietiores terras delicate im-'perarent.' Lactantius De Mortibus Persecutorum, cap. 18.

P. 274. l. 6. Dei vocabulum totum est] Obscurius dictum. Fortasse pro *totum* rescribendum *solum* est. 'Pro-'prio vocabulo non indigere Deum,' ait quoque Lactantius in Epitome his verbis usus, 'eumque esse sine nomine, quod pro-'prio vocabulo non indigeat quia solus sit,' cap. 4. Omiserunt vocem Codices Novi Collegii 2 et 3. Habent *Deus* non *Dei* editiones post Pamelium et ante Baluzium, qui *Dei* revocavit. *Deus* MS. Drury recentior, *Dei* autem vetustior. Porro, quum in versu sequenti ante vocem *diffusus* scribatur *ipse* pro *totus* in vetustissimis editionibus, et in Codicibus quinque in edit. Oxon. commemoratis, aliisque omnibus MStis quibus in hoc libello edendo usus sum, vocem *ipse*, praeeunte Gronovio, ponendam curavi.

Ibid. l. 7. Nam et vulgus in multis Deum naturaliter confitetur] Haec res peculiari commentario Tertulliani argumentum fecit, nimirum, de Testimonio Animae. FELL.

Ibid. l. 14. Quod vero et Christus sit, &c.] In verbis, *sic est ordo, sic ratio*, verbum *est* ante *ratio* delevi, quod addidit reclamantibus caeteris Baluzius.

P. 274. l. 20. indisciplinati et superbi postmodum facti] *Negligentes et indisciplinati* &c. [Baluzii edit.]. Multum variant in hoc loco vetera exemplaria. Eorum nonnulla et veteres editiones habent *negligentes disciplinae superbi postmodum facti.* Alia omittunt vocem *negligentes* et vocem *superbi*, habent autem tantum *et indisciplinati postmodum.* Fuxense, *sed illi negligentes disciplinam postmodum inobedientes facti.* BALUZ. Cod. Vossii in edit. Oxon. adductus meusque MStus Tewateranus *negligentes disciplinarum* praestant. Duo autem Novi Collegii Codices *negligentes disciplinam.* Alter vero ejusdem Collegii Codex, *sed illi postmodum indisciplinati facti, et fiducia patrum inflati*, exhibet, quomodo MS. Drurianus vetustior se habet. In textum recepta est lectio *indisciplinati* in editione Cypriani Morelliana, quae anno 1564 typis impressa est. Porro de eadem voce hoc notavit in editione sua hujus tractatus Cellarius, usum ea fuisse vulgatum Interpretem in Sapientiae lib. cap. xvii, comm. 1, et Glossas vet. habere *indisciplinatus*, *ἀμαθής*. Ego interea ablegatis verbis *negligentes et*, quae tamen et MS. Meerman. agnoscit, Cyprianum scripsisse existimo, *Sed illi indisciplinati, et superbi postmodum facti*, ut istud, *negligentes disciplinarum*, vel, *disciplinae*, vocis Cyprianicae *indisciplinati* interpretamentum habeatur.

Ibid. l. 26. soli et coeli sui profugi] Tertullianus Apologet. cap. 21, ‘ Dispersi, palabundi, et *coeli et soli* qui *extorres* ‘ vagantur per orbem.’

Ibid. l. 30. multo melioris obsequii et fidei fortioris] *Multo fidelioris et melioris obsequii* [Baluzii edit.]. Tertullianus in Apologetico loquens de Judaeis, qui culpa sua amiserant gratiam Dei, quum coeli et soli sui extorres essent, ait sanctas voces illis praenuntiasse ‘ uti sub extremis ‘ curriculis saeculi ex omni gente et populo et loco cultores ‘ sibi adlegeret Deus multo fideliores.’ Lactantius, cap. 43 Epitomes, ‘ aliam sibi plebem fideliorem de exteris gentibus ‘ congregaret.’ Plures libri veteres et editiones heic apud Cyprianum praeferunt *multo meliores.* In Fuxensi legitur, *multo meliores obsequio et fide fortiores.* In Burgundico, in Tornacensi, et in Gratianopolitano, *multo melioris obsequii et fidei fortioris.* Atque ita se legisse in antiquo exemplari testatur Rigaltius in observationibus suis ad Apologeticum Tertulliani. Alii tres antiqui, *multo fidelioris et melioris obsequii.* Turonensis, *multo fidei fortiores.* Carnotensis, *multo faciliores.* At *feliciores* pro *faciliores* scriptum est in Codice sancti Arnulphi. BALUZ. Ex Codicibus Novi Collegii 2 et 3, meoque MSto olim Tewaterano verba, *me-*

lioris obsequii et fidei fortioris in textum recepi. In Cod. vero Novi Coll. dicto 1, et in cod. Druriano vetustiori posita sunt tantum verba *multo fideliores*, omissis illis, *melioris obsequii et fidei fortioris*, quod et factum est in editione Gronovii. *Melioris obsequii et fidei fortioris* MS. Drurianus recentior, omissa voce *multo*. Cum lectione Baluziana consentit MS. meus olim Meermanni.

P. 275. l. 2. illuminator et deductor humani generis] Vulgo *doctor;* sed *deductor* receperunt olim Cellarius et Gronovius, recentiusque Lindnerus, dum diu ante Rigaltius hoc annotaverat: ‘ *deductor humani generis:* sic legitur ‘ antiquissimis Cypriani et Tertulliani exemplaribus.’ Exstat porro *deductor* in Codd. duobus Novi Collegii, Drurianoque vetustiori ac Tewaterano meis. Vox Tertulliani est, cum alibi exstans tum etiam in ipso hoc Apologetici loco, quem huc transtulit Cyprianus. Pro eadem, *rector* habet MS. Drurianus recentior, *doctor* Meermannanus.

Ibid. l. 4. Hic est virtus Dei, &c.] Tertullianus, Apologet. cap. 23, ‘ Dei virtus, et Dei spiritus, et sermo, et sa‘ pientia, et ratio, et Dei Filius.’ Confer et initium lib. ejus de Oratione, supra pag. 101. Ita et in sequentibus multa huc translata sunt ex cap. 20 ejusd. Apologetici, quemadmodum in superioribus plurima jam ante debuerat auctor Minucio Felici.

Ibid. l. 5. in virginem delabitur] Quoniam hoc, pro vulgato *illabitur,* tres exhibent Codices in edit. Oxon. adducti, et tres illi apud Novum Collegium, meique itidem Manuscripti, idem ego praetuli, quod et fecit Lindnerus Cellarium secutus. Verbum praestat Tertullianus.

Ibid. carnem Spiritus Sanctus induitur] Confer Rom. i. 3, 4, ubi duae naturae Christi sic signantur.

Ibid. l. 10. Sciebant et Judaei] Ista et quae sequuntur ferme sumta sunt omnia ex capite 21 Apologetici Tertulliani. BALUZ.

Ibid. l. 12. monentibus adnuntiabatur] Hanc editionis principis lectionem, quam firmant septem saltem Codices manuscripti, pro voce *admonentibus* reposui.

Ibid. l. 13. uno qui exercitio et exemplo hominis fungeretur.] Quod obscurius hic scripsit auctor in omnibus libris exstat.

Ibid. l. 29. existimabant magum de licentia potestatis] Positum est *licentia potestatis* pro eo quod est amplitudo ejus. Tertullianus, cap. 20 Apologetici, ‘ Quem igitur solum‘ modo hominem praesumpserant de humilitate, sequebatur

'ut magum existimarent de potestate.' Tertullianum imitatus est Cyprianus, hunc vicissim Arnobius, l. 1, c. 46.

P. 275. l. 30. Hunc magistri eorum—tradiderunt] Hic locus nonnihil aliter repraesentatur in editione Manutiana, faventibus quidem Codicibus scriptis quibus ego usus sum, verbisque Tertulliani in cap. 21 Apologetici, quae imitatur Cyprianus; haud vero operae pretium videtur, ut moveantur voces hic receptae idemque significantes. Tertullianus haec inter, quomodo in priore libelli parte, Minucium auctorem sibi proposuit.

Ibid. l. 34. Syriam procurabat] Bene, *procurabat*, quia Tacitus Pontium Pilatum *procuratorem* dixit xv, 44; minus autem vere *Syriam*, quae sub legato consulari erat, nominavit. Pilatus enim Palaestinae tantum, nec illi omni, sed Archelai ethnarchiae in provinciam redactae, sive Judaeae et Samariae, praefectus fuit. Josephus, lib. II de Bello, cap. 14 ineunte, Πεμφθεὶς δὲ εἰς Ἰουδαίαν ἐπίτροπος ὑπὸ Τιβερίου Πιλάτος. *Missus autem a Tiberio Pilatus in Judaeam procurator.* CELLARIUS. Cyprianum cum Tertulliano in hac re errare monuit Lindnerus. Iis addas Lactantium.

P. 276. l. 8. Nam et crucifixus praevento carnificis officio &c.] Tertullianus, in Apologet. cap. 21, 'Et tamen suf-'fixus spiritum cum verbo sponte dimisit, praevento carni-'ficis officio.'

Ibid. l. 11. qualis et fuerat] Sic Codd. Novi Coll. 2 et 3. Edidit Baluzius *talis qualis et fuerat*, quum prius exstitisset vel, *talis ut fuerat*, vel, *talis ut ante fuerat*. Habent *talis ut fuerat* Codex Novi Coll. 1, et MSS. Meerman. Tewater. et Drurianus vetustior. *Ut fuerat* sine *talis* MS. Drurianus recentior. In Cod. Nov. Coll. 1, secunda manu *ut* positum est.

Ibid. l. 12. simul junctis] Exstare hanc lectionem in Codicibus Regio et Veronensi monuit Rigaltius in Notis. '*Junctis* 'est,' ait ille, 'illud Lucae, *συνηθροισμένοις τοῖς ἕνδεκα*: Luc. 'xxiv. 33.' Idemque ante me recepit, Cellarium secutus, Lindnerus. *Junctus* exhibent Manutii, Felli, Gronoviique editiones, Pamelii MSti et aliquot Codices Baluziani, Codex Novi Coll. 1, meusque, nuper Tewateranus, et Drurianus recentior. Sed *vinctus* est editionis principis scriptura, faventibus Codice Novi Coll. 2 meisque scriptis Meermannano et Druriano vetustiori, et novem praeterea libris scriptis, quos adducit Baluzius, cui quidem ita placuit, ut ipsam in edit. suam revocaverit: 'tanquam si Christus 'discipulis suis apparuisset cum fasciis et vestitu in qui-'bus corpus ejus positum fuerat in sepulchro, cum sindone

'in quo Joseph ab Arimathea corpus illius involverat.' Haec ille ; quae tamen a sacra historia nimis dissentirent. Sed in editione Veneta, quae prodiit anno quo princeps illa Cypriani editio Romana, quaeque vix alibi, quod sciam, ab ea discedit, positum est *victus*. Haec vox itidem in editione quadam vetusta sine loco et anno comparet, in editione quoque Erasmiana et in Cod. Nov. Coll. 3, sine sensu tamen. Quam facilis interea transitus esset vocis *junctus*, vel *junctis*, in alteram *vinctus* inde patet, quod in Codice Novi Coll. 1, apud Firmiliani epistolam, hae voces inter se confunduntur. Vid. § 2. In Cod. Nov. Coll. 3 scribitur *intus*.

P. 276. l. 19. ultoris vigore et judicis potestate] Fortasse legendum est, *in ultoris*. Paulo supra scribit Cyprianus, 'Non intelligendo primum adventum qui in passione praecesserit occultus, unum tantum credunt, qui erit in potestate 'manifestus.' Confer Tertullian. cap. ult. libri adversus Judaeos. Exstat *ut ultoris* in Cod. Nov. Coll. 1.

Ibid. l. 21. magistro et Deo] Fortasse delendum *et*. Habet Codex Veronensis, probante Rigaltio, *non magistro sed Deo*, Codexque Novi Coll. 1, *Domino Deo*. Sed malim legere *magistro Deo*, auctore Tertulliano, quem Cyprianus hic produxit, 'Discipuli,' inquit, 'quoque diffusi per orbem ex 'praecepto *magistri* Dei paruerunt.'

Ibid. l. 24. ocularent] Visum darent. Tertulliani verbum, quo magistro saepe Cyprianus usus est. Libro de Poenitentia, cap. 12, 'Hirundo si excaecaverit pullos, novit 'illos oculare rursus de suo chelidonio.' Et metaphorice, libro de Pudicitia, cap. 8, 'in vestibus purpurae oculandis.' CELLARIUS.

Ibid. l. 34. si Christum fuerimus secuti] *Imitati* [edit. Baluz. Felli edit. aliaeque]. Veteres editiones et plures libri veteres habent *secuti*. Aliam lectionem inveni in editione quae dicitur Gravii et in aliquot vetustis exemplaribus. Libellus precum Marcellini et Faustini: 'Perdit enim in se 'Christiani nominis appellationem qui Christi non sequitur 'disciplinam.' BALUZ. Revocandam judicavi pristinam lectionem *secuti*, quam praestabant Codices sex scripti in edit. Oxon. nominati, liberque Novi Coll. 1, duoque ex meis, Meermann. et Drurianus vetustior. Addas Codicem Vindobonensem, saec. ix, ut ex Catalogo Denis. constat, vol. 1, col. 582. Quidni altera lectio *imitati* hujus interpretamentum censeatur?

IN

S. CYPRIANI

LIBRUM

DE MORTALITATE

ANNOTATIONES.

P. 277. l. 2. Liber de Mortalitate] Sive Lue mortifera. Tertull. de Resurrect. Carn. c. 51, definite explicat. ‘Aliud,’ inquit, ‘mortale et aliud mortalitas; aliud enim quod patitur, ‘aliud quod pati efficit.’ Revera morbus iste epidemius tam varia et erratica habuit symptomata, ut ad pestis proprie dictae typum minime responderet. ‘Corporis vires ‘solutus in fluxum venter eviscerabat. In faucium vulnera ‘conceptus medullitus ignis exaestuabat. Assiduo vomitu in‘testina quatiebantur, oculi vi sanguinis inardescebant, quo‘rundam pedes vel aliquae membrorum partes contagio mor‘bidae putredinis amputabantur, debilitabatur incessus, ob‘struebatur auditus, caecatus fuit aspectus.’ Teterrima haec lues in Arabia primum nata, deinde in Aegyptum devecta, postmodum in Africam processit, et exinde per occidentales Romani imperii partes grassabatur; furore Atheniensis illius, quam describit Thucydides aemulo, itinere consueto et via quasi praetoria; ait enim Plinius lib. vii, c. 50, ‘Obser‘vatum a meridianis partibus, ad occasum solis pestilentiam ‘semper ire.’ Imperantibus Gallo et Volusiano hoc malum contigit, testibus Euseb. in Chron. Oros. lib. vii, et Zonar. Annal. lib. ii. Porro pacis tempore hoc evenisse docet Euseb. lib. vii, c. 22, ex literis Dionys. Alex. *τῇ Χριστοῦ πάλιν ἐνηυφράνθημεν εἰρήνῃ, ἣν μόνοις ἡμῖν ἔδωκε. Βραχυτάτης δὲ ἡμῶν τε καὶ αὐτῶν τυχόντων ἀναπνοῆς, ἐπικατέσκηψεν ἡ νόσος αὕτη.* Quibus praestructis, librum hunc anno 252 conscriptum, idque ante redintegratam persecutionem, ad-

stipulante tractatus totius tenore, pronunciamus. Scripti hujus meminit Pontius, qui et egregiam a Cypriano peste laborantibus et exinde mortuis navatam operam pluribus exsequitur. Augustinus. lib. de Praedestin. Sanct. ait, 'Cy-priani librum de Mortalitate, multis ac paene omnibus qui 'ecclesiasticas literas amant, laudabiliter notum.' Citat etiam Ep. 107, ad Vital. nec non lib. II adv. Julian. cont. 2 Epist. Pelag. lib. IV, c. 8. Pariter laudat Euseb. aut saltem Hieron. in Chron. FELLUS. Hujus libri cum laude mentionem saepe facit sanctus Augustinus, in primis vero in libro de Praedestinatione Sanctorum, c. 14, inquiens illum multis ac paene omnibus qui ecclesiasticas litteras amant laudabiliter notum. Idem in epistola ad Vitalem ait Cypriani in hoc loco totam intentionem esse ut sciamus bonis fidelibus gratulandum esse morientibus, quando vitae tentationibus auferuntur, deinceps in beatissima securitate mansuri. Ejusdem libri meminit Eusebius in Chronico: 'Pestilens morbus,' inquit, 'multas totius orbis provincias occupavit, maximeque Alexandriam et Aegyptum, ut scribit 'Dionysius, et Cypriani de Mortalitate testis est liber.' Ubi vide notas Josephi Scaligeri. Eadem habet etiam Jornandes in libro de Rebus Geticis, ubi scribit hanc cladem lacrymabiliter expositam a Dionysio, 'quam et noster,' inquit, 'conscripsit venerabilis Martyr Christi Episcopus Cyprianus in 'libro cui titulus est de Mortalitate.' Eam pestilentiam Eusebius ponit post mortem Papae Cornelii; Petavius, lib. XIII de Doctrina Temporum, anno superiore. Et tamen Christophorus Sandius hunc Cypriani tractatum reponit inter eos qui supposititi sunt sancto Martyri. Egregie vero illum refutat clarissimus Pearsonius in Annalibus Cyprianicis. Nimia miseria est audacem esse hominem nimis. BALUZIUS. Recte additum fuisse a doctissimo Fello quod ille de Hieronymo posuit notae suae fine, ostendit Versio Armeniaca Eusebiani Chronici, quae his demum temporibus publici juris facta est, ubi nullum exstat verborum ab Hieronymo additorum vestigium. Vide Eusebiani Chronici edit. Jo. Baptista Aucher, Venetiis an. 1818, vol. II, p. 299.

P. 277. l. 13. veritatis errore] Habet Tacitus, Hist. ii, 72, *errore veri*, h. e. ignorantia rei vel facti. Cons. Forcellini Lexicon Lat. voce *Error*.

P. 278. l. 15. perpetua laetitia] Exstat in textu Baluziano *perpetua securitas*, sed invenitur lectio altera, quam revocavi, cum in omnibus libris editis, tum in scriptis, quos consulere mihi licuit, duobus nempe Novi Collegii Codicibus, et quatuor penes me membraneis, e quibus Meermannanus duo-

decimo sacculo scriptus est, praeter Drurianum recentiorem, quem non possideo. Exstat itidem vox *laetitia* in Codice quodam Vindobonensi sacculi XIII. Vid. Denis Catal. vol. II, col. 2129. Adde quod nulla varietas hoc loco notata est in lectionibus edit. Oxon. subjectis.

P. 278. l. 23. incipere regnare] Codex Sorbonicus *in perpetuo.* Alius vetus, *cum Christo perpetuo regnaturum.* BALUZ. Olim scripsit Joan. Fred. Gronovius Observatt. de Scriptoribus Ecclesiast. post adductum hunc Cypriani locum: '*Incipere regnare.* Membranae; qui se non credat cum Christo in perpetuo regnare. Quod credo mutasse, quibus videbatur incommode positum solum *regnare,* quasi jam nunc regnent. At optimis auctoribus praesens infinitivi pro futuro usitatum. Cicero lib. IV ad Atticum: ''Cato tamen affirmat se vivo illum non triumphare.' Livius lib. XXXIV, 'Postero die Nabis Argis se cedere ac deducere praesidium, quando ita Romanis placeret, et captivos et perfugas redditurum dixit:' Plautus Rudente, 'Sive lenonem facere hoc quod fecit.' cap. XIV, p. 150 ed. Daventr. Verum tamen ita scribit Cyprianus infra, *illic comparantes domos,* ubi inciperent semper habitare, de Opere et Eleemos. cap. penult. Porro habent aliqui apud S. Paulum ad Romanos, VIII, 13, *Si enim secundum carnem vixeritis, incipietis mori,* μέλλετε ἀποθνήσκειν. Neque mutant quid hoc Cypriani loco Codices quibus usus sum MSti.

P. 279. l. 24. vinolentia invitat] Fors. legend. *irritat.*

Ibid. l. 26. Cogeris maledicere] Etiam Christo interdum.

Ibid. Compelleris jurare, quod non licet] Per genium Caesaris, aut fortunam ejus. Sic Proconsul apud Euseb. lib. IV, c. 15, loco praelaudato, Polycarpo ingerit Ὄμοσον τὴν Καίσαρος τύχην, cui ille respondit μετὰ παῤῥησίας, Ἄκουε, Χριστιανός εἰμι. Proinde Tertullianus, in Apol. c. 32, dicit 'Christianos jurare, sicut non per genios Caesarum, ita per salutem eorum [hoc est Deum] quae est augustior omnibus geniis.' Interim tamen non est dissimulandum, verba haec ad maledicentiam et jurandi usum, in communi vita, recte posse referri. FELLUS. Cyprianus, de Bono Patientiae, p. 252, ed. Baluzii—'deinde ut non jures, neque maledicas, ut tua ablata non repetas, ut accepta alapa et alteram maxillam verberanti praebeas, ut fratri in te peccanti &c.' Sed, quanquam minime negandum est quin plurimi veteres scriptores κατὰ τὴν λέξιν interpretati sint Christi et Apostoli Jacobi de non jurando praeceptum, discimus tamen lectis aliis auctoribus ecclesiasticis, apud Christianos semper invaluisse rite et religiose jurandi morem. Cons. enim, prae-

ter Tertullianum supra allatum, Constitut. Apost. VII. 3; Fr. Balduin. de Legibus Constantini M. lib. II, p. 209, ed. Lips.; Optatum de Schismate Donatist. lib. II, c. 22, p. 45 ed. Dupin; S. Gregorium Naz. Epistola 219. Conferas et de eadem re S. Scripturae locos quos hic memorabo, Apoc. x, 6; Heb. vi, 16, 17; 1 Thess. v, 27.

P. 279. l. 29. et delectat hic &c.] Ἐρωτηματικῶς legenda.

P. 280. l. 23. Christum credentium magistrum] Vulgo, *Christum credentium Dominum et magistrum.* Sed vero nescientibus hoc additamentum tam editionibus Cypriani vetustioribus, quam libris scriptis quos ipse contuli, praeter alios novem, quorum varietas in edit. Oxon. adducta est, idem istud expunxi. Simili de causa vocem *scilicet* post *docens*, lin. 27, delendam censui. Idem porro utroque loco in editione nuper factum esse video S. Cypriani Epistolarum ad Martyres et Confessores, in usum Confessorum Ecclesiae Gallicanae, Lond. 1792. Ubi edit. Oxoniensem secutum se esse, sed tamen variantes lectiones eidem subjectas nonnunquam selegisse, editor profitetur.

P. 281. l. 20. et Spiritus nos perducat ad Deum Patrem] *Et Christus nos perducat ad Deum Patrem.* Sic scripsi ex fide quatuor veterum exemplarium pro eo quod antea legebatur *Spiritus.* In duobus autem ex iis quatuor Codicibus scriptum est *Christus* eo modo quo per compendium quandoque solet scribi *Spiritus*, et supra lineam scriptum est *vel Spiritus.* Porro saepe in antiquis Codicibus manuscriptis operum sancti Cypriani et aliorum veterum scriptorum ecclesiasticorum vidi scriptum *Spiritus* pro *Christus* et e converso, inprimis vero apud auctorem libri de Rebaptismate, qui, pag. 364, referens locum ex Epistola prima Joannis in quo legitur *Christus est veritas*, posuit *Spiritus est veritas.* Scio Christum alibi vocari Spiritum, etiam apud Cyprianum. Sed quum habeamus aliam lectionem faciliorem, necesse non est eam retinere quae potest habere difficultatem et indu- cere obscuritatem. Haec BALUZIUS. At propter antecedentia verba veterem reduxi lectionem, quae firmatur scriptis Codicibus, quos sciam, omnibus praeter paucos ex plus triginta Baluzianis. Quinetiam, dum hunc quidem locum mutat, oblitus est vir doctissimus canonis artis criticae, qui obscuriorem, caeteroquin probam, lectionem jubet nos amplecti.

P. 282. l. 3. Scriptura divina, dicens &c.] Videsis infra quae de hoc libro Ecclesiastico, ad libellum de Opere et Eleemosyna §. 1, annotavimus.

P. 283. l. 28. monet—dicit] Haec verba pro editis *moneat dicat,* ex Codice Novi Collegii 2, ac quatuor de meis MStis recepi.

P. 284. l. 12. Christianam fidem] Vulgo *Christiani fidem.* In Codice Novi Coll. 2 et in duobus meis, non *Christiani,* sed *Christianam* inveni, quod hoc loco fortasse melius.

Ibid. l. 17. Gubernator] *Navis gubernator.* Hunc locum antea mutilum, quum legeretur *Nam* pro *Navis,* nos supplevimus ope duorum veterum exemplarium. In tribus deest vocabulum *Nam,* quod alibi et in editionibus ponitur ante *gubernator.* Error est; sed tamen error ille ostendit veram esse lectionem, quam nos afferimus. Haec BALUZIUS. Sed praeterquam quod orta possit esse particula *nam,* in editionibus veteribus reperta, ex antecedente voce *corona,* neutra vox, vel *nam* vel *navis,* ullis fere MStis agnoscitur, quippe quum ea neque in tribus illis Baluzianis, neque in libris editionis Oxoniensis gratia collatis, neque in septem, quos ego inspexi, Codicibus compareant; ad oram tantum MSti Tewaterani collocata vox *navis* est. Hanc ergo ut interpretamentum marginale contextu eliminandam censui, quae primum a Baluzio inducta est. Adde quod Floro Lugdunensi ante medium saeculum nonum scribenti ignota vox fuit. Etenim abest a Codice vetusto Commentarii ejus inediti in Epistolas Paulinas, qui ex Cypriano aliisque undecim Patribus contextus est, ubi verba Cypriani affe-runtur. Aliud praeter hoc meum, ut obiter id notem, Floriani operis exemplum penes Majorem Carthusiam exstare memorat cl. Mabillonius in Disquisitione De Bedae et Flori Diaconi Lugdunensis Commentario in Paulum ex Augustino, alio nimirum ejusdem Flori, non Bedae, ut vulgo censetur, commentario. Vide p. 488 novae edit. Vet. Analectorum Mabillonii.

Ibid. l. 19. Conflictatio in adversis probatio est virtutis] Vulgo *veritatis,* quae quidem lectio in Codice Novi Coll. 1 exstat, sed ex uno Bodleiano in Variis Lectt. edit. Oxon. memorato, Codice altero Novi Coll. meoque Tewaterano *virtutis,* id quod olim conjeceram legendum, recepi. Ad oram autem Codicis Novi Coll. altera lectio *veritatis* exstat, et aliud nescio quid in uno de meis MStis positum est.

Ibid. l. 22. solidata est] *Solida est* habet editio Baluziana perinde atque Oxoniensis; quum vero in duodecim scriptis Codicibus, quos Oxoniensis commemorat, vox *solidata* exstet, astipulantibus utroque Novi Collegii Codice et quatuor meis, hanc principis ceterarumque vetustiorum

editionum lectionem revocandam esse censui. Idem quoque factum nunc vidi in editione, cujus modo mentionem feci, in usum Ecclesiae Gallicae confessorum adornata.

P. 285. l. 26. praemium viae ejus] Pro praemium *vitae* praemium *viae* ex tribus Codd. scriptis in edit. Oxon. memoratis, et Novi Coll. MS. 1 libens recepi.

P. 286. l. 20. Pavore mortalitatis et temporis] Delendam esse particulam *et* olim opinabar, eo quod legeretur paulo post, *tempore mortalitatis*. Nunc malim pro *temporis* rescribere *terroribus*.

P. 287. l. 30. perniciosa conceptio Deo providente perspecta est] Ante omnia saecula vocavit unumquemque hominum Deus ad salutem, et vocando providit atque prospexit cogitationes nostras, sive bonas sive malas, et exinde malos damnavit, bonos coronavit. Talem providentiam, vel potius provisionem, talem prospectionem, tale praescitum, minus apto vocabulo praedestinationem dixere magistri, disputandi artifices. RIGALT.

P. 288. l. 5. Nec enim sanguinem nostrum quaerit Deus, sed fidem] *Nec enim Deus sanguinem nostrum desiderat sed fidem quaerit.* Et istud *desiderat* adjecimus ex quibusdam Codicibus nostris, et ex quibusd. Anglicanis. Potest tamen esse glossema. BALUZ. Scripturam principis aliarumque editionum atque unius Codicis membranei mei reposui. Diverso tantum ordine verborum habet Novi Coll. cod. 1, *Nec enim quaerit sanguinem Deus nostrum, sed fidem.* Et MS. olim Meerman. *Nec enim sanguinem Deus nostrum, sed fidem quaerit.* Itidem edit. Oxon. *Nec enim Deus sanguinem nostrum, sed fidem quaerit.* Sed in libro meo olim Teaterano hoc positum est: *Nec enim sanguinem nostrum Deus desiderat, sed tantum fidem.* Cumque lectione Baluziana consentiunt MS. Novi Coll. 2, et MS. olim Drurianus recentior ille; sed alter vetustior habet, *Nec enim sanguinem Deus noster, sed fidem quaerit.*

Ibid. l. 33. commeatum sibi precaretur] Veniam absentiae longioris a Domino; hoc est vitae hic in terris moram. FELL. Doloris mortisve remissionem *commeatum* antiqui dixerunt. Senecae illud afferunt Lexicographi; 'Longum 'mihi *commeatum* dederat valetudo, repente me invasit.'

P. 289. l. 9. de persecutione sollicitus, de accersitione securus] Ita scribendum conjeceram pro ablativis *sollicitis* et *securis*, antequam hanc lectionem in meis Novique Coll. Codicibus, quibus addas quinque Pamelianos, deprehendi. Sensus loci videtur esse, Illorum gratia de persecutione sollicitus, ne vi ejus coacti fidem denegent: de accersitione securus,

utpote certus, eos accersitione divina de saeculo liberatos fore. Vid. paulo infra; et jam supra sub initium §. 2 habes, ‘Laetus itaque de morte jam proxima, et *de vicina accersitione securus.*’ Immo geminum istud fine libelli exstat: ‘Jam de sua immortalitate secura, adhuc de nostra incolumitate sollicita.’ At vero Fellus ad verba, *de persecutione sollicitis, de accersitione securis*, hoc adnotavit, “Martyrii coronam refugiunt, coelestia gaudia non expetunt.” Utrum mavis accipe.

P. 289. l. 15. didicit immo remanentibus] Fide nixus MSti Tewaterani aliorumque quatuordecim in edit. Oxon. memoratorum, in quibus sunt duo illi Novi Collegii Codices, tractatus omnes Cypriani continentes, pronomen *nobis* in excusis additum ante *remanentibus*, sed obscuriorem faciens sermonem, expunxi. Idem nescit MS. uterque Drurianus.

P. 290. l. 3. Improbat denique Apostolus Paulus] Hanc omnium editionum lectionem Baluzius nescio quare cum altera *increpat* commutavit. In edit. Oxon. quae, pariter ac ceterae, praestat *improbat*, duo tantum Codices memorantur in quibus exstat verbum *increpat;* verum ibidem sine causa annotatum est, ‘Forte legendum *improperat.*’ Porro tuentur lectionem *improbat* Codices scripti, quibus utor, omnes.

Ibid. l. 28. Quis non ad meliora festinet?] Positum est in contextu Baluziano, *Quis non ad meliora venire festinet?* Quum vero verbum *venire* frustra quaerendum sit vel in libris editis, vel scriptis illis quibus usus sum, illud delendum videtur. Adde quod neque Pamelius. neque Variae Lectiones in edit. Oxon. positae ejus mentionem faciunt. Ita et proxime post, ob eandem causam *reformari* pro *transformari* quod exstat in Baluziano textu, reducere visum est.

P. 291. l. 12. secundum fidem veri] Haec lectio, quam exhibent undecim exemplaria, in quibus pono Seguierianum, est optima. In duobus aliis scriptum est *verbi.* Morellius adnotat, se vidisse scriptum in antiquis *veri alias verbi.* Quod confirmat nostram lectionem. In Codice Beccensi et in editione Morellii legitur *veritatis.* Haec BALUZIUS, qui *veri* pro lectione vulgata *veritatis* primus posuit, faventibus quoque Codice Novi Coll. 2, et Tewaterano meo. Sed quoniam praeter Baluzianos duos MStos praestat et Codex vetustior Drurianus vocem *verbi*, dubito annon reponendum sit, *secundum fidem verbi veritatis.* Exstat tamen infra, si quid id refert, in lib. de Opere et Eleemosynis, cap. 4, *qui habet fidei* veritatem *servat Dei timorem.*

P. 292. l. 11. *quomodo et Deus manet in aeternum*] Omis-

sum est hoc S. Scripturae additamentum in Codice Cypriani Tewaterano, sicut in vetustiore saltem Druriano, sed idem adductum est in Cypriani libro III Testimoniorum, cap. 2, et in aliorum Patrum operibus.

P. 293. l. 3. eximaris] Hanc lectionem pro vulgata *exuaris* reposui, fide nixus Codicis unius inter lectiones editionis Oxon. variantes; sed forsitan nonnullis lectio altera ferenda esse videbitur, nisi auctoris verba p. 291, l. 20, aliud persuadeant. Nunc porro praelatum esse video verbum *eximaris* in editione ad usum exsulum Gallicorum a me modo commemorata.

Ibid. l. 6. hic interim degere] Lectionem editionis principis aliarumque pro *istic*, quod sine causa suffectum est, fide plurimorum Codicum scriptorum nixus revocavi.

Ibid. l. 19. adhuc de nostra salute sollicita] Delevi particulam *et* ante *adhuc* vulgo positam, quam nesciunt edit. princeps, et septem illi scripti quos contuli. Sed omisit voces *et adhuc* MS. Tewater. habetque *sed adhuc* Codex unus in edit. Oxon. adductus.

Ibid. l. 25. Prophetarum exsultantium] Cogitabat Cyprianus Evangelistae Joannis illud, *Abraham pater vester exsultavit videre diem meum: vidit et gavisus est.* Joan. viii. 56.

Ibid. l. 27. triumphantes Virgines] Vulgo *triumphantes illic Virgines*, sed servato meliore vocum ordine, *illic triumphantes Virgines* MS. olim Tewateranus; dum correctius fortasse nesciunt adverbium *illic* edit. princeps, et sex, quos contuli, Codices manuscripti. Sed et voci *remunerati* praefixit *illic* MS. Tewater.

P. 294. l. 2. ut cum his cito esse] Addunt quidem *possimus* edit. princeps, aliaeque antiquae; quum vero verbum istud agnoscat tantum unus ex Codd. scriptis in usum edit. Oxon. collatis, et tantum unus de meis, ipsum fortasse recte ego nunc duco relinquendum; etsi aliter visum est editori nupero nonnullorum Cypriani opusculorum, cujus supra feci mentionem.

IN

S. CYPRIANI

LIBRUM

DE OPERE ET ELEEMOSYNIS

ANNOTATIONES.

P. 295. l. 2. Liber de Opere et Eleemosynis] Nulla magis re emicuit primaeva pietas, quam illa effusa largitione qua pauperum necessitatibus succurrebatur. Nec in officiis ullis plebi Christianae commendandis magis desudavit aut Apostolorum aut S. Patrum diligentia. Et quidem quae de hac materia in libello isto egregie sunt congesta, non sine numine aliquo videntur scripta, ut paratiores essent fratrum Carthaginiensium mentes ad opem ferendam laborantibus Numidis qui a barbaris hac tempestate erant capti; cujus rei mentio occurrit Ep. 62, ad Pamelii numeros 60. Libellum hunc ante illam cladem scriptum fuisse satis inde conficitur, quod inter hortamenta, nulla occurrat mentio causae tam favorabilis. Tractatum igitur ipsum an. 254 assignamus, qui praedictam barbarorum incursionem videtur praecessisse. Librum hunc laudat D. Hieronym. Epist. ad Pammach. nec non D. August. contra Pelagianos, cont. Julian. et alibi passim. Ejusdem meminisse videtur Pontius sub titulo libri de Misericordia. FELLUS. De hoc libro sic loquitur sanctus Hieronymus in epistola ad Pammachium de dormitione Paulinae: 'Quantas vires habeat misericordia, et quibus donanda sit praemiis, et beatus Cyprianus 'grandi volumine prosequitur, et Danielis consilium probat, 'qui Regem impiissimum, si audire voluisset, dicit pauperum 'sustentatione salvandum.' BALUZIUS.

Multa et magna——mortalibus exhiberet] Hic locus

in Graecam linguam versus prolatus est in Concilio Ephesino inter testimonia Patrum et Martyrum adversus haeresim Nestorii. Itaque in antiqua versione istius Concilii non describuntur Cypriani verba, sed alia translata ex Graeco sermone. Exstat ea versio inter opera Marii Mercatoris pag. 180 editionis nostrae. Hunc porro locum lectum fuisse in Concilio testatur etiam Vincentius Lirinensis. BALUZ.

P. 295. l. 17. homini—reservando] Pro eo quod est, denuo servando.

Ibid. l. 19. Adam portaverat] Apportaverat, inflixit. D. August. hunc locum saepius laudat, dicitque duas Pelagianorum falsitates hic redargui, ‘ unam qua dicunt nihil vitio‘ rum ex Adam trahere genus humanum, quod sit sanandum ‘ curandumque per Christum : alteram qua dicunt, nullum ‘ post baptismum sanctos habere peccatum.’ cont. 2 Epist. Pelag. ad Bonif. l. 4, c. 8. FELL.

P. 296. l. 9. denuo dicit [h. e. Spiritus Sanctus] Olim inter legendum mihi constitit, librum dictum Ecclesiasticum, qui hic et alibi a Cypriano affertur, a Patribus tam Graecis quam Latinis, eo quod in interpretatione τῶν ο′ exstaret, ut S. Scripturae partem θεόπνευστον semper adductum fuisse, usque dum veneris ad Eusebium, qui contra inter τοὺς ἀντιλεγομένους ipsum recensuit. Solus Melito excipiendus est, cujus catalogus librorum Vet. Testamenti apud eundem Eusebium exstat. Et posteris quoque temporibus receptum eum fuisse in auctoritatem, maxime ab Ecclesia orientali, ostendit S. Augustinus de Civitate Dei, lib. xvii, cap. 2. At contra auctoritatem libri canonicam praeter illa Melitonis atque Eusebii sunt et alia in hac re testimonia afferenda; etenim Concilium Laodicenum, ante Augustini tempora quod habitum est, post commemoratos Veteris Testamenti libros, nullis eorum adjectis qui Apocryphi vulgo dicuntur, hunc librum Siracidae Ecclesiasticum junioribus discendum tantum proposuit; tum vero S. Hieronymus, etsi Hebraicum hujus libri exemplar repererat, eundem tamen, propterea quod a Judaico Scripturarum canone abesset, libris canonicis excludendum esse censuit; neque auctoritatem eidem inesse ad dogmata fidei confirmanda agnovit. Vid. Proleg. ejus in Libros Solomon. Neque aliter statuere Rufino Aquileiensi visum est. Vid. Expos. ejus in Symbolum Apost. §. xxxviii, p. 26, ad calcem edit. Oxon. Opp. S. Cypriani. Hi enim ambo legendum librum in Ecclesia tantum propter aedificationem, ut loquuntur, existimabant; quemadmodum statuit Aelfricus abbas in Tractatu suo de Vet. atque Novo Testamento, pag. 17,

edit. Lisle, qui quidem tractatus Aedgari regis Angliae temporibus compositus est. Unde constat parum curasse Aelfricum vel decretum illud Innocentii I, Romani Episcopi, vel Africani Concilii de libris canonicis definitionem. Ad librum Tobit quod attinet, etsi is supra pariter atque hoc loco Ecclesiasticus a Cypriano tanquam Scriptura sacra adductus est, attamen, quod in sequentibus de efficacia eleemosynae dicit Raphael Angelus, id demum Tabithae resuscitatione in Actibus narrata Apostolorum sanctus Pater it probatum. Vid. §. iv, p. 299.

P. 296. l. 16. operatio] Hac voce passim designat auctor omne illud, quod apud nos bonorum operum notatione intelligitur, unde sic in libri hujus titulo adhibetur, ut idem sit cum eleemosyna; et caput primum tertii libri ad Quirin. inscribitur, de Bono Operis et Misericordiae. Ubi vide quae dicta. FELL. Proxime post, scribendum puto *imitata Deum*, videlicet qui in baptismo remissionem peccatorum condonat.

P. 297. l. 1. salubre et emundandis purgandisque peccatis] Jam docuit Cyprianus, *illa delicta quae fuerant ante contracta* [h. e. ante baptismum] *Christi sanguine et sanctificatione purgari.* At vero Joannes Apostolus in epistola sua, de omnibus et singulis peccatis agens, ait cap. ii, comm. 1 et 2, *Filioli mei, haec scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus Jesum Christum justum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Etenim Christus, Deus et homo, *hostia est non tantum pro peccato originis, sed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis;* prout in Articulis Fidei suae Ecclesia Anglica profitetur. Fide in Christi sanguinem peccata omnia purgantur, ac fide opera bona fiunt efficacia ad justificationem. Confer S. Jacobi Epist. ii. 24, et S. Pauli ad Titum iii. 8, 14. Porro *operatur ideo quia credit*, bene ait Cyprianus ante medium hunc libellum, §. 5; sed fere ibidem statuit admonetque, ‘ vitam aeternam Christi cruore pretiosam de patrimonio suo ‘ quemque debere mercari.’ Et est, fateor, ut eleemosynae vim et efficaciam in tollendis peccatis nimis efferre recentioribus quidem theologis videatur Cyprianus, Origenem in hac re aliosque veteres scriptores imitatus. Sed etiam Polycarpus, in egregia sua epistola, §. 10, hoc monuit, *Quum potestis benefacere, nolite differre, quia eleemosyna de morte liberat,* testem citans, quemadmodum Cyprianus, librum Tobit xii. 4. Et Christus ipse opera misericordiae ac beneficia, quae in suos collata fuerint, aeterna felicitate remuneraturum se esse pollicetur. At vero hoc fiet, non propter

meritum eorundem operum, sed propter Christi mortem, pactionemque ejus cum hominibus misericordem.

P. 297. l. 12. *veritas in nobis non est*] Postea additur in vulgatis editionibus, *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis et justus est Dominus qui nobis peccata dimittat.* Verumtamen, etsi ea exstent in quibusdam Codicibus antiquis, quum desiderentur in sexdecim nostris, in primis in Seguieriano, in sex Anglicanis, et apud sanctum Augustinum in locis supra laudatis, putavi ea non esse Cypriani, sed a quodam studioso huc translata ex epistola Sancti Joannis. Certe absque iis non minus constat sensus. BALUZ. Sex Codicibus Anglicis in edit. Oxon. commemoratis addendi sunt Codd. duo Novi Collegii, Mcermannanus nunc meus, et uterque Drurianus, a quibus absunt verba a Baluzio praetermissa; verum exstant in edit. Cypriani principe et duobus alteris penes me MStis.

P. 299. l. 15. non tantum a secunda, sed a prima morte] Prima mors, corporis, secunda animae. Ait igitur, eleemosynis, bonis operationibus, primam illam corporis mortem suspendi, exemplo Tabithae: secundam vero, quae est animae, mortem evitari adeptione vitae aeternae, quae promittitur fidelibus bonas operationes operantibus. RIGALT.

Ibid. l. 28. et viduarum ac pauperum] Particulam *et*, quae huic sententiae in principe aliisque editionibus, et in septem illis Codicibus quos ipse contuli, praefixa est, quae vero in editt. Baluziana et Oxon. male omissa est, revocavi, quum fortasse in MStis voce praecedente *orasset* absorpta esset.

Ibid. l. 33. *exsurge in nomine Jesu Christi*] Istud *in nomine Jesu Christi* addunt nonnullae Versiones, simul cum his Patribus, Cypriano, Ambrosio, Cassiodoroque.

P. 300. l. 22. *illic erit et cor tuum*] *Illic* pro *ibi* ex Codicibus scriptis reposui, quia in ipsius Cypriani lib. III Testimoniorum S. Scripturae, p. 59 edit. Oxon. sic locus Evangelistae affertur.

P. 301. l. 23. Sed vereris et metuis] Restituit priorem lectionem, *Si vereris et metuis*, Baluzius, quam mutaverat, fide nixus quatuor Manuscriptorum, Fellus. Iis alios septem nunc addo, lectionem quae mihi placet, praestantes, atque ita prorsus constituta est oratio mox infra, ubi verbum *metuis* occurrit.

P. 303. l. 11. subsidia] Addunt *vitae* editiones Manutianam secutae, sed vocem delevi, idcirco quod monuit Pamelius praeter Manut. nullum Codicem ipsam legere. Attamen in editione Lugdunensi, quae Manutianae praeivit,

eandem inveni. Porro autem vocem *tibi* post *operanti* nesciunt Codices quos ipse inspexi, quod ideo noto, quia vox non valde desideratur.

P. 304. l. 33. Reditus tuos divide] Scripturam correctiorem revocavi, verum in Cypriani editionibus et manuscriptis frequenter scribitur *redditus ;* tueturque Baluzius.

P. 305. l. 20. quae matrona locuples] *Quae matrona in Ecclesia Christi locuples.* Valde puto ista *in Ecclesia Christi*, quae desunt in antiquis editionibus, in decem Codicibus nostris, et in quinque Anglicanis, addita vero sunt a Manutio, non debere esse in hoc loco. Non tamen ausus sum expungere, quia ea reperi in undecim vetustis exemplaribus. BALUZ. Exstant quoque in MStis Tewaterano ac Meermannano meis, una cum altero ex Drurianis. Quum vero eadem omittant undecim fortasse codices Baluzii, et quinque Anglici, neque in vetustiori ex Drurianis, neque altero meo MS. neque in cod. 1 Novi Coll. exstent, istaec verba importuna et editionibus vetustissimis ignota relinquenda judicavi.

Ibid. l. 27. Dominicum celebrare te credis] Respicere videtur auctor noster locum D. Pauli, 1 Cor. xvi, 2, ubi jubentur singuli fideles *prima Sabbati*, sive quavis die Dominica, *seponere quod eis beneplacuerit.* Et morem hac ex parte Ecclesiae Christianae explicat Justinus Martyr, Apol. 2 : Τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλιν ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται. Quumque precum et Eucharistiae solennia descripsisset, subjungit, οἱ εὐποροῦντες δὲ καὶ βουλόμενοι, κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ, ὃ βούλεται δίδωσι, καὶ τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ὑποτίθεται, καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ ὀρφανοῖς τε καὶ χήραις, &c. Observandum venit, *Dominici* voce tria significari apud veteres. 1. Diem ipsam; ita habetur Apoc. 1. 9, et Ignat. Ep. ad Trallian. 2. Ecclesiam; ita Concil. Neocaes. Can. 5, jubet catechumenum ingredientem ἐς τὸ Κυριακὸν, in loco catechumenorum subsistere ; et Hieron. in Chronico sic voce *Dominici* utitur. Et in vernaculis nostris linguis, nostratium *Church*, et Germanorum *Dohm*, ex hoc fonte liquido deducuntur. 3. Ponitur pro mysteriis loco et tempore praedictis celebrari solitis : ita Κυριακὸν τελεῖν, est sacris Christianis operari. Et fortasse huc facit, quod hic dicitur, *Dominicum celebrare te credis ?* Certe adeo arctus erat nexus inter Eucharistiae perceptionem et jus oblationes participandi, ut pari semper passu procederent, et abstenti viderentur quibus hoc privilegium κοινωνίας μετὰ προσφορᾶς negatum : qua de re videatur Concil. Ancyr. can. 5, nec non quae dicuntur in Ep. 2. In hanc mentem locutus videtur D. Au-

gust. Serm. 213 de Temp. 'Oblationes quae in altario conse-
'crantur offerte, erubescere debet homo idoneus, si de aliena
'oblatione communicat.' FELL. Eucharistiam, quae est Coena Dominica, hoc loco significari cum Fello statuendum est. Interea quum particulam *et* ante *Dominicum* positam, quam nesciunt edd. princeps et Erasmiana, simul ac scripti libri nostri, jam olim decrevissem ejicere, postea illam in tribus aliis MStis deesse sensi.

P. 305. l. 28. *Corban*] Ita scriptum vidi in novem Codicibus manuscriptis, etiam in Seguieriano. Alii habent *Corbonam* vel *Corbanam*. Fuxensis, *Corban et Corbanam*. In capite septimo Evangelii secundum Marcum, et in epistola Hieronymi ad Geruntiam de Monogamia, *Corban, quod est donum*. Bona quoque potest esse lectio Codicis Pithoeani in quo scriptum est, *quae ut orba omnino non respicis*. Nam paulo ante Cyprianus dixit matris illius oculos superfusos esse nigroris tenebris et nocte contectos. Vide notas Cotelerii ad librum secundum Constitutionum Apostolicarum, cap. 36, et Samuelis Basnagii Exercitationes in Baronium, pag. 597. BALUZ. *Corban* hoc loco dona et oblationes sunt, quae Deo dicabantur, ut in usus pauperum et clericorum erogarentur.

Ibid. in Dominicum] Id est in domum in quam Christiani conveniunt ad celebranda mysteria. Constitutio Galerii Maximini pro Christianis apud Rufinum l. IX. c. 9: 'Sed et 'orationum domos, id est Dominica sua, ut instaurent pro 'voluntate sua permittimus.' Et lib. X. cap. 3, quidam confessor qui vicerat philosophum ait: 'Surge et sequere me 'ad Dominicum, et hujus fidei signaculum suscipe.' Hieronymus in Chronico: 'In Antiochia Dominicum quod vocatur 'aureum aedificari coeptum.' Sanctus Hilarius in extremo libro ad Constantium, qui incipit *Benignifico*, ait de Arrianis: 'Verentur igitur populi judicium, a Dominico ad pala-'tium transeunt.' Vide Beveregii annotationes in Canonem 15 Concilii Ancyrani, et Joannem Stephanum Durantum, lib. I. cap. 1, de Ritibus Ecclesiae Catholicae. BALUZ.

P. 306. l. 11. infelicitatis] Vulgo *infidelitatis*. 'Parum 'abfuit,' ait Baluzius, 'quin ponerem *infelicitatis* juxta 'lectionem veterum editionum, quam confirmant viginti et 'duo exemplaria nostra et undecim Anglicana. Manu-'tius posuit *infidelitatis*. Aliter Pamelio visum est.' Haec Baluzius. Vix dubito quin reduci ad hunc locum debeat vox *infelicitatis*, quae cum illa *sterilitatis* jungi soles; *sterile* enim *atque infelix solum* haud raro dicitur. Hanc igitur vocem revocavi Rigaltio quoque probatam, et in sex

MStis mihi visum: sed in alio quodam Codice meo legitur *infidelitatis.*

P, 306. l. 11. Vidua et inops in opere invenitur] *Vidua, et vidua inops rebus, dives in opere invenitur.* Ita restitui hunc locum ex fide Codicis Burgundici et sancti Arnulphi. Ceterum mala non est lectio Gratianopolitani et unius mei, in quibus scriptum est: *Vidua et inops non vidua in opere invenitur.* Porro vox *larga*, quam Manutiana editio inseruit, nuspiam reperitur in antiquis exemplaribus nostris neque in Anglicanis. BALUZ. Ante Baluzium praestabant editi plerique *vidua et inops vidua in opere larga invenitur.* Praetuli ego Codicum meorum scripturam paene omnium; tantum in Cod. Novi Coll. 1 et in utroque Druriano vox *vidua* repetita est, dum *dives in opere* praestat Cod. Novi Coll. 2; in vocibus enim *inops* et *opere* fit paronomasia, ut rhetores loquuntur. Nescit vocem *larga* editio Erasmi.

Ibid. l. 18. Christus illud *Dei dona* appellat] Referendum videtur *illud* ad gazophylacium supra, p. 305 l. ult.

P. 309. l. 32. Et nunc, fili, mando &c.] Ad oram MSti Druriani recentioris scripsit librarius, *Mandata Tobiae ad filios saluberrima.* Mox pro vocibus *in gehennam* substituerat ex Codicibus MStis Fellus *in tenebras*, sed etiam libri scripti inter se hic variant.

P. 310. l. 28. quadriga] Majorum magistratuum honores et insignia. *Curules*, inquit Festus, *equi quadrigales.* FELL.

P. 311. l. 14. ac nisi editio honesta successerit] Sic lib. ad Donatum: 'Stulta prorsus et vana jactura, frustrantis 'spectaculi voluptate id parare voluisse, quod nec populus 'acciperet, et perderet magistratus.' FELL.

Ibid. l. 28. et vix tui meis pereuntibus adaequantur] Numero, ut mox apparet.

P. 314. l. 25. aequalitatis] Ita Erasmus et alii post eum. Nolui autem mutare, quamvis in omnibus fere Codicibus antiquis et in vetustioribus editionibus legatur *aequitatis.* BALUZ. Recte praestant *aequalitatis* Cod. Novi Coll. 2, et MS. meus nuper Tewateranus, cum recentiori ex Drurianis. Quibus libris simul addo Flori Lugdunensis Commentarium penes me ineditum, quem prius memoravi, super Epistolas Paulinas. Proxime scripserat auctor, *aequaliter.*

P. 315. l. 10. Praeclara et divina res] Melius procederet oratio, si legeretur *res est.*

Ibid. l. 25. Dies nos vel reditionis] *Dies nos vel redditionis.* Tertullianus, de Resurrect. Carnis c. 32, *redhibitionem* ponit. Altera lectio quae *reditionem* habet, Rigaltio non displicet: ut 'reditio, quae spontanea videtur, persecutioni

'opponatur, quae est violenta. Vel potius, ut per *reditionem* 'intelligatur in paradisum aditus, unde expulsus peccator 'Adamus, et progenies Adami infecta peccato. Hoc pec- 'catum abolevit Christus, atque inde boni Christiani re- 'deunt in paradisum, quo Cainus fratricida non rediit, in- 'quit Cyprianus, de Zelo et Livore sub finem.' FELL. Cyprianus jam ante in hoc libello *reduces ad paradisum facere* habet, et sub finem lib. de Mortalitate, *nos paradiso restituit et regno*. p. 281. Vid. et fin. epistolae ad Demetrianum. Primus Pamelius vocem *redditionis* ex MStis et Joannis Costeri castigationibus recepit. Exstat quidem ea in Cod. Novi Coll. 2, atque idem significat quod *retributio*, quae quidem Cypriani vox est. Verumtamen ego cum Rigaltio probans veterem lectionem *reditionis* eam revocare statui, quae in sex libris scriptis apud ed. Oxon. et in quatuor MStis meis, nam in Tewaterano primitus scripta fuerat, reperta est. Vocem *reditionis* agnoscit Plautus. Et conveniunt voces *reditio* et *persecutio* hoc loco positae cum illis *accersitio* et *persecutio*, quae supra inlibro de Mortalitate nobis occurrebant, §. 13.

IN

S. CYPRIANI

LIBRUM

DE ZELO ET LIVORE

ANNOTATIONES.

P. 316. l. 2. Liber de Zelo et Livore] Liber iste, ejusdem fere argumenti cum lib. de Patientia, ex eadem occasione etiam scriptus videtur. Sed quum in epistola ad Jubaianum tractatus de Patientia, non autem hujus de Zelo et Livore, meminerit Cyprianus, par est credere, tempore scriptionis istius epistolae, alterum duorum tractatuum solummodo fuisse elucubratum. Proinde auctorem nostrum hunc non ante annum proxime sequentem, nimirum 256, edidisse. Ulterius autem illud opus minime dilatum, exinde suadetur, quod statim persecutio ingrueret, quae publica clade privatas simultates, quemadmodum ruinae solent incendia, exstingueret; quaeque etiam Cyprianum ipsum perculit, et Curubas amandavit. Libellum hunc Pontius evidenter designat, quando ait: 'Quis livorem de 'venenata invidiae malignitate venientem, dulcedine remedii 'salutaris inhiberet?' Ejusdem meminit Hieron. in Comment. in Epist. ad Galat. c. 5, ubi appellat librum de Zelo et Livore 'vald eoptimum,' hoc addito elogio, 'quam qui le-'gerit, non dubitabit annumerare operibus carnis invidiam.' Pariter laudat Augustin. lib. IV. c. 8, 9, 11, de Baptism. cont. Donatistas, et etiam lib. V. c. 14. Citat etiam Beda nostras in 1 Epist. D. Petri c. ult. FELLUS. Quum Sanctus Augustinus initium et quaedam alia hujus libri loca retulisset in libro quarto de Baptismo contra Donatistas, cap. 8, postea ait: 'Haec verba Cypriani in epistola populis nota quam vera 'quam fortia sint recognoscimus. Vere decuit Cyprianum

' de zelo et livore et arguere graviter et monere, a quo tam ' mortifero malo cor ejus penitus alienum tanta caritatis abun- ' dantia comprobavit.' Idem [sic recte reposuit pro Hieronymo Baluzius] in caput quintum Epistolae ad Galatas: ' Scripsit et beatus Cyprianus librum de Zelo et Livore opti- ' mum, quem qui legerit, non dubitaverit annumerare ope- ' ribus carnis invidiam.' Vide Hincmarum in libro Capitulorum c. 47. p. 566. BALUZIUS.

P. 317. l. 3. Circuit ille &c.] Hinc firmatur optima conjectura cl. Oberthuri fine lib. Tertulliani de Oratione, supra p. 121. Item respice ad loc. supra p. 279, l. 20.

Ibid. l. 10. Linguam convitio provocat] Oratio fortasse integrior esset, si ex sequentibus adderetur *ad petulantiam*, et pro voce *petulantiam* ibi inventa rescriberetur *violentiam*. Habes infra §. 4 *manus ad caedis violentiam prompta*.

Ibid. l. 21. vel fallaces insidias vel apertas minas] *Vel* ante *fallaces* revocavi, quod omissum est a Baluzio, suffragantibus mihi Codice Novi Coll. 2 et MSto utroque meo, pariter atque editt. ante Baluzianam. Nunc addo Codices scriptos Meermannanum et utrumque Drurianum.

P. 318. l. 20. dum diabolum qui zelat imitatur] *Zabulum* non diabolum praestat de Codicibus meis unus, isque membraneus, et in editt. aliquot Cypriani ita vox scribitur. ' Zabolus is est diabolus, pro διὰ enim Aetoles ζα dixere.' Gesneri Ling. Lat. Thes. in voce.

P. 319. l. 4. in odium persecutionis facibus livoris exarsit] *Odium persecutionis*, quae est librorum tam scriptorum quam editorum lectio, odium significat ex quo orta persecutio sit.

Ibid. l. 11. miti lenitate patientem] Etsi reducta fuit vox *mitem* pro *miti* in editionem Benedictinam, praetuli nunc ego lectionem alteram, Codicibus scriptis meis firmatam.

Ibid. l. 17. simul] In uno libro meo vetere scriptum est *semel* et supra lineam *vel simul*. Hinc ergo, uti jam non semel diximus, orta est discrepantia quae istic reperitur in Codicibus manuscriptis, quorum nonnulli habent *semel*, alii *simul*. BALUZ. *Simul*, quae edit. principis scriptura est, adstipulante ei uno ex MStis meis, revocavi, etsi interdum *semel* pro *prorsus* et *in perpetuum* veteres ponunt. Habet *sibi* pro *simul* Codex meus olim Tewateranus, anno 1396 scriptus, et *singula* pro *singulos*. Mox lin. 30 *videris* pro perspice, cogita, posuit auctor; et sect. 6 verba, *qui Christianum se mentitur*, quorum ordinem sic sine causa primus

mutavit Manutius. *qui se Christianum mentitur*, ex editt. vetustioribus restitui.

P. 324. l. 24. et zeli ac livoris alienus] Vocis *alienus* cum genitivis istis constructioni, quam primus recepit Manutius, patrocinantur Cod. uterque Novi Collegii ac meus Tewateranus. Nunc addo MS. utrumque Drurianum et Meermannanum cum Flori Lugdunensis Commentario inedito in Pauli Epistolas. Alteram vero constructionem, quae posita est in editt. Manutianam praecedentibus, *et a zelo ac livore alienus*, unus de libris meis habet. Proxime post, in Apostoli ῥήσει, voces, *carnalibus, tanquam*, quae a textu Baluziano forte exciderant, restitui.

P. 325. l. 30. *secundus homo de coelo*] De hac varietate consulas Novi Testamenti editiones; easque et infra adi de scriptura illa *portemus* pro *portabimus*, siquidem in Graecis plurimi Codices scripti et Patres φορέσωμεν habent pro φορέσομεν.

P. 326. l. 26. esse talem] Exstat in edit. Baluziana, *esse se talem*, non, ut prius positum erat, *esse te talem*. Sed expunxi *se*, quod ex priori voce ortum esse possit, auctoritate nixus Codd. duorum apud edit. Oxon. et MS. Novi Coll. 2, et duorum meorum. Habet vero *esse te talem* MS. Novi Coll. 1. Nunc adde utrumque Drurianum et Meermannanum. Mox post vocem *firmandus*, lin. 33, positum est in MSto olim Tewater. *et ornandus*.

P. 327. l. 2. Salutaris operatio] h. e. eleemosyna salutis aeternae efficax. Jam ante idem loquendi modus reperitur sub finem libri de Opere et Eleemosyna.

Ibid. l. 32. de sacramento Crucis et cibum sumis et potum] Per sacramentum Crucis hic intelligit Cyprianus totum Christi in corpore humano commeatum, quo redemptionem Israelis peregit. Exempla scilicet et verba sive mandata Christi, quorum observatione alimur in vitam aeternam; ac praesertim per Crucem, hoc est passionem et mortem. RIGALT. Hic mentionem facit auctor tum esus potusque in sacramento Crucis seu mortis Christi, quae Eucharistia est, tum vero virtutem clementiae, pacis, charitatis, quae cum sacramento illo conjunguntur. Porro aquas apud Merrham per lignum dulces factas, imaginem seu figuram esse earundem virtutum dicit.

P. 328. l. 4. laborabis] Praeferunt *labores* editio princeps et e Codicibus meis unus, quod mihi olim minus recte placuit. Est autem *prosperanda valetudo*, quae eget ut firmior fiat.

Ibid. l. 7. Si sectari non potes] Vulgo, *Si autem eos*

sectari non potes. Editionum vetustiorum lectionem revocavi, quae Rigaltio probata, Codicibus quinque apud edit. Oxon., Codice utroque Novi Collegii, et Tewaterano firmata est. Nunc addo Codicem antiquissimum Meermannanum, et vetustiorem ex duobus Drurianis. Ab altero autem atque alio praeterea MSto membrum hoc abest.

P. 328. l. 17. quo Cain non redit] Recepit in editionem suam Baluzius *quo Cain non ingreditur*, aitque hanc lectionem, quam habent tres libri veteres, putare se esse optimam, alteram vero, quae est *redit*, falsam. Cain enim, qui natus est postquam parentes ejus ejecti fuerant e paradiso, non posse dici rediisse in paradisum, quum in illo nunquam fuisset. Itaque non dubitasse se addit, quin lectio horum trium librorum praeferenda sit. At vero haud ita valere hanc rationem crediderim, ut substitui debeat verbum *ingreditur* lectioni olim receptae et fere universis MStis confirmatae. Ex Codicibus, quibus usus sum soli *ingreditur* praestant MS. Novi Coll. 2, et Drurianus recentior. Ait hoc loco Cyprianus, Cain non redire ad veterem parentum suorum possessionem paradisum; quin et dici solet, *redire animum ad Deum*. Conferas et finem libelli de Opere et Eleemosynis, ubi *nos reduces ad paradisum* habes, notamque ad locum.

Ibid. l. 21. nativitate coelesti et lege divina] Vocem *coelesti* haud agnoscunt, aut decem Codices scripti in edit. Oxon. memorati, aut sex de septem illis, quibus ego in edendis his libellis usus sum; deficit orationis membrum in Meermanni manuscripto. Supra vero habes easdem voces, *nativitate coelesti*, p. 324, l. 26.

QUATUOR CONCILIORUM

GENERALIUM,

NICAENI, CONSTANTINOPOLITANI, EPHESINI,
CHALCEDONENSIS,

CANONES SIVE DECRETA.

VETERUM TESTIMONIA.

IMP. JUSTINIANUS,

In Authenticis, Collatione IX, tit. xiii, *de Ecclesiasticis Regulis et Privilegiis*, in principio.

SANCIMUS igitur vicem legum obtinere sanctas ecclesiasticas regulas, quae a sanctis quatuor Conciliis expositae sunt aut firmatae. Hoc est in Nicaena CCCXVIII et in Constantinopolitana sanctorum CL Patrum, et in Ephesina prima, in qua Nestorius est damnatus, et in Chalcedonia, in qua et Eutyches cum Nestorio anathematizatus est. Praedictarum enim quatuor Synodorum dogmata, sicut sanctas Scripturas, accipimus, et regulas sicut leges observamus.

S. GREGORIUS M. ROMANUS EPISCOPUS.

In Registro Epist. lib. I, cap. xxiv, al. xxv, in fine.

QUATUOR Concilia—tota devotione complector, integerrima approbatione custodio. Quia in his, velut in quadrato lapide, sanctae fidei structura consurgit, et cujuslibet vitae atque actionis norma exsistit: quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra aedificium jacet. Vid. p. 515, tom. II Opp. S. Greg. edit. Benedictin.

CANONES AELFRICI AD WULFSINUM,

Anno Christi 970 conditi, e lingua Saxonica Latine conversi.
Sect. xxxiii.

—Hae quatuor Synodi observandae sunt, prouti quatuor Christi libri in Ecclesia Christi. Multae Synodi deinde congregabantur, sed quatuor illae sunt praecipuae, quoniam exstinxerunt haereticas illas doctrinas, quas haeretici invenerunt haeretice adversus Deum; et ii etiam constituerunt ecclesiasticum ministerium. Concilia Magnae Britanniae et Hiberniae a Davide Wilkins edit. tom. I, p. 254.

Exstat aliud praeterea testimonium in Codice Canonum MSto a Britanno quodam vel Hiberno, ut videtur, collectorum, cujus mentionem facit Joannes Seldenus in Historia Decimarum, cap. viii, p. 210.

HIS ADDENDUS EST

JACOBUS REX BRITANNIARUM,

In Apologia pro Juramento Fidelitatis.

Prima quatuor generalia Concilia tanquam catholica et ortho doxa veneror atque recipio, quae et publica ordinum nostrorum sanctione recepta sunt, et ab Ecclesia nostra pro orthodoxis habentur. p. 38, edit. Lond. an. 1609 typis impressae.

NICAENI CONCILII

ANNO CHRISTI CCCXXV HABITI

SYMBOLUM ET CANONES.

SYMBOLUM NICAENUM,

AD EXEMPLAR QUOD EXSTAT IN ACTIS CHALCEDONENSIS CONCILII.

ΠΙΣΤΕΥΟΜΕΝ *εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα, παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν. Καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρὸς, μονογενῆ, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρός· Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φῶτος, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρί. Δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τάτε ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ· τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα, καὶ σαρκωθέντα, καὶ ἐνανθρωπήσαντα· παθόντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τριτῇ ἡμέρᾳ· ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐράνους· καὶ πάλιν ἐρχόμενον κρίναι ζῶντας καὶ νεκρούς. Καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον. Τοὺς δὲ λέγοντας· Ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, καὶ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι, ἢ τρεπτὸν ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τούτους ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ Ἐκκλησία.* Apud Concil. Chalcedon. Act. ii, edit. Harduin. pag. 286; edit. Labbe et Cossart. p. 339.

FIDES NICAENI CONCILII,

Exstans ante Codicem Canonum Veterem Ecclesiae Romanae, a Fr. Pithoeo adornatum, Paris. e typographia regia 1687, p. 22.

Credimus in unum Deum Patrem, omnipotentem, omnium visibilium necnon et invisibilium factorem: Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre, unigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum non creatum, homousion, hoc est, ejusdem substantiae. Per quem omnia facta sunt, coelestia et terrena. Qui propter nos homines, et propter salutem nostram, descendit, et incarnatus est; et homo factus passus est, et resurrexit tertio die. Ascendit in coelum, venturus inde judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Eos autem qui dicunt, Erat tempus quando non erat, et priusquam nasceretur, non erat, et quia ex nullis subsistentibus factus est; aut ex alia substantia, vel essentia, dicunt esse trepton, hoc est, convertibilem, aut mutabilem Filium Dei; hos anathematizat Catholica et Apostolica Ecclesia.

CANONES

NICAENI CONCILII GENERALIS.

Incipiunt tituli Canonum Nicaeni Concilii, numero XX. Ex interpretatione Dionysii Exigui.

I. De eunuchis, et qui seipsos absciderunt.
II. De his qui ex gentilibus post Baptisma ad Clericatus ordinem promoventur.
III. De subintroductis mulieribus.
IV. De his qui ad Episcopatum in provinciis provehuntur.
V. De excommunicatis.
VI. De privilegiis quae quibusdam civitatibus competunt.
VII. De Episcopo Aeliae, id est, Hierosolymorum.
VIII. De his qui dicuntur Cathari, id est, mundi.
IX. De his qui ad honorem Presbyterii sine examine provecti sunt.
X. De his qui in persecutionibus negaverunt, et postmodum in Clero promoti sunt.
XI. De Laicis qui negaverunt.
XII. De his qui abrenunciaverunt, et iterum ad saeculum sunt regressi.
XIII. De his qui Communionem tempore mortis exposcunt.
XIV. De Catechumenis lapsis.
XV. Quod non oporteat demigrari.
XVI. De his qui in Ecclesiis, in quibus provecti sunt, minime perdurarunt.
XVII. De Clericis usuras accipientibus.
XVIII. De privilegiis Presbyterorum.
XIX. De his qui a Paulo Samosateno ad Ecclesiam veniunt.
XX. De flectendo genua.

CANONES

NICAENI CONCILII UNIVERSALIS.

Κανόνες τῶν τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ ἁγίων Πατέρων τῶν ἐν Νικαίᾳ συνελθόντων.

ΚΑΝΩΝ Α.

ΕΙΤΙΣ ἐν νόσῳ ὑπὸ ἰατρῶν ἐχειρουργήθη, ἢ ὑπὸ βαρβάρων ἐξετμήθη, οὗτος μενέτω ἐν τῷ κλήρῳ· εἰ δέ τις ὑγιαίνων ἑαυτὸν ἐξέτεμεν, τοῦτον καὶ ἐν τῷ κλήρῳ ἐξεταζόμενον πεπαῦσθαι προσήκει· καὶ ἐκ τοῦ δεῦρο μηδένα τῶν τοιούτων χρῆναι προάγεσθαι. Ὥσπερ δὲ τοῦτο πρόδηλον, ὅτι περὶ τῶν ἐπιτηδευόντων τὸ πρᾶγμα καὶ τολμώντων ἑαυτοὺς ἐκτέμνειν εἴρηται, οὕτως εἴτινες ὑπὸ βαρβάρων ἢ δεσποτῶν εὐνουχίσθησαν, εὑρίσκοιντο δὲ ἄλλως ἄξιοι, τοὺς τοιούτους εἰς κλῆρον προσίεται ὁ κανών.

Ex Vet. Interpretatione Dionysii Exigui, edita Moguntiae anno 1525 a Joan. Wendelstino, recusa Parisiis anno 1609 a Francisco Pithoeo.

[Canones trecentorum et octo et decem sanctorum Patrum, qui Nicaeae convenerunt.]

CANON I.

Si quis a medicis per languorem desectus est, aut a barbaris excisus, hic in clero permaneat. Si quis autem seipsum sanus abscidit, hunc, et in clero constitutum, abstineri convenit, et deinceps nullum debere talium promoveri. Sicut autem hoc claret, quod de his, qui hanc rem affectant, vel ausi sunt seipsos abscindere, haec, quae diximus, statuta sunt ; ita si qui vel a barbaris vel a dominis suis eunuchi facti sunt, et probabilis vitae sunt, tales suscipit ecclesiastica regula ad clerum.

ΚΑΝΩΝ Β.

Ἐπειδὴ πολλὰ ἤτοι ὑπὸ ἀνάγκης ἢ ἄλλως ἐπειγομένων τῶν ἀνθρώπων ἐγένετο παρὰ τὸν κανόνα τὸν ἐκκλησιαστικὸν, ὥστε ἀνθρώπους ἀπὸ ἐθνικοῦ βίου ἀρτὶ προσελθόντας τῇ πίστει, καὶ ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ κατηχηθέντας, εὐθὺς ἐπὶ τὸ πνευματικὸν λουτρὸν ἄγειν, καὶ ἅμα τῷ βαπτισθῆναι προσάγειν εἰς Ἐπισκοπὴν, ἢ εἰς Πρεσβυτέριον, καλῶς ἔδοξεν ἔχειν τοῦ λοιποῦ μηδὲν τοιοῦτο γίνεσθαι. Καὶ γὰρ καὶ χρόνου δεῖ τῷ κατηχουμένῳ, καὶ μετὰ τὸ βάπτισμα δοκιμασίας πλείονος· σαφὲς γὰρ τὸ ἀποστολικὸν γράμμα τὸ λέγον, ‘Μηδὲ νεόφυτον, ἵνα μὴ τυφωθεὶς εἰς κρίμα ‘ἐμπέσῃ καὶ παγίδα τοῦ διαβόλου.’ Εἰ δὲ προϊόντος τοῦ χρόνου ψυχικόν τι ἁμάρτημα εὑρεθείη περὶ τὸ πρόσωπον, καὶ ἐλέγχοιτο ὑπὸ δύο ἢ τριῶν μαρτύρων, πεπαύσθω ὁ τοιοῦτος τοῦ κλήρου. Ὁ δὲ παρὰ ταῦτα ποιῶν, ὡς ὑπεναντία τῇ μεγάλῃ Συνόδῳ θρασυνόμενος, αὐτὸς κινδυνεύσει περὶ τὸν κλῆρον.

1 Tim. iii. 6.

CANON II.

Quoniam plura aut per necessitatem, aut alias cogentibus hominibus, adversus ecclesiasticam facta sunt regulam, ut homines ex gentili vita nuper accedentes ad fidem, et instructos brevi tempore, mox ad lavacrum spiritale perducerent, simulque ut baptizati sunt, ad Episcopatum vel ad Presbyterium promoverent, optime placuit, nihil tale de reliquo fieri. Nam et tempore opus est ei qui catechizatur, et post baptisma probatione quamplurima. Manifesta est enim apostolica Scriptura, quae dicit, *Non neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat et laqueum diaboli.* Si vero processu temporis aliquod delictum animae circa personam reperiatur hujusmodi, et a duobus vel tribus testibus arguatur, a clero talis abstineat. Si quis autem praeter haec fecerit, quasi contra magnum Concilium se efferens, ipse de clericatus honore periclitabitur.

ΚΑΝΩΝ Γ.

Ἀπηγόρευσεν καθόλου ἡ μεγάλη Σύνοδος, μήτε Ἐπισκόπῳ, μήτε Πρεσβυτέρῳ, μήτε Διακόνῳ, μήτε ὅλως τινὶ τῶν ἐν τῷ κλήρῳ, ἐξεῖναι συνείσακτον ἔχειν, πλὴν εἰ μὴ ἄρα μητέρα, ἢ ἀδελφὴν, ἢ θείαν, ἢ ἃ μόνα πρόσωπα πᾶσαν ὑποψίαν διαπέφευγεν.

ΚΑΝΩΝ Δ.

Ἐπίσκοπον προσήκει μάλιστα μὲν ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καθίστασθαι· εἰ δὲ δυσχερὲς εἴη τὸ τοιοῦτο, ἢ διὰ κατεπείγουσαν ἀνάγκην, ἢ διὰ μῆκος ὁδοῦ, ἐξ ἅπαντος τρεῖς ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένους, συμψήφων γινομένων καὶ τῶν ἀπόντων καὶ συντιθεμένων διὰ γραμμάτων, τότε τὴν χειροτονίαν ποιεῖσθαι· τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ Μητροπολίτῃ.

ΚΑΝΩΝ Ε.

Περὶ τῶν ἀκοινωνήτων γενομένων, εἴτε τῶν ἐν τῷ

CANON III.

Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quae suspiciones effugiunt.

CANON IV.

Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus qui sunt in provincia Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, et absentibus quoque pari modo decernentibus, et per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur; firmitas autem eorum quae geruntur, per unamquamque provinciam, Metropolitano tribuatur Episcopo.

CANON V.

De his, qui communione

κλήρῳ εἴτε τῶν ἐν λαϊκῷ τάγματι, ὑπὸ τῶν καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν Ἐπισκόπων, κρατείτω ἡ γνώμη κατὰ τὸν κανόνα τὸν διαγορεύοντα, τοὺς ὑφ' ἑτέρων ἀποβληθέντας ὑφ' ἑτέρων μὴ προσίεσθαι· ἐξεταζέσθω δὲ, μὴ μικροψυχίᾳ ἢ φιλονεικίᾳ ἤ τινι τοιαύτῃ ἀηδίᾳ τοῦ Ἐπισκόπου ἀποσυνάγωγοι γεγένηνται. Ἵνα οὖν τοῦτο τὴν πρέπουσαν ἐξέτασιν λαμβάνῃ, καλῶς ἔχειν ἔδοξεν ἑκάστου ἐνιαυτοῦ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν δὶς τοῦ ἔτους Συνόδους γίνεσθαι, ἵνα κοινῇ πάντων τῶν Ἐπισκόπων τῆς ἐπαρχίας ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένων τὰ τοιαῦτα ζητήματα ἐξετάζοιτο· καὶ οὕτως οἱ ὁμολογουμένως προσκεκρουκότες τῷ Ἐπισκόπῳ κατὰ λόγον ἀκοινώνητοι παρὰ πᾶσιν εἶναι δόξωσι, μέχρις ἂν τῷ κοινῷ τῶν Ἐπισκόπων δόξῃ τὴν φιλανθρωποτέραν ὑπὲρ αὐτῶν ἐκθέσθαι ψῆφον. Αἱ δὲ Σύνοδοι γινέσθωσαν, μία μὲν πρὸ τῆς τεσσαρακοστῆς, ἵνα πάσης μικροψυχίας ἀναιρουμένης, τὸ δῶρον καθαρὸν προσφέρηται τῷ Θεῷ· δευτέρα δὲ περὶ τὸν τοῦ μετοπώρου καιρόν.

privantur, seu ex clero seu ex laico ordine, ab Episcopis per unamquamque provinciam, sententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur ab aliis non recipiantur. Requiratur autem, ne pusillanimitate aut contentione vel alio quolibet Episcopi vitio videantur a congregatione seclusi. Ut hoc ergo decentius inquiratur, bene placuit, annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus simul Episcopis congregatis provinciae, discutiantur hujusmodi quaestiones. Et sic qui suo peccaverunt evidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus aestimentur, usque quo, vel in communi vel Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam. Concilia vero celebrentur, unum quidem ante quadragesimam Paschae, ut omni dissensione sublata munus offeratur Deo purissimum; secundum vero, circa tempus autumni.

ΚΑΝΩΝ ϛ'.

Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν τῆς Ἀλεξανδρείας Ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν, ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ Ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν· ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις, τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς Ἐκκλησίαις. Καθόλου δὲ πρόδηλον ἐκεῖνο, ὅτι εἴ τις χωρὶς γνώμης τοῦ Μητροπολίτου γένοιτο Ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον ἡ μεγάλη Σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι Ἐπίσκοπον. Ἐὰν μέν τοι τῇ κοινῇ πάντων ψήφῳ εὐλόγῳ οὔσῃ, καὶ κατὰ κανόνα ἐκκλησιαστικὸν, δύο ἢ τρεῖς δι' οἰκείαν φιλονεικίαν ἀντιλέγωσι, κρατείτω ἡ τῶν πλειόνων ψῆφος.

KANΩN Z.

Ἐπειδὴ συνήθεια κεκράτηκε καὶ παράδοσις ἀρχαία, ὥστε τὸν ἐν Αἰλίᾳ Ἐπίσκοπον τιμᾶσθαι, ἐχέτω τὴν ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς, τῇ μητροπόλει σωζομένου τοῦ οἰκείου ἀξιώματος.

CANON VI.

Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Libyam, et Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia et urbis Romae Episcopo parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam ceterasque provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis. Illud autem generaliter clarum est, quod si quis praeter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definivit Episcopum esse non oportere. Sin autem communi cunctorum decreto rationabili, et secundum ecclesiasticam regulam comprobato, duo aut tres, propter contentiones proprias, contradicunt, obtineat sententia plurimorum.

CANON VII.

Quia consuetudo obtinuit et antiqua traditio, ut Aeliae Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salva metropoli propria dignitate.

ΚΑΝΩΝ Η.

Περὶ τῶν ὀνομαζόντων μὲν ἑαυτοὺς Καθαρούς ποτε, προσερχομένων δὲ τῇ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ Ἐκκλησίᾳ, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ Συνόδῳ, ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ. Πρὸ πάντων δὲ τοῦτο ὁμολογῆσαι αὐτοὺς ἐγγραφως προσήκει, ὅτι συνθήσονται καὶ ἀκολουθήσουσι τοῖς τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας δόγμασι· τοῦτ' ἔστι, καὶ διγάμοις κοινωνεῖν, καὶ τοῖς ἐν τῷ διωγμῷ παραπεπτωκόσιν, ἐφ' ὧν καὶ χρόνος τέτακται, καὶ καιρὸς ὥρισται, ὥστε αὐτοὺς ἀκολουθεῖν, ἐν πᾶσι, τοῖς δόγμασι τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας. Ἔνθα μὲν οὖν πάντες, [*fors.* πάντη] εἴτε ἐν κώμαις, εἴτε ἐν πόλεσιν αὐτοὶ μόνοι εὑρίσκοιντο χειροτονηθέντες, οἱ εὑρισκόμενοι, ἐν τῷ κλήρῳ ἔσονται ἐν τῷ αὐτῷ σχήματι· εἰ δὲ τοῦ τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας Ἐπισκόπου ἢ Πρεσβυτέρου ὄντος προσέρχονταί τινες, πρόδηλον, ὡς ὁ μὲν Ἐπίσκοπος τῆς Ἐκκλησίας ἕξει τὸ ἀξίωμα τοῦ Ἐπισκόπου· ὁ δὲ ὀνομαζόμενος παρὰ τοῖς λεγο-

CANON VIII.

De his, qui se cognominant Catharos, id est mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam catholicam, placuit sancto et magno Concilio ut impositionem manus accipientes sic in clero permaneant. Haec autem prae omnibus eos scriptis convenit profiteri, quod catholicae et apostolicae Ecclesiae dogmata suscipiant et sequantur: id est, et bigamis se communicare, et his qui in persecutione prolapsi sunt, erga quos et spatia constituta sunt, et tempora definita, ita ut Ecclesiae catholicae et apostolicae placita sequantur in omnibus. Ubicunque vero, sive in civitatibus sive castellis ipsi soli reperti fuerint ordinati, qui inveniuntur in clero, in eodem habitu perseverent; ubi autem, catholicae Ecclesiae Episcopo vel Presbytero constituto, quidam ex illis adveniunt, certum est, quod Episcopus Ecclesiae habebit Episcopi dignitatem; is autem,

μένοις Καθαροῖς Ἐπίσκοπος τὴν τοῦ Πρεσβυτέρου τιμὴν ἕξει, πλὴν εἰ μὴ ἄρα δοκοίη τῷ Ἐπισκόπῳ τῆς τιμῆς τοῦ ὀνόματος αὐτὸν μετέχειν. Εἰ δὲ τοῦτο αὐτῷ μὴ ἀρέσκοι, ἐπινοήσει τόπον ἢ Χωρεπισκόπου ἢ Πρεσβυτέρου ὑπὲρ τοῦ ἐν τῷ κλήρῳ ὅλως δοκεῖν εἶναι, ἵνα μὴ ἐν τῇ πόλει δύο Ἐπίσκοποι ὦσιν.

ΚΑΝΩΝ Θ.

Εἴ τινες ἀνεξετάστως προήχθησαν Πρεσβύτεροι, ἢ ἀνακρινόμενοι ὡμολόγησαν τὰ ἡμαρτήμενα αὐτοῖς, καὶ ὁμολογησάντων αὐτῶν παρὰ κανόνα κινούμενοι οἱ ἄνθρωποι, τοῖς τοιούτοις χεῖρα ἐπιτεθείκασι, τούτους ὁ κανὼν οὐ προσίεται· τὸ γὰρ ἀνεπίληπτον ἐκδικεῖ ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία.

KANON I.

Ὅσοι προεχειρίσθησαν τῶν παραπεπτωκότων κατὰ ἄγνοιαν, ἢ καὶ προειδότων τῶν προχειρισαμένων, τοῦτο οὐ προκρίνει τῷ κανόνι τῷ ἐκκλησιαστικῷ, γνωσθέντες γὰρ καθαιροῦνται.

qui nominatur apud eos Episcopus, honorem Presbyterii possidebit, nisi forte placuerit Episcopo nominis eum honore censeri. Si vero hoc ei minime placuerit, providebit ei aut Chorepiscopatus aut Presbyterii locum, ut in clero prorsus esse videatur, ne in una civitate duo Episcopi probentur existere.

CANON IX.

Si qui Presbyteri sine examine sunt provecti, vel, quum discuterentur, peccata sua confessi sunt, et homines contra canones commoti manus confessis imponere tentaverunt, tales regula non admittit, quia quod irreprehensibile est catholica defendit Ecclesia.

CANON X.

Quicunque de lapsis ad ordinem cleri promoti sunt per ignorantiam, vel per ordinantium dissimulationem, hoc ecclesiasticae non praejudicat regulae, cogniti namque deponantur.

ΚΑΝΩΝ ΙΑ.

Περὶ τῶν παραβάντων χωρὶς ἀνάγκης, ἢ χωρὶς ἀφαιρέσεως ὑπαρχόντων, ἢ χωρὶς κινδύνου, ἤ τινος τοιούτου, ὃ γέγονεν ἐπὶ τῆς τυραννίδος Λικινίου, ἔδοξε τῇ Συνόδῳ, εἰ καὶ ἀνάξιοι ἦσαν φιλανθρωπίας, ὅμως χρηστεύσασθαι εἰς αὐτούς· ὅσοι οὖν γνησίως μεταμελῶνται, τρία ἔτη ἐν ἀκροωμένοις ποιήσουσιν οἱ πιστοὶ, καὶ ἑπτὰ ἔτη ὑποπεσοῦνται, δύο δὲ ἔτη χωρὶς προσφορᾶς κοινωνήσουσι τῷ λαῷ τῶν προσευχῶν.

ΚΑΝΩΝ ΙΒ.

Οἱ δὲ προσκληθέντες μὲν ὑπὸ τῆς χάριτος καὶ τὴν πρώτην ὁρμὴν ἐνδειξάμενοι, καὶ ἀποθέμενοι τὰς ζώνας, μετὰ δὲ ταῦτα ἐπὶ τὸν οἰκεῖον ἔμετον ἀναδράμοντες ὡς κύνες, ὥς τινας καὶ ἀργύρια πρόεσθαι, καὶ βενεφικίοις κατορθῶσαι τὸ ἀναστρατεύσασθαι, οὗτοι δέκα ἔτη ὑποπιπτέτωσαν, μετὰ τὸν τῆς τριετοῦς ἀκροάσεως χρόνον. Ἐφ' ἅπασι δὲ τούτοις, προσήκει ἐξε-

CANON XI.

De his, qui praeter necessitatem praevaricati sunt, aut praeter ablationem facultatum, aut praeter periculum, vel aliquid hujusmodi, quod factum est sub tyrannide Licinii, placuit Synodo, quamvis humanitate probentur indigni, tamen eis benevolentiam commodari. Quicunque ergo veraciter poenitudinem gerunt, tribus annis fideles inter audientes habeantur, et sex annis [*Vid. not.*] omni se contritione dejiciant, duobus autem annis sine oblatione populo in oratione communicent.

CANON XII.

Quicunque vocati per gratiam primum quidem impetum monstraverunt deponentes militiae cingulum, postmodum vero ad proprium vomitum sunt relapsi, ita ut quidam et pecunias tribuerent, et beneficiis militiam repeterent, hi decem annis post triennii tempus quo inter audientes erunt in afflictione permaneant. Sed in his omnibus propositum et

τάζειν τὴν προαίρεσιν καὶ τὸ εἶδος τῆς μετανοίας· ὅσοι μὲν γὰρ καὶ φόβῳ καὶ δάκρυσι καὶ ὑπομονῇ καὶ ἀγαθοεργίαις, τὴν ἐπιστροφὴν ἔργῳ καὶ οὐ σχήματι ἐπιδείκνυνται, οὗτοι πληρώσαντες τὸν χρόνον τὸν ὡρισμένον τῆς ἀκροάσεως, εἰκότως τῶν εὐχῶν κοινωνήσουσι· μετὰ τοῦ ἐξεῖναι τῷ Ἐπισκόπῳ καὶ φιλανθρωπότερόν τι περὶ αὐτῶν βουλεύσασθαι. Ὅσοι δὲ ἀδιαφόρως ἤνεγκαν, καὶ τὸ σχῆμα τοῦ εἰσιέναι εἰς τὴν Ἐκκλησίαν ἀρκεῖν ἑαυτοῖς ἡγήσαντο πρὸς τὴν ἐπιστρέφειαν, ἐξ ἅπαντος πληρούτωσαν τὸν χρόνον.

ΚΑΝΩΝ ΙΓ.

Περὶ δὲ τῶν ἐξοδευόντων, ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος φυλαχθήσεται καὶ νῦν, ὥστε εἴτις ἐξοδεύοι, τοῦ τελευταίου καὶ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου μὴ ἀποστερεῖσθαι· εἰ δὲ ἀπογνωσθεὶς καὶ κοινωνίας πάλιν τυχὼν, πάλιν ἐν τοῖς ζῶσιν ἐξετασθῇ, μετὰ τῶν κοινωνούντων τῆς εὐχῆς μόνης ἔστω. Καθόλου δὲ καὶ περὶ παντὸς οὑτινοσοῦν ἐξοδεύοντος αἰτοῦντος δὲ με-

speciem poenitentiae convenit explorare; quotquot enim metu et lachrymis atque patientia vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam non simulatione demonstrant, hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent; postmodum vero licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare. Quicunque vero indifferenter tulerunt, et aditum introeundi Ecclesiam sibi arbitrati sunt ad conversionem posse sufficere, hi definitum modis omnibus tempus impleant.

CANON XIII.

De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ita, ut siquis egreditur e corpore, ultimo et necessario viatico minime privetur. Quod si desperatus, et consecutus communionem oblationisque particeps factus, iterum convaluerit, sit inter eos, qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, et

τασχεῖν εὐχαριστίας, ὁ Ἐπίσκοπος μετὰ δοκιμασίας μεταδιδότω τῆς προσφορᾶς.

ΚΑΝΩΝ ΙΔ.

Περὶ τῶν κατηχουμένων καὶ παραπεσόντων ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ Συνόδῳ, ὥστε τριῶν ἐτῶν αὐτοὺς ἀκροωμένους μόνον, μετὰ ταῦτα εὔχεσθαι μετὰ τῶν κατηχουμένων.

ΚΑΝΩΝ ΙΕ.

Διὰ τὸν πολὺν τάραχον καὶ τὰς στάσεις τὰς γινομένας, ἔδοξε παντάπασι περιαιρεθῆναι τὴν συνήθειαν τὴν παρὰ τὸν κανόνα εὑρεθεῖσαν ἔν τισι μέρεσιν, ὥστε ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν μὴ μεταβαίνειν, μήτε Ἐπίσκοπον, μήτε Πρεσβύτερον, μήτε Διάκονον. Εἰ δέ τις μετὰ τὸν τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης Συνόδου ὅρον, τοιούτῳ τινὶ ἐπιχειρήσειεν, ἢ ἐπιδοῖη ἑαυτὸν πράγματι τοιούτῳ, ἀκυρωθήσεται ἐξάπαντος τὸ κατασκεύασμα, καὶ ἀποκατασταθήσεται τῇ Ἐκκλησίᾳ, ἧς ὁ Ἐπίσκοπος ἢ ὁ Πρεσβύτερος ἐχειροτονήθη.

poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.

CANON XIV.

De catechumenis lapsis sancto et magno Concilio placuit, ut tribus annis sint inter audientes tantummodo, post haec autem cum catechumenis orent.

CANON XV.

Propter multam perturbationem et seditiones quae fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, quae praeter regulam in quibusdam partibus videtur admissa, ita ut de civitate ad civitatem non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus transferatur. Siquis autem post definitionem sancti et magni Concilii tale quid agere tentaverit, et se hujuscemodi negocio manciparit, hoc factum prorsus in irritum ducatur, et restituatur Ecclesiae cui fuit Episcopus aut Presbyter vel Diaconus ordinatus.

ΚΑΝΩΝ Ις.

Ὅσοι ῥιψοκινδύνως μήτε τὸν φόβον τοῦ Θεοῦ πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχοντες, μήτε τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα εἰδότες ἀναχωρήσουσι τῆς Ἐκκλησίας, Πρεσβύτεροι ἢ Διάκονοι, ἢ ὅλως ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι, οὗτοι οὐδαμῶς δεκτοὶ ὀφείλουσιν εἶναι ἐν ἑτέρᾳ Ἐκκλησίᾳ, ἀλλὰ πᾶσαν αὐτοῖς ἀνάγκην ἐπάγεσθαι χρὴ, ἀναστρέφειν εἰς τὰς ἑαυτῶν παροικίας· ἢ ἐπιμένοντας, ἀκοινωνήτους εἶναι προσήκει. Εἰ δὲ καὶ τολμήσειέν τις ὑφαρπάσαι τὸν τῷ ἑτέρῳ διαφέροντα, καὶ χειροτονῆσαι ἐν τῇ αὐτοῦ Ἐκκλησίᾳ, μὴ συγκατατιθεμένου τοῦ ἰδίου Ἐπισκόπου οὗ ἀνεχώρησεν ὁ ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενος, ἄκυρος ἔστω ἡ χειροτονία.

CANON XVI.

Quicunque temere ac periculose, neque timorem Dei prae oculis habentes, nec ecclesiasticam regulam agnoscentes, discedunt ab Ecclesia, Presbyteri aut Diaconi, vel quicunque sub regula prorsus existunt, hi nequaquam debent in aliam Ecclesiam recipi, sed omnem necessitatem convenit illis imponi, ut ad suas parochias revertantur, quod si non fecerint, oportet eos communione privari. Siquis autem ad alium pertinentem audacter invadere, et in sua Ecclesia ordinare tentaverit, non consentiente Episcopo a quo discessit is qui regulae mancipatur, ordinatio hujuscemodi irrita comprobetur.

ΚΑΝΩΝ ΙΖ.

Ἐπειδὴ πολλοὶ ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι τὴν πλεονεξίαν καὶ τὴν αἰσχροκερδίαν διώκοντες, ἐπελάθοντο τοῦ θείου γράμματος λέγοντος ‘τὸ ἀργύριον ‘αὐτοῦ οὐκ ἔδωκεν ἐπὶ τόκῳ,’ καὶ δανείζοντες, ἑκατο-

CANON XVII.

Quoniam multi, sub regula constituti, avaritiam et turpia lucra sectantur, oblitique divinae Scripturae, dicentis, *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, mutuum dantes centesimas exigunt: juste censuit sanc-

στὰς ἀπαιτοῦσιν, ἐδικαίωσεν ἡ ἁγία καὶ μεγάλη Σύνοδος, ὡς εἴτις εὑρεθείη μετὰ τὸν ὅρον τοῦτον τόκους λαμβάνειν, ἐκ μεταχειρήσεως ἢ ἄλλως μετερχόμενος τὸ πρᾶγμα, ἢ ἡμιολίας ἀπαιτῶν, ἢ ὅλως ἕτερόν τι ἐπινοῶν αἰσχροῦ κέρδους ἕνεκα, καθαιρεθήσεται τοῦ κλήρου, καὶ ἀλλότριος τοῦ κανόνος ἔσται.

ΚΑΝΩΝ ΙΗ.

Ἦλθεν εἰς τὴν ἁγίαν καὶ μεγάλην Σύνοδον, ὅτι ἔν τισι τόποις καὶ πόλεσι, τοῖς Πρεσβυτέροις τὴν Εὐχαριστίαν οἱ Διάκονοι διδόασιν, ὥσπερ οὔτε ὁ κανὼν οὔτε ἡ συνήθεια παρέδωκε, τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ· κακεῖνο δὲ ἐγνωρίσθη, ὅτι ἤδη τινὲς τῶν Διακόνων καὶ πρὸ τῶν Ἐπισκόπων τῆς Εὐχαριστίας ἅπτονται. Ταῦτα οὖν πάντα περιῃρήσθω· καὶ ἐμμενέτωσαν οἱ Διάκονοι τοῖς ἰδίοις μέτροις, εἰδότες ὅτι τοῦ μὲν Ἐπισκόπου ὑπηρέται εἰσὶ, τῶν δὲ Πρεσβυτέρων ἐλάττους τυγχάνουσι· λαμβανέτωσαν

ta et magna Synodus, ut siquis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipiens, aut ex adinventione aliqua vel quolibet modo negotium transigens, aut hemiolia, id est, sescupla, exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratia, dejiciatur a clero, et alienus existat a regula.

CANON XVIII.

Pervenit ad sanctum magnumque Concilium, quod in quibusdam locis et civitatibus Presbyteris gratiam sacrae communionis Diaconi porrigant, quod nec regula nec consuetudo tradidit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Christi corpus accipiant. Necnon et illud innotuit, quod quidam Diaconi ante Episcopos sacra oblata contingant. Haec igitur omnia resecentur, et in sua Diaconi mensura permaneant, scientes, quod Episcoporum quidem ministri sint, inferiores autem Presbyteris habeantur. Per

δὲ κατὰ τὴν τάξιν τὴν Εὐχαριστίαν μετὰ τοὺς Πρεσβυτέρους, ἢ τοῦ Ἐπισκόπου διδόντος αὐτοῖς, ἢ τοῦ Πρεσβυτέρου· ἀλλὰ μηδὲ καθῆσθαι ἐν μέσῳ τῶν Πρεσβυτέρων ἐξέστω τοῖς Διακόνοις· παρὰ κανόνα γὰρ καὶ παρὰ τάξιν ἐστὶ τὸ γινόμενον. Εἰ δέ τις μὴ θέλοι πειθαρχεῖν καὶ μετὰ τούτους τοὺς ὅρους, πεπαύσθω τῆς διακονίας.

ΚΑΝΩΝ ΙΘ.

Περὶ τῶν Παυλιανισάντων, εἶτα προσφυγόντων τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ, ὅρος ἐκτέθειται ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξάπαντος. Εἰ δέ τινες ἐν τῷ παρεληλυθότι χρόνῳ ἐν τῷ κλήρῳ ἐξητάσθησαν, εἰ μὲν ἄμεμπτοι καὶ ἀνεπίληπτοι φανεῖεν, ἀναβαπτισθέντες χειροτονείσθωσαν ὑπὸ τοῦ τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας Ἐπισκόπου· εἰ δὲ ἡ ἀνάκρισις ἀνεπιτηδείους αὐτοὺς εὑρίσκοι, καθαιρεῖσθαι αὐτοὺς προσήκει. Ὡσαύτως δὲ καὶ περὶ τῶν Διακονισσῶν, καὶ ὅλως περὶ τῶν ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζομένων, ὁ αὐτὸς τύπος παραφυλαχθήσεται· ἐμνήσθημεν δὲ τῶν Διακονισσῶν τῶν ἐν τῷ σχήματι ἐξετασθεισῶν, ἐπεὶ μηδὲ χειροθεσίαν τινὰ

ordinem ergo post Presbyteros gratiam sacrae communionis accipiant, eis aut Episcopo aut Presbytero porrigente. Sed nec sedere in medio Presbyterorum diaconis licebat; quia si hoc fiat, praeter regulam et ordinem probatur existere. Siquis autem etiam post has definitiones obedire noluerit, a ministerio cessare debebit.

CANON XIX.

De Paulianistis ad Ecclesiam catholicam confugientibus, definitio prolata est, ut baptizentur omnimodis. Si qui autem de his praeterito tempore fuerint in clero, siquidem immaculati et inrepraehensibiles apparuerint, baptizati ordinentur ab Episcopo Ecclesiae catholicae: quod si discussio incongruos eos invenerit, abjici tales conveniet. Similiter autem et de Diaconissis, et omnino de his qui sub regula versantur, haec forma servabitur. Meminimus autem de Diaconissis, quae in eodem habitu esse probantur,

ἔχουσιν, ὥστε ἐξάπαντος ἐν τοῖς λαϊκοῖς αὐτὰς ἐξετάζεσθαι.

ΚΑΝΩΝ Κ.

Ἐπειδή τινές εἰσιν ἐν τῇ Κυριακῇ γόνυ κλίνοντες, καὶ ἐν ταῖς τῆς Πεντηκοστῆς ἡμέραις, ὑπὲρ τοῦ πάντα ἐν πάσῃ παροικίᾳ ὁμοίως παραφυλάττεσθαι, ἑστῶτας ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ Συνόδῳ τὰς εὐχὰς ἀποδιδόναι τῷ Θεῷ.

quod non habeant aliquam manus impositionem, et ideo modis omnibus eas inter laicos deputari.

CANON XX.

Quoniam sunt quidam in die Dominico genua flectentes, et in diebus Pentecostes, ut omnia in universis locis consonanter observentur, placuit sancto Concilio stantes Domino vota persolvere.

Expliciunt Canones Nicaeni Concilii.

CONCILII

CONSTANTINOPOLITANI

ANNO CHRISTI CCCLXXXI HABITI

CANONES ET SYMBOLUM.

CANONES

CONCILII CONSTANTINOPOLITANI GENERALIS.

Κανόνες τῶν ἑκατον πεντήκοντα ἁγίων Πατέρων τῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει συνελθόντων.

Canones sanctorum centum quinquaginta Patrum, qui Constantinopoli convenerunt.

Epistola Synodi ad Theodosium Magnum.

Προσφωνητικὸς τῆς αὐτῆς ἁγίας Συνόδου πρὸς τὸν εὐλαβέστατον Βασιλέα Θεοδόσιον τὸν μέγαν, ᾧ ὑπέταξαν τοὺς παρ' αὐτῶν ἐκτεθέντας κανόνας.

Ejusdem sancti Concilii ad piissimum Imperatorem Theodosium Magnum nuncupatoria, cui adjunxerunt a se statutos canones.

Τῷ εὐσεβεστάτῳ Βασιλεῖ Θεοδοσίῳ ἡ ἁγία Σύνοδος τῶν Ἐπισκόπων τῶν ἐκ διαφόρων ἐπαρχιῶν συνελθόντων ἐν Κωνσταντινουπόλει.

Piissimo Imperatori Theodosio, sanctum Concilium Episcoporum, qui ex diversis provinciis Constantinopoli convenerunt.

ΑΡΧΗ μὲν ἡμῖν τοῦ πρὸς τὴν σὴν εὐσέβειαν γράμματος, εὐχαριστία πρὸς τὸν Θεὸν τὸν ἀναδείξαντα τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας τὴν βασιλείαν, ἐπὶ κοινῇ τῶν Ἐκκλησιῶν εἰρήνῃ καὶ τῆς ὑγιοῦς πίστεως στηριγμῷ· ἀποδιδόντες δὲ τῷ Θεῷ τὴν ὀφειλομένην εὐχαρισ-

Initio quidem nostri ad tuam pietatem scripti, gratias agimus Deo, qui vestrae pietatis imperium constituit ad communem pacem Ecclesiarum, et sanae fidei confirmationem. Agentes autem Deo debitas gratias, necessario quoque eo quae

τίαν ἀναγκαίως καὶ τὰ γεγενημένα κατὰ τὴν ἁγίαν Σύνοδον πρὸς τὴν σὴν εὐσέβειαν ἀναφέρομεν· καὶ ὅτι συνελθόντες εἰς τὴν Κωνσταντινούπολιν κατὰ τὸ γράμμα τῆς σῆς εὐσεβείας, πρῶτον μὲν ἀνενεωσάμεθα τὴν πρὸς ἀλλήλους ὁμόνοιαν· ἔπειτα δὲ καὶ συντόμους ὅρους ἐξεφωνήσαμεν, τήν τε τῶν Πατέρων πίστιν τῶν ἐν Νικαίᾳ κυρώσαντες, καὶ τὰς κατ' αὐτῆς ἐκφυείσας αἱρέσεις ἀναθεματίσαντες. Πρὸς δὲ τούτοις, καὶ ὑπὲρ τῆς εὐταξίας τῶν Ἐκκλησιῶν ῥητοὺς κανόνας ὡρίσαμεν· ἅπερ ἅπαντα τῷδε ἡμῶν τῷ γράμματι ὑπετάξαμεν. Δεόμεθα τοίνυν τῆς σῆς εὐσεβείας ἐπικυρωθῆναι τῆς Συνόδου τὴν ψῆφον, ἵν' ὥσπερ τοῖς τῆς κλήσεως γράμμασι τὴν Ἐκκλησίαν τετίμηκας, οὕτω καὶ τῶν δοξάντων ἐπισφραγίσῃς τὸ τέλος. Ὁ δὲ Κύριος στηρίξῃ σου τὴν βασιλείαν ἐν εἰρήνῃ καὶ δικαιοσύνῃ, καὶ παραπέμψῃ γενεαῖς γενεῶν, καὶ προσθείῃ τῷ ἐπιγείῳ κράτει καὶ τῆς βασιλείας τῆς ἐπουρανίου τὴν ἀπόλαυσιν· ἐῤῥωμένον

acta sunt in sancto Concilio, ad tuam referimus pietatem, nempe quod ex quo tempore juxta litteras tuae pietatis Constantinopoli convenimus, primum quidem mutuam inter nos concordiam renovavimus ; deinde vero breves etiam pronunciavimus definitiones, quibus et Patrum, qui Nicaeae congregati fuerunt, fidem confirmavimus ; et, quae adversus eam obortae sunt, perversas haereses ac pravas opiniones extrema cum exsecratione ac detestatione reprobavimus. Praeterea etiam ad disciplinam Ecclesiarum certos canones statuimus, quae omnia huic nostro scripto subjecimus. Rogamus igitur tuam clementiam, ut per litteras quoque tuae pietatis ratum habeatur Concilii decretum : ut sicuti litteris, quibus nos convocasti, Ecclesiam honore prosecutus es, ita etiam finem eorum quae decreta sunt, obsignes. Dominus autem imperium tuum in pace et justitia stabiliat, et producat in multas aetates et generationes, atque ad terrenum imperium coelestis quoque regni fructum adjiciat. Gratificetur Deus orbi terra-

σε, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς καλοῖς διαπρέποντα, ὁ Θεὸς χαρίσαιτο τῇ οἰκουμένῃ, εὐχαῖς τῶν ἁγίων, τὸν ὡς ἀληθῶς εὐσεβέστατον καὶ θεοφιλέστατον Βασιλέα.

rum, ut te, qui re vera pietatis studiosissimus, denique amantissimus Imperator es, sanctorum precibus bene valentem, omnibusque praeclaris rebus florentem, aspiciat.

Gentiani Herveti Interpretatio ab Harduino recognita, apud Concilia edit. Harduin. tom. I, pag. 807.

Τάδε ὥρισαν οἱ ἐν Κωνσταντινουπόλει χάριτι Θεοῦ συνελθόντες Ἐπίσκοποι ἐκ διαφόρων ἐπαρχιῶν κατὰ κλῆσιν τοῦ εὐσεβεστάτου Βασιλέως *Θεοδοσίου.*

Haec decreverunt ac statuerunt Episcopi, qui gratia Dei ex diversis provinciis Constantinopoli convenerunt, vocati a Theodosio piissimo Imperatore.

Concil. edit. Labbe et Cossart. vol. II, pag. 945.

TITULI CAPITULORUM,

EX ISIDORI MERCATORIS COLLECTIONE.

I. Custodiendam esse fidem Patrum trecentorum decem et octo.

II. Ut Episcopi suam dioecesim gubernent, nec ad alias accedant.

III. Non invitatos Episcopos ultra dioecesim propriam accedere non debere.

IV. De Ecclesiis barbaricis positis, sive in barbaricis compositis.

V. [Apud Graecos III.] De honore Constantinopolitani Episcopi.

VI. [IV.] De Maximo Cynico Philosopho.

VII. De fide Symboli apud Constantinopolim constituti. [Apud Isidorum ultimus Canon est Symbolum CP. Apud Graecos Canon V est, De tomo Occidentalium. VI De accusatoribus Episcoporum orthodoxorum. VII De admissione haereticorum.]

ΚΑΝΩΝ Α.

Μὴ ἀθετεῖσθαι τὴν πίστιν τῶν Πατέρων τῶν τριακοσίων δεκαοκτὼ τῶν ἐν Νικαίᾳ τῆς Βιθυνίας συνελθόντων, ἀλλὰ μένειν ἐκείνην κυρίαν, καὶ ἀναθεματισθῆναι πᾶσαν αἵρεσιν· καὶ ἰδικῶς τὴν τῶν Εὐνομιανῶν, εἴτουν Ἀνομοίων, καὶ τὴν τῶν Ἀρειανῶν, εἴτουν Εὐδοξιανῶν, καὶ τὴν τῶν Ἡμιαρειάνων, εἴτουν Πνευματομάχων, καὶ τὴν τῶν Σαβελλιανῶν, καὶ τὴν τῶν Μαρκελλιανῶν, καὶ τὴν τῶν Φωτεινιανῶν, καὶ τὴν τῶν Ἀπολλιναριστῶν.

ΚΑΝΩΝ Β.

Τοὺς ὑπὲρ διοίκησιν Ἐπισκόπους ταῖς ὑπερορίοις Ἐκκλησίαις μὴ ἐπιέναι, μηδὲ συγχέειν τὰς Ἐκκλησίας· ἀλλὰ κατὰ τοὺς κανόνας, τὸν μὲν Ἀλεξανδρείας Ἐπίσκοπον τὰ ἐν Αἰγύπτῳ μόνον οἰκονομεῖν· τοὺς δὲ τῆς Ἀνατολῆς Ἐπισκόπους τὴν Ἀνατολὴν μόνην διοικεῖν, φυλαττομένων τῶν ἐν τοῖς κανόσι τοῖς κατὰ

Ex Vet. Interpretatione Dionysii Exigui, quae cum Canone de Maximo finitur. Reliqua interpretatus est Gentianus Hervetus.

CANON I.

Fidem non violandam Patrum CCCXVIII qui apud Nicaeam Bithyniae convenerunt, sed manere eam firmam, et stabilem ; anathematizandam omnem haeresim, et specialiter Eunomianorum, vel Anomoeorum, et Arianorum, vel Eudoxianorum, et Macedoniorum, vel Spiritui Sancto resistentium, et Sabellianorum, et Marcellianorum, et Photinianorum, et Apollinariorum.

CANON II.

Qui sunt super dioecesin Episcopi nequaquam ad Ecclesias, quae sunt extra praefixos sibi terminos, accedant, nec eas hac praesumptione confundant ; sed juxta canones, Alexandrinus Antistes quae sunt in Aegypto regat solummodo, et Orientis Episcopi Orientem tan-

Νικαίαν πρεσβείων τῇ Ἀντιοχέων Ἐκκλησίᾳ· καὶ τοὺς τῆς Ἀσιανῆς διοικήσεως Ἐπισκόπους τὰ κατὰ τὴν Ἀσιανὴν μόνον οἰκονομεῖν, καὶ τοὺς τῆς Ποντικῆς, τὰ τῆς Ποντικῆς μόνα, καὶ τοὺς τῆς Θρᾳκικῆς, τὰ τῆς Θρᾳκικῆς μόνον οἰκονομεῖν· ἀκλήτους δὲ Ἐπισκόπους ὑπὲρ διοίκησιν μὴ ἐπιβαίνειν ἐπὶ χειροτονίᾳ ἤ τισιν ἄλλαις οἰκονομίαις ἐκκλησιαστικαῖς. Φυλαττομένου δὲ τοῦ προγεγραμμένου περὶ τῶν διοικήσεων κανόνος, εὔδηλον ὡς τὰ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἡ τῆς ἐπαρχίας Σύνοδος διοικήσει, κατὰ τὰ ἐν Νικαίᾳ ὡρισμένα· τὰς δὲ ἐν τοῖς βαρβαρικοῖς ἔθνεσι τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας οἰκονομεῖσθαι χρὴ κατὰ τὴν κρατήσασαν συνήθειαν τῶν Πατέρων.

ΚΑΝΩΝ Γ.

Τὸν μέν τοι Κωνσταντινουπόλεως Ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης Ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην.

tum gubernent, servatis privilegiis quae Nicaenis canonibus Ecclesiae Antiochenae tributa sunt. Asianae quoque dioeceseos Episcopi ea solum, quae sunt in Asiana dioecesi dispensent. Necnon et Ponti Episcopi ea tantum quae sunt in Ponto, et Thraciarum quae in Thraciis sunt, gubernent.

Non vocati autem Episcopi ultra suam dioecesin non accedant propter ordinationes faciendas, vel propter alias dispensationes ecclesiasticas. Servata vero quae scripta est de gubernationibus regula, manifestum est, quod illa, quae sunt per unamquamque provinciam, ipsius provinciae Synodus dispenset, sicut Nicaeno constat decretum esse Concilio. Ecclesias autem Dei in barbaricis gentibus constitutas gubernari convenit juxta consuetudinem quae est a Patribus observata.

CANON III.

Veruntamen Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris primatum post Romanum Episcopum, propterea quod urbs ipsa sit junior Roma.

ΚΑΝΩΝ Δ.

Περὶ Μαξίμου τοῦ κυνικοῦ καὶ τῆς κατ' αὐτὸν ἀταξίας τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει γενομένης, ὥστε μήτε τὸν Μάξιμον Ἐπίσκοπον ἢ γενέσθαι ἢ εἶναι, μήτε τοὺς παρ' αὐτοῦ χειροτονηθέντας ἐν οἱῳδήποτε βαθμῷ κλήρου, πάντων καὶ τῶν περὶ αὐτὸν καὶ τῶν παρ' αὐτοῦ γενομένων ἀκυρωθέντων.

CANON IV.

De Maximo cynico, et ejus inordinata constitutione, quae Constantinopoli facta est, placuit neque Maximum Episcopum esse, vel fuisse, nec eos, qui ab ipso in quolibet gradu clerici sunt ordinati, quum omnia, quae ab eodem perpetrata sunt, in irritum deducta esse videantur.

ΚΑΝΩΝ Ε.

Περὶ τοῦ τόμου τῶν δυτικῶν, καὶ τοὺς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἀπεδεξάμεθα τοὺς μίαν ὁμολογοῦντας Πατρὸς, καὶ Υἱοῦ, καὶ Ἁγίου Πνεύματος θεότητα.

CANON V.

De volumine occidentalium, etiam eos suscipimus, qui Antiochiae unam Patris et Filii et Spiritus Sancti Deitatem confitentur.

ΚΑΝΩΝ ς.

Ἐπειδὴ πολλοὶ, τὴν ἐκκλησιαστικὴν εὐταξίαν συγχεῖν καὶ ἀνατρέπειν βουλόμενοι, φιλέχθρως καὶ συκοφαντικῶς αἰτίας τινὰς κατὰ τῶν οἰκονομούντων τὰς Ἐκκλησίας ὀρθοδόξων Ἐπισκόπων συμπλάσσουσιν, οὐδὲν ἕτερον ἢ χραίνειν τὰς τῶν ἱερέων ὑπολήψεις,

CANON VI.

Quoniam multi, ecclesiasticum ordinem confundere et subvertere volentes, inimice et sycophantice adversus orthodoxos Episcopos qui Ecclesias administrant, accusationes quasdam confingunt, nihil aliud quam sacerdotum bonam existimationem laedere, et in

καὶ ταραχὰς τῶν εἰρηνευόντων λαῶν κατασκευάζειν ἐπιχειροῦντες· τούτου ἕνεκεν ἤρεσε τῇ ἁγίᾳ Συνόδῳ τῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει συνδραμόντων Ἐπισκόπων, μὴ ἀνεξετάστως προσίεσθαι τοὺς κατηγόρους, μηδὲ πᾶσιν ἐπιτρέπειν τὰς κατηγορίας ποιεῖσθαι κατὰ τῶν οἰκονομούντων τὰς Ἐκκλησίας, μηδὲ μὴν πάντας ἀποκλείειν· ἀλλ' εἰ μέν τις οἰκείαν τινὰ μέμψιν, τοῦτ' ἔστιν, ἰδιωτικὴν, ἐπαγάγοι τῷ Ἐπισκόπῳ, ὡς πλεονεκτηθεὶς, ἢ ἄλλό τι παρὰ τὸ δίκαιον παρ' αὐτοῦ πεπονθὼς, ἐπὶ τῶν τοιούτων κατηγοριῶν μὴ ἐξετάζεσθαι, μήτε πρόσωπον τοῦ κατηγόρου, μήτε τὴν θρησκείαν· χρὴ γὰρ παντὶ τρόπῳ, τό τε συνειδὸς τοῦ Ἐπισκόπου ἐλεύθερον εἶναι, καὶ τὸν ἀδικεῖσθαι λέγοντα, οἵας ἂν ᾖ θρησκείας τῶν δικαίων τυγχάνειν. Εἰ δὲ ἐκκλησιαστικὸν εἴη τὸ ἐπιφερόμενον ἔγκλημα τῷ Ἐπισκόπῳ, τότε δοκιμάζεσθαι χρὴ τῶν κατηγορούντων τὰ πρόσωπα· ἵνα πρῶτον μὲν αἱρετικοῖς μὴ ἐξῇ κατηγορίας κατὰ τῶν ὀρθοδόξων Ἐπισκόπων ὑπὲρ ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων ποιεῖσθαι. Αἱρετικοὺς δὲ λέγομεν, τούς τε πάλαι τῆς Ἐκκλησίας ἀπο-

pace degentium populorum tumultus concitare conantes: ea de causa placuit sanctae Synodo Episcoporum, qui Constantinopoli convenerunt, nec sine examine admittere accusatores, nec omnibus, eorum qui Ecclesias administrant, accusationes permittere, nec omnes excludere. Sed si quis propriam quidem querelam, id est, privatam, intendat Episcopo, ut oppressus, vel injuria aliqua ab ipso affectus, in ejusmodi accusationibus nec accusatoris personam nec religionem examinari. Oportet enim Episcopi conscientiam esse omnibus modis liberam, et eum qui sibi injuriam factam esse dicit, cujuscumque sit religionis, jus suum obtinere. Si autem sit crimen ecclesiasticum quod Episcopo intenditur, tunc examinari oportet personas accusatorum, ut primum quidem haereticis non liceat orthodoxos Episcopos de rebus ecclesiasticis accusare. Haereticos autem dicimus, et qui olim ab Ecclesia

κηρυχθέντας, καὶ τοὺς μετὰ ταῦτα ὑφ' ἡμῶν ἀναθεματισθέντας· πρὸς δὲ τούτοις, καὶ τοὺς τὴν πίστιν μὲν τὴν ὑγιῆ προσποιουμένους ὁμολογεῖν, ἀποσχίσαντας δὲ καὶ ἀντισυνάγοντας τοῖς κανονικοῖς ἡμῶν [*fors.* κοινωνικοῖς ἡμῖν Harduinus] Ἐπισκόποις. Ἔπειτα δὲ καὶ εἴ τινες τῶν ἀπὸ τῆς Ἐκκλησίας ἐπὶ αἰτίαις τισὶ προκατεγνωσμένοι εἶεν καὶ ἀποβεβλημένοι, ἢ ἀκοινώνητοι, εἴτε ἀπὸ κλήρου, εἴτε ἀπὸ λαϊκοῦ τάγματος, μηδὲ τούτοις ἐξεῖναι κατηγορεῖν Ἐπισκόπου, πρὶν ἂν τὸ οἰκεῖον ἔγκλημα πρότερον ἀποδύσωνται· ὁμοίως δὲ καὶ τοὺς ὑπὸ κατηγορίαν προλαβοῦσαν ὄντας μὴ πρότερον δεκτοὺς εἰς Ἐπισκόπου κατηγορίαν ἢ ἑτέρων κληρικῶν, πρὶν ἂν ἀθώους ἑαυτοὺς τῶν ἐπαχθέντων αὐτοῖς ἀποδείξωσιν ἐγκλημάτων. Εἰ μέν τοι τινὲς μήτε αἱρετικοὶ μήτε ἀκοινώνητοι εἶεν, μήτε κατεγνωσμένοι ἢ προκατηγορημένοι ἐπί τισι πλημμελήμασι, λέγοιεν δὲ ἔχειν τινὰ ἐκκλησιαστικὴν κατὰ τοῦ Ἐπισκόπου κατηγορίαν, τούτους κελεύει ἡ ἁγία Σύνοδος πρῶτον μὲν ἐπὶ τῶν τῆς ἐπαρχίας πάντων Ἐπισκόπων ἐνίστασθαι τὰς κατ-

ejecti sunt, et qui sunt postea a nobis anathematizati: ad haec autem et eos, qui se sanam quidem fidem confiteri prae se ferunt, avulsi autem sunt et abscissi, et adversus canonicos nostros Episcopos congregationem faciunt. Praeterea autem et si aliqui eorum ab Ecclesia ob aliquas causas prius condemnati, et ejecti, vel excommunicati fuerint, sive ex clero, sive ex laicorum ordine, nec eis licere Episcopum accusare, priusquam proprium crimen absterserint. Similiter autem et eos qui sub priore adhuc accusatione laborant, non prius ad Episcopi vel aliorum clericorum accusationem admitti, quam se objectorum sibi criminum insontes ostenderint. Sed si nonnulli nec haeretici nec excommunicati fuerint, nec prius damnati, vel aliquorum criminum accusati, dicant autem se habere ecclesiasticas aliquas adversus Episcopum criminationes, eos jubet sancta Synodus, primum quidem apud provinciae Episcopos accusationem intendere, et apud eos probare

ηγορίας, καὶ ἐπ᾽ αὐτῶν ἐλέγχειν τὰ ἐγκλήματα τοῦ ἐν αἰτίαις τισὶν Ἐπισκόπου· εἰ δὲ συμβαίη ἀδυνατῆσαι τοὺς ἐπαρχιώτας πρὸς διόρθωσιν τῶν ἐπιφερομένων ἐγκλημάτων τῷ Ἐπισκόπῳ, τότε αὐτοὺς προσιέναι μείζονι Συνόδῳ τῶν τῆς διοικήσεως Ἐπισκόπων ἐκείνης, ὑπὲρ τῆς αἰτίας ταύτης συγκαλουμένων, καὶ μὴ πρότερον ἐνίστασθαι τὴν κατηγορίαν, πρὶν ἢ ἐγγράφως αὐτοὺς τὸν ἴσον αὐτοῖς [*fors.* αὐτοῖς] ὑποτιμήσασθαι κίνδυνον, εἴπερ ἐν τῇ τῶν πραγμάτων ἐξετάσει συκοφαντοῦντες τὸν κατηγορούμενον Ἐπίσκοπον ἐλεγχθεῖεν. Εἰ δέ τις καταφρονήσας τῶν κατὰ τὰ προδηλωθέντα δεδογμένων, τολμήσειεν ἢ βασιλικὰς ἐνοχλεῖν ἀκοὰς, ἢ κοσμικῶν ἀρχόντων δικαστήρια, ἢ οἰκουμενικὴν Σύνοδον ταράσσειν, πάντας ἀτιμάσας τοὺς τῆς διοικήσεως Ἐπισκόπους, τὸν τοιοῦτον τὸ παράπαν εἰς κατηγορίαν μὴ εἶναι δεκτὸν, ὡς καθυβρίσαντα τοὺς κανόνας, καὶ τὴν ἐκκλησιαστικὴν λυμηνάμενον εὐταξίαν.

ΚΑΝΩΝ Ζ.

[Τοὺς προστιθεμένους τῇ ὀρθοδοξίᾳ καὶ τῇ μερίδι

crimina Episcopo objecta. Quod si evenerit, ut provinciales Episcopi crimina, quae Episcopo intentata sunt, corrigere non possint, tunc ipsos accedere ad majorem Synodum dioecesis illius Episcoporum, pro hac causa convocatorum, et accusationem non prius intendere, quam in scriptis aequale periculum sibi statuant, si quidem in rebus examinandis accusatum Episcopum calumniari convicti fuerint. Si quis autem iis quae, ut prius declaratum est, decreta fuerunt contemptis, ausus fuerit vel Imperatoris aures molestia efficere, vel saecularium principum judicia, vel universalem Synodum perturbare, neglectis dioecesis Episcopis, eum nullo modo esse ad accusationem admittendum, ut qui canonibus injuriam fecerit, et ecclesiasticum ordinem everterit.

CANON VII.

Eos qui rectae fidei se adjungunt, et parti eorum qui ex

τῶν σωζομένων ἀπὸ αἱρετικῶν δεχόμεθα κατὰ τὴν ὑποτεταγμένην ἀκολουθίαν καὶ συνήθειαν. Ἀρειανοὺς μὲν καὶ Μακεδονιανοὺς καὶ Σαββατιανοὺς καὶ Ναυατιανοὺς, τοὺς λέγοντας ἑαυτοὺς καθαροὺς καὶ καθαρωτέρους, [Vid. notam] καὶ τοὺς Τεσσαρεσκαιδεκατίτας εἴτουν Τετραδίτας, καὶ Ἀπολλιναριστὰς, δεχόμεθα διδόντας λιβέλλους, καὶ ἀναθεματίζοντας πᾶσαν αἵρεσιν μὴ φρονοῦσαν ὡς φρονεῖ ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ Ἐκκλησία· καὶ σφραγιζομένους ἤτοι χριομένους πρῶτον τῷ ἁγίῳ μύρῳ, τό τε μέτωπον καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ τὰς ῥῖνας καὶ τὸ στόμα καὶ τὰ ὦτα· καὶ σφραγίζοντες αὐτοὺς, λέγομεν, ‘Σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος Ἁγίου.’ Εὐνομιανοὺς μέν τοι τοὺς εἰς μίαν κατάδυσιν βαπτιζομένους, καὶ Μοντανιστὰς τοὺς ἐνταῦθα λεγομένους Φρύγας, καὶ Σαβελλιανοὺς τοὺς Υἱοπατορίαν διδάσκοντας, καὶ ἑτερά τινα χαλεπὰ ποιοῦντας, καὶ τὰς ἄλλας πάσας αἱρέσεις, ἐπειδὴ πολλοί εἰσιν ἐνταῦθα, μάλιστα οἱ ἀπὸ τῆς Γαλατῶν χώρας ἐρχόμενοι, πάντας τοὺς ἀπ᾽ αὐτῶν θέλοντας προστίθεσθαι τῇ ὀρθο-

haereticis servantur, recipimus, secundum subjectam hic consequentiam et consuetudinem. Arianos quidem, et Macedonianos, et Sabbatianos, et Novatianos, qui dicunt seipsos Catharos et Aristeros, et Tessaradecatitas sive Tetraditas, et Apollinaristas, recipimus, dantes quidem libellos, et omnem haeresim anathematizantes, quae non sentit ut sancta Dei catholica et apostolica Ecclesia; et signatos, sive unctos primum sancto chrismate, et frontem, et oculos, et nares, et os, et aures; et eos signantes dicimus, *Signaculum doni Spiritus Sancti.* Atqui Eunomianos, qui in unam immersionem baptizantur, et Montanistas, qui hic dicuntur Phryges, et Sabellianos qui eumdem esse Patrem et Filium opinantur, utrumque simul confundentes, et alia gravia et indigna faciunt, et alias omnes haereses, quoniam hic multi sunt haeretici, et maxime qui ex Galatarum regione veniunt, quicumque ex his rectae

δοξίᾳ, ὡς Ἕλληνας δεχόμεθα· καὶ τὴν πρώτην ἡμέραν ποιοῦμεν αὐτοὺς Χριστιανούς, τὴν δὲ δευτέραν κατηχουμένους, εἶτα τὴν τρίτην ἐξορκίζομεν αὐτοὺς μετὰ τοῦ ἐμφυσᾶν τρίτον εἰς τὸ πρόσωπον καὶ εἰς τὰ ὦτα αὐτῶν· καὶ οὕτως κατηχοῦμεν αὐτοὺς, καὶ ποιοῦμεν αὐτοὺς χρονίζειν εἰς τὴν Ἐκκλησίαν καὶ ἀκροᾶσθαι τῶν γραφῶν, καὶ τότε αὐτοὺς βαπτίζομεν.]

fidei adscribi volunt, ut Gentiles admittimus ; et primo quidem die ipsos Christianos facimus, secundo catechumenos, deinde tertio exorcizamus sive adjuramus ipsos, ter simul in faciem eorum ut aures insufflando ; et sic eos catechizamus, et curamus ut longo tempore versentur in Ecclesia et audiant Scripturas, et tunc eos baptizamus.

Expliciunt Canones Constantinopolitani Concilii.

SYMBOLUM CONSTANTINOPOL.

AD EXEMPLAR QUOD EXSTAT IN ACTIS CHALCEDONENSIS CONCILII.

ΠΙΣΤΕΥΟΜΕΝ εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων. Καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων· φῶς ἐκ φωτος, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ· γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρί· δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους, καὶ διὰ τὴν ἡμέτεραν σωτηρίαν, κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ σαρκωθέντα ἐκ Πνεύματος Ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς Παρθένου, καὶ ἐνανθρωπήσαντα· σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ παθόντα, καὶ ταφέντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφάς· καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ Πατρός· καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς· οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος. Καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον, τὸ Κύριον καὶ τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν Πατρὶ καὶ Υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν Προφητῶν· Εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν Ἐκκλησίαν· ὁμολογοῦμεν ἓν βαπτίσμα

εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, προσδοκῶμεν ἀνάστασιν νεκρῶν, καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. Ἀμήν.

EXPOSITIO FIDEI

CL Sanctorum, qui Constantinopolim congregati sunt.

Apud Codicem Canonum Veterem Ecclesiae Romanae a Fr. Pithoeo adornatum.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium: Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre ante omnia saecula, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, consubstantialem Patri: Per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines et salutem nostram descendit de coelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, et inhumanatus est, et crucifixus est pro nobis sub Pontio Pilato, et sepultus est, et resurrexit tertia die, ascendit in coelos, sedet ad dexteram Patris, iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis: Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum, qui loquutus est per sanctos Prophetas: Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam: confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum, exspectamus resurrectionem mortuorum, vitam futuri saeculi. Amen.

IN SYMBOLUM ET CANONES
NICAENI CONCILII
ANNOTATIONES.

P. 367. l. 1. Symbolum Nicaenum] Postquam Fidei Symbolum Nicaenum collatis inter se multis ac variis exemplaribus quam emendatissimum, ut speravi, praestiteram, valde gavisus sum recensionem videre meam cum illo Symboli exemplo prorsus convenientem, quod olim apud Concilium Chalcedonense ab Eunomio, Episcopo Nicomediae, Nicaeni Episcopi Metropolitano, recitatum est. Itaque hoc exemplum edo tibi, mi Lector, tanquam veterem ac veram symboli faciem repraesentans, prae reliquis nimirum formulis apud antiquos auctores conservatis. Ac demum, ut vetus exemplar Latinum, quod hic subjunxi, omittam, judicium meum ulterius firmatum vidi duobus aliis exemplis, quae ex duobus Codicibus Latinis edidit Joannes Harduinus in tomo primo Conciliorum, p. 311. Horum Codicum prior, qui fuit olim penes societatem Jesu, anno Christi 800 scriptus, formulam praestabat cum Chalcedonio exemplo, duobus minimi momenti locis exceptis, omnino consentientem. Videlicet uno in loco additur *nostrum* post *Dominum;* in altero vero voces, *Et iterum* ante illas, *venturus est*, Codex iste omittit. Alter vero liber MS. olim Colbertinus, geminam atque simillimam Symboli formulam exhibebat, nisi quod, praeter istam varietatem, unum aliud verbum, *credimus*, post articulum, *In Spiritum Sanctum*, in eo suppletum erat.

P. 367. l. 15. *ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐράνους*] Additum est *καὶ καθιζόμενον ἐν δεξίᾳ τοῦ Πατρὸς* in Prologo Pedalii Ecclesiae Graecae, sive Canonum Collectionis ab ipsis Graecis recens editae, in qua Symboli Nicaeni exemplum positum est. Exstant eadem verba apud Epiphanium in Ancorato, et in Gelasii Actis Nicaeni Concilii, ubi hoc Symbolum priori loco Gelasiani operis adducitur, et in Actis Concilii Carthag. vel Africani, loco eorundem priori, et in actionibus secunda et quinta Chalcedonensis Concilii, denique in Conciliorum Ephesini et Sexti Generalis Actis, ubi legitur, *καὶ ἐν δεξίᾳ τοῦ Πατρὸς καθήμενον*. Sed nesciunt hoc additamentum non tantum aliquot MSti, testibus Graecis annotatoribus ad Pedalium, et ipsum hoc quod edimus Eunomianum in Chalcedonensi Concilio exemplar, verum etiam illud ab Eusebio allatum in epistola ad Palaestinos suos, quae quidem epistola apud Athanasium, et Socratem, et Theodoretum, Gelasiumque exstat. Neque verba agnoscunt S. Hilarius, S. Basilius M., Rufinus, Theodotus Ancyranus, Concilium Alexandrinum in causa Nestorii habitum, Nicephorus, Codexve MS. Thomae Phillipps Baronetti opuscula varia Theologica continens, vel denique exemplar Codici Canonum Veteri Ecclesiae Romanae praefixum. Nec porro praestat ea locus, quo Symbolum in Actis Concilii Carthag. iterum affertur, recitatis tunc literis, quae ab Attico CPtano Episcopo, una cum Symbolo et Actis Synodi Nicaenae, receptae fuerant; neque habet eadem S. Cyrillus Alex. Tractatu suo in Symbolum. Ex Symbolo ergo CPtani Concilii traductus videtur iste articulus, qui tamen in ipsum ex aliqua formula vetustiore acceptus fuit. Etenim in vetustissima regula fidei, quam profert Tertullianus, cum in libro de Praescript. Haeret. cap. 13, tum in illo de Virginibus Veland. cap. 1, verba, *Sedere ad dexteram Patris*, comparent. Adde Presbyteros apud S. Hippolytum contra Noetum, c. 1. p. 46. Ceterum apud auctores quos supra memoravi, exstant plurimae Symboli Nicaeni lectiones variantes, sed eae maximam partem exigui momenti.

CANON I.

P. 370. l. 8. *εἰ δέ τις ὑγιαίνων* &c.] Punit ausos vel seipsos vel alios mutilare etiam Lex Civilis. Vide Photii Nomocanon. tit. 1, cap. xiv. Sed Canonis hujus causam et rationem exponit Concilii Agathensis praeceptum, 'Si qui se 'carnali vitio repugnare nescientes abscindunt, ad clerum 'pervenire non possunt.' c. 77, referente cl. Vigorio, Op. iii, 4, 4. Mox Latine vertas istud, *περὶ τῶν ἐπιτηδευόντων τὸ*

πρᾶγμα, *de iis qui dedita opera rem patrant.* Ceterum usitatam verborum constructionem habes infra in Canone VI, καθόλου δὲ πρόδηλον ἐκεῖνο, ὅτι &c. similem isti quae exstat hoc loco, ὥσπερ δὲ τοῦτο πρόδηλον, ὅτι &c.

P. 370. l. 10. χρῆναι] Reponendum esset χρὴ ex Codice MSto Bodleiano vetustissimo, qui numero 26 signatus est, et ad saeculum pertinere undecimum videtur, quum faveat huic lectioni verborum constructio, nisi reclamarent Graecae Canonum Collectiones, omnesque Latinae eorundem interpretationes, una illa Isidoriana excepta. Desideratur in Canonum Graecorum editione principe, quae, curante Joanne Tilio, prodiit anno 1540 Parisiis, hoc membrum orationis.

Ibid. l. 16. *Ex Vet. Interpretatione Dionysii Exigui* &c.] Quae substituta est in Codice Canonum Veteri Romanae Ecclesiae, Parisiis 1687 typis impresso, alia ac diversa hujus interpretationis Canonum Nicaenorum editio, ea quidem desumpta est ex Codice MSto versionum quatuor Latinarum, in quo binae binis e regione oppositae videbantur. Principem editionem praetuli ego a Fr. Pithoeo recusam. Verumtamen in reliquis omnibus Dionysianae interpretationis editionibus nonnulli loci melius redditi existunt.

CANON II.

P. 371. l. 13. εἰ δὲ προϊόντος τοῦ χρόνου ψυχικόν τι ἁμάρτημα εὑρεθείη] Delictum ψυχικὸν ἁμάρτημα hoc loco ita nominatum videtur, ideo quod in superiori Canone de noxa corporali mentio fuerat. Canon autem hic secundus cum nono hujus Concilii et nono Synodi Ante-Nicaenae Neocaesariensis conferendus est. Sic eum exprimit in Commentario suo Aristenus, εἰ δέ τις καὶ μετὰ τὴν χειροτονίαν ἁμαρτήσας ἀποδειχθῇ πρότερον, ὕστερον οὑτοσὶ πεπαύσθω τοῦ κλήρου.

Ibid. l. 16. ὁ δὲ παρὰ ταῦτα ποιῶν] Episcopus, vel alius quivis, delinquentibus favens. Confer Canonem Concilii Trullani seu Quinisexti XXII.

CANON III.

P. 372. l. 4. συνείσακτον ἔχειν] Notas videsis ad Concilium Antioch. contra Paulum Samosatenum, et Ancyrani Concilii Canonem XIX in Reliquiis Sacris, vol. III, 342, et IV, 164, adpositas. Ut vero aliquid hic dicatur de cleri conjugio, de quo mota quaestio est in hoc Concilio, S. quidem Paphnutius coactae abstinentiae clericorum, conjuges qui fuerant ante ordinationem, ab uxoribus suis feliciter se opposuit; sed vero idem ille fatebatur, auctore Socrate in Hist. Eccl.

lib. I, cap. 11, *τὸν φθάσαντα κλήρου τυχεῖν, μηκέτι ἐπὶ γάμον ἔρχεσθαι, κατὰ τὴν τῆς Ἐκκλησίας ἀρχαίαν παράδοσιν.* Confer Sozomen. i, 23. Vide et S. Jacobi Nisibeni Sermonem xviii, §. 9, p. 383, qui huic Concilio adfuit; duarumque Synodorum Ante-Nicaenarum decreta, quae sunt Neocaesariensis Canon I, et Canon x Ancyranus. Interea in hoc Canone Nicaeno nomine *subintroductarum* uxores haud concludi, in promptu est ostendere, non tantum ipsarum historia, verum etiam disertis aliorum auctorum verbis.

CANON IV.

P. 372. l. 11. *τρεῖς ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένους*] Correxit Codex 26 jam ante dictus Bodleianus, *τριῶν ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένων*: at vero verba *τὴν χειροτονίαν ποιεῖσθαι* hoc loco active ponuntur. Descriptus est hic Canon in Canone III Concilii Nicaeni II.

Ibid. l. 14. *καθ' ἑκαστὴν ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ*] Imperii Romani provinciae plus quadraginta recensentur in Patrum hujus Concilii Catalogis; quibus fere singulis in statu ecclesiastico praefuerunt Metropolitani, dein Archiepiscopi dicti. Nonnullas tamen exstitisse urbes, quarum Praesules jamdiu plurium simul provinciarum curam gessissent, vel ex Canone hujus Concilii sexto patet. Initioque videntur soli hi Praesules Archiepiscopi titulum habuisse. Ceterum vide quae ad eundem Canonem de ordinatione, seu constitutione, singulorum Episcoporum adnotantur.

CANON V.

P. 373. l. 5. *μικροψυχίᾳ ἢ φιλονεικίᾳ*] Latine vertit Rufinus, Hist. Eccl. x, 5, *aut iracundia aliqua, aut contentione.* Neque aliter idem Rufinus vocem reddidit, apud Eusebium H. E. vi, 12, ubi *μικροψυχίαν* interpretatus est *inimicitiam simultatemque*, sicut Henricus Valesius *simultatem.* Dubitanti autem mihi, ut dixeram, Reliq. Sacr. I, p. 460, de hac vocis interpretatione, qua magis *pusillanimitas* plerumque significatur, postea occurrebat hic ipse locus, perinde atque Socratis ille in Hist. Eccl. v, 23, aliusque Sozomeni xv, 24, in quibus notio ista *simultatis* seu *contentionis* eidem attributa videbatur. Mox vero ad vocem *μικροψυχίας* in hoc Canone, ubi vertunt Interpretes Latini *dissentionem* seu *simultatem*, notatum est in novissima Conciliorum editione Mansiana videri illos legisse *φιλονεικίας*: tamen non assentior.

Ibid. l. 11. *τὰ τοιαῦτα ζητήματα ἐξετάζοιτο*] Postquam monuit Edmundus Richerius, Historia Conciliorum General. I. cap. v fine, Canone secundo Concilii Constantinopolitani

explicatos esse Canones hujus Synodi quintum et sextum, haec praeclare scribere pergit, ‘ Quum, jubente Canone hoc ‘ quinto, a Synodo provinciali unaquaeque provincia debeat ‘ gubernari, hoc de disciplina et politia praesertim oportet ‘ intelligi, nam res fidei communione inita omnium Eccle- ‘ siarum definiri debent.’ Ita Richerius. Et ad res fidei pertinuisse videntur omnes fere appellationes ad exteras Ecclesias, quae ante Synodum Nicaenam contigisse referuntur. Ceterum consimilia quaedam de Metropolitanis atque Episcopis subditis habet Canon Antiocheni Concilii XIX.

CANON VI.

P. 374. l. 2. Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει, ὥστε &c.] Pro his verbis Paschasinus, Episcopi Romani legatus, apud Concilium Chalcedonense exemplar Canonis hujus obtulit ista substituens, Ἡ Ἐκκλησία Ῥώμης πάντοτε ἔσχε τὰ πρωτεῖα· ἔχει τοιγαροῦν καὶ ἡ Αἰγύπτος, ὥστε &c. Act. xvi. 1. Sed eodem tempore recitatum est a Constantino Synodi ab epistolis ex Codice ab Aetio Archidiacono CP. sibi dato aliud exemplar sic incipiens, Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ, ὥστε—sed sine vocibus καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει. Et ‘ quandoquidem,’ ait Beveregius ad hunc Canonem annotans, ‘ nec ulli Codices Graeci, ‘ nec Gregorius XIII in recognitione Decreti, nec aliae ‘ quaecunque versiones haec verba agnoscunt, ac ipse Cano- ‘ nis sensus obscurior iis et perturbatior reddatur, commu- ‘ nis haud dubie lectio praeferenda, eaque verba [Pascha- ‘ sini] tanquam spuria ac surreptitia ab omnibus rejicienda ‘ sunt, nec inter varias hujus Canonis versiones recensenda.’ Haec Beveregius. Sed memorat ipse priscam illam Versionem apud Justellum, quam ortum dedisse verbis Paschasini censet, quae interea libera tantum explicatio recepti Canonis mihi videtur. Verum enimvero in plurimis exemplaribus Collectionis Canonum Latinorum, a Quesnello in Appendice ad S. Leonis M. Opera primum editae, iisdem verbis hunc Canonem exprimi, quibus est usus Paschasinus, ostenderunt fratres Ballerini in notis ad eandem Collectionem, pag. 52, vol. III, edit. novae Opp. S. Leonis. Interea in hac Collectione Canones Sardicenses, quibus appellationes ad sedem Romanam sanciebantur, conjuncti Nicaenis leguntur, utpote pro illis falso habiti adductique. Sed et in alia antiquissima interpretatione Latina a fratribus Ballerinis ibidem edita, in qua itidem sine ulla distinctione Canones hi Nicaenis subjecti sunt, eadem verba exstant; quae tamen, mea quidem sententia, tantum significant, Ec-

clesiam Romanam semper habuisse primatum in ditione sua, cujus ad exemplum, seu, *similiter autem et* [verba sunt interpretis] *in ceteris provinciis primatus* [*primatum*] *habeant Ecclesiae civitatum ampliorum*, p. 568.

P. 374. l. 3. *τὸν τῆς Ἀλεξανδρείας Ἐπίσκοπον*] Habent Canonum Collectiones fere omnes extra Concilia, *τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἐπίσκοπον*, sicut infra *τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ Ἐπισκόπῳ*. Ita et in Canone proxime sequente exstat *τὸν ἐν Αἰλίᾳ Ἐπίσκοπον*. Idem enim valent hi tituli. Articulum *τῆς* ante *Ἀλεξανδρείας* reposui ex editione principe Conciliorum.

Ibid. l. 4. *ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ Ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν*] Interpretationis vicem gerit Versio Rufiniana, Canon VI, *Et ut apud Alexandriam, et in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Aegypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Rufini Hist. Eccl. l. 5, p. 14, ed. Cacciari.

Ibid. l. 6. *καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις*] Constat ex Canone secundo CPolitano infra posito, in Oriente proprie sic dicto obtinuisse privilegia Ecclesiae Antiochenae, in ceteris dioecesibus privilegia Ecclesiarum aliarum. Interea *αὐτοκεφέλαι*, vel sui juris, aliquae provinciae videntur semper mansisse, neque Romanae, neque Alexandrinae, neque Orientali, nec demum alii cuivis dioecesi, in rebus ecclesiasticis subjectae; cujusmodi Cyprus insula fuisse, certe ad ordinationes sacras quod attinet, etiam in Excerptis Actorum Ephesini Concilii infra declaratur. Postero tempore Archiepiscopi, tum denique Patriarchae, appellati sunt harum trium Ecclesiarum, Romanae, Alexandrinae, Antiochenae, Episcopi; ac praeterea Aelianus Episcopus in Canone septimo proxime post commemoratus. Denique ita extulit Canonem hunc sextum Harmenopulus in Epitome Canonum apud Leunclavii Jus Graeco-Rom. tom. I, p. 1, *Κρατείτω τὰ ἀρχαῖα ἔθη τῶν Ἀρχιεπισκόπων· καὶ τῶν οἰκείων ἐπαρχιῶν ἕκαστος ἐξουσιαζέτω. Εἰ δέ τις Ἐπίσκοπος τῆς τοῦ Μητροπολίτου δίχα γένηται γνώμης, καθαιρείσθω.*

Ibid. l. 7. *σώζεσθαι*] Habet quidem Joannes Antiochenus in Digesto suo Canonum *σωζέσθω*, itidem *serventur* Dionysii Exigui versio, priscaque Canonum versio apud Justellum. Verum frequens est in his constitutionibus modus infinitivus subaudito *δεῖ*, neque agnoscunt *σωζέσθαι* Codices Bodleiani quos contuli cum excusis.

Ibid. l. 8. *χωρὶς γνώμης τοῦ Μητροπολίτου*] Fere silent circa suffragia populi in his electionibus vetustissimi Canones, qui de Episcopis constituendis agunt. Immo *τοῖς ὀχλοῖς* permitti sacerdotum electiones prohibet Canon decimus ter-

tius Laodicenus. Sed interea absque consensu populi Episcopos iis temporibus fuisse constitutos, haud opinari nos sinunt electiones Episcoporum plurimae ab auctoribus commemoratae. Porro in his rebus participationi populari favet cum ipsa haec Synodus Nicaena in Epistola ad Alexandrinos apud Socratem i, 9, posita a nobis in Appendice, tum Concilii Sardicensis Canon VI. Cleri denique et plebis consensum in electionibus memorant Siricius Papa et Leo M. in Decretis suis, ille cap. x, hic vero capp. xv, et xxxv, et xxxvi. Et conferas quae ad Eusebium, Hist. Eccl. VI, 43, Valesius annotavit. Conciliumque Carthag. IV apud Cyprianum, Epist. 67 vel 68 prope init. ubi et memoratur Episcoporum ejusdem provinciae conventus, qualis in hoc Canone agnoscitur.

P. 374. l. 13. *κρατείτω ἡ τῶν πλειόνων ψῆφος*] At vero haud interea dissentiente Metropolitano. Confer Franciscum Balduinum De Legibus Constantini M. lib. I, p. 74, edit. Lips. Haec posuit Beveregius in Annotationibus. 'Nimirum Pa-'tres in quarto Canone constituerunt, ut Episcopi electio a 'Synodo fiat, et a Metropolitano confirmetur; nihil autem 'ibi decreverant, quid faciendum est, si de electione juxta 'istum Canonem facta controversia aliqua inter Episcopos 'oriretur. Quocirca illud hic determinant, jubentes ut si 'controversia de electione moveatur, majoris Episcoporum 'partis suffragia praevaleant.' p. 60.

CANON VII.

Ibid. l. 17. *ἐχέτω τὴν ἀκολουθίαν τῆς τίμης* &c.] Notum omnibus est, Caesaream olim fuisse Palaestinae metropolin; et praeterea constat, quod quidem monet Beveregius in Annotationibus ad Synodicum suum, Hieronymi quoque temporibus, diu post hoc Concilium, Aeliae, seu Hierosolymae, Metropolitanum fuisse Caesareae Episcopum. Interea verisimile videtur mihi, hanc *honoris consequentiam*, seu vertente Rufino *honoris praerogativam*, ad praeeminentiam quandam pertinere in majoribus Synodis sanctae urbis Episcopis ab antiquo concessam, in Conciliorum licet sessionibus haud semper observatam. Porro autem notabile est illud, quod Eusebius in Historia sua, ubi commemoratur epistola Alexandri Episcopi Hierosolymitani atque Theophili Caesariensis ad Demetrium missa, Alexandrum Praesulem Hierosolymitanum alteri Caesariensi praeposuit. Etiam significari hoc Canone ordinem ejus post Episcopos Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, aiunt Zonaras, aliique in Commentariis suis interpretes. Addidit Zonaras, qui ipse totum Canonem de

Praesule Hierosolymitano exposuerat, Τινὲς δὲ μητρόπολιν τὴν Καισάρειαν λέγουσιν ὀνομάσαι τὸν Κανόνα. Immo duo alteri commentatores, Balsamo et Aristenus, statuunt, designari verbis ultimis hujus Canonis Caesaream; relegatque lectorem suum ad Chalcedonii Concilii Canonem duodecimum Aristenus, ubi jura veteris cujusque sedis metropolitanae adversus novam sic dictam metropoliticam sedem his verbis reservantur, σωζομένων τῇ κατ' ἀληθείαν μητροπόλει τῶν οἰκείων δικαίων. Ex quo quidem Canone, decimoque septimo ejusdem Concilii Chalcedonensis, id liquido patet, regimen ecclesiasticum ad formam civilis imperii primitus esse constitutum. Porro Canonem Nicaenum recte repraesentavit in hunc modum Rufinus, *Et ut Episcopo Hierosolymorum antiquitus tradita honoris praerogativa servetur, manente nihilominus et Metropolitani ipsius provinciae dignitate.* Rufini Hist. Eccl. I, 5, seu X, 5.

CANON VIII.

P. 375. l. 3. τῇ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ Ἐκκλησίᾳ] Voces καὶ ἀποστολικῇ, quae exciderunt e Conciliis a Labbaeo et postea ab Harduino editis, quorum quidem contextum fere secutus sum, huc revocavi; exstant enim eae non tantum in editione principe Conciliorum, sed etiam in omnibus fere Canonum Collectionibus excusis scriptisque. Positum est τῇ ἁγιωτάτῃ ἀποστολικῇ καὶ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ in novissima editione Conciliorum.

Ibid. l. 5. χειροθετουμένους] Fateor equidem haereticos resipiscentes per manuum impositionem in Ecclesiam catholicam antiquitus receptos fuisse. Sed satis mirari nequeo, quare Christophorus Justellus aliique hunc Canonem de istiusmodi χειροθεσίᾳ interpretarentur. Patres enim non de quibusvis, sed de solis clericis Novatianis, qui canonicam nimirum ordinationem ante acceperant, per totum hunc Canonem agunt, statuuntque ad Ecclesiam conversos in eodem clericatus gradu manere, quo inter Novatianos constituti fuerant, ut ex ipsis etiam Canonis verbis, rite perpensis, elucescit. Hic enim de Novatianis decernitur, ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς, μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ. Quo autem referatur illud οὕτως, nisi ad χειροθετουμένους? et quomodo illuc referatur, nisi χειροθεσία ista praecessisset? neque enim *ita* in clero manere possunt, nisi prius in clero fuissent; neque prius in clero esse poterunt, nisi χειροθετούμενοι essent; ac proinde haec Novatianorum χειροθεσία ipsorum ad catholicam Ecclesiam conversionem praecedat necesse est, non sequatur; neque ea est, qua in Ecclesiam a catholicis, sed qua

in clerum a Novatianis admissi sunt. Et sic quidem Balsamon et Zonaras hunc Canonem interpretantur. Nam neuter eorum de reconciliativa ista manuum impositione vel semel meminit. BEVEREG. Porro, etsi disputant nonnulli, sancitum esse hoc Canone ut clerici Novatiani ad Ecclesiam reversi sine nova ipsorum ordinatione res sacras administrarent, rem tamen negant ita se habuisse, non tantum veteres Interpretes, qui verba Canonis, *ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ*, Latine vertunt, *ut impositionem manus accipientes sic in clero permaneant*, verum etiam Rufinus Canonum horum fere aequalis. In Hist. enim sua Eccl. II, 5, commemoratis omnibus Nicaenis Canonibus, de clericis ait Novatianis in octavo hoc Canone signatis, eos in *ordine quodam suo suscipi debere, sed ordinatione data.* Adde quod in Synodica sua Epistola ad Alexandrinos scripta ipsi quoque patres Nicaeni clericis Meletianis resipiscentibus id permittunt, ut *μυστικωτέρᾳ χειροθεσίᾳ* confirmati locum suum in singulis Ecclesiis agnoscant. Vide Epistolam a me infra collocatam, tom. ii, p. 192. Verumtamen aliter fortasse Zonaras Canonem exposuit, qui in Commentario suo sic scribit, *Ὅτι γὰρ οὐ περὶ τὴν πίστιν ἐσφάλλοντο* [Novatiani], *ἀλλ' εἰς μισαδελφίαν καὶ ἄρνησιν μετανοίας τοῖς παραπεπτωκόσι καὶ ἐπιστρέφουσι, διὰ τοῦτο καὶ τὴν χειροτονίαν αὐτῶν ἡ Σύνοδος ἐδέξατο, καὶ μένειν αὐτοὺς ἐν τοῖς οἰκείοις βαθμοῖς διωρίσατο, εἰ μὴ Ἐπίσκοπος εἴη ἐν τῇ καθολικῇ τῆς πόλεως ἐκείνης Ἐκκλησίᾳ.*

P. 375. l. 12. *ἔνθα μὲν οὖν πάντες*] Vox *πάντες*, quam omnes quidem Collectiones Graecae habent, agnoscunt vero neque veteres Latini Interpretes nec Canones Arabici, importune huic loco adjici erit censenda, nisi in *πάντη*, *usquequaque*, vertatur, vocem in Canone XVIII Chalcedonensi adhibitam. Sola omnium, ut olim mihi persuasi, vetus interpretatio Latina Canonum Nicaen. Sardic. et Chalcedon. quae a fratribus Ballerinis in Appendice ad S. Leonis M. Opera primum edita est, vocem *πάντες* agnoscit; nam Canonem sic reddit, *Unde omnes, sive in vicis, sive in civitatibus inveniantur, impositis manibus reconciliationis schemate maneant clericorum.* p. 584. Sed et in una de quatuor horum Canonum interpretationibus, quae, ut supra dixi, in Codicis Canonum Veteris Parisina editione collocatae sunt, vox ista *omnes* nobis occurrit, *ubicunque autem* omnes *sive in castellis, sive in civitatibus, ipsi soli inventi fuerint.*

P. 376. l. 4. *ἐπινοήσει τόπον*] Vertit Dionysius Exiguus *providebit ei locum*, videlicet vel Chorepiscopi in vicis, vel Presbyteri in urbe locum.

CANON IX.

P. 376. l. 8. *προήχθησαν*] Habent Concilia *προσήχθησαν*, sed adnotatum est ad marg. *προήχθησαν*, addiditque Harduinus, 'Melius apud Zonaram *προήχθησαν*.' Immo apud omnes Canonum Collectiones excusas, et quatuor saltem ex octo Codicibus scriptis Bodleianis. Ceterum conferas cum hoc Canone finem superioris Canonis secundi, atque illum proxime secuturum.

Ibid. l. 11. *οἱ ἄνθρωποι*] Articulum, qui hic abest a Conciliis atque Gelasii Actis Concilii Nicaeni, ex ceteris libris, Codicibusque scriptis Bodleianis, huc revocavi.

CANON X.

Ibid. l. 17. *τῷ κανόνι τῷ ἐκκλησιαστικῷ*] Quo nimirum cautum est, ut clerici immunes idololatriae essent post baptismum patratae; qui quidem omnes, si lapsi fuerint, et dein resipiscerint, ad laicam communionem redigendi forent.

CANON XI.

P. 377. l. 7. *τρία ἔτη ἐν ἀκροωμένοις ποιήσουσιν οἱ πιστοὶ*] Pro vocibus *οἱ πιστοὶ* habent *ὡς πιστοὶ* Beveregii Synodicum, Collectionesque Canonum a Graecis recens editae, suffragantibus huic lectioni Bodleianis MStis 158, 196, 202. Istud *οἱ πιστοὶ* omittit Gelasius Cyzicenus cum Tiliani Codicis interpretatione Latina, et prisca versione apud Justellum, et versione a Ballerinis edita; silentque de eo duo commentatores Graeci, Zonaras et Balsamo. Immo nunc video praetermissum idem in Canonum Epitome Leunclav. p. 60. Legere autem vult Johnsonus, Canonum Anglicus interpres, *εἰ πιστοὶ*, hoc sensu, si olim Coenae Dominicae participes fuissent. Haud male. Nihilominus retinendum videtur mihi *οἱ πιστοὶ* plurimis Canonum Collectionibus ac libris scriptis firmatum, ut jubeantur praevaricatores qui credunt, *fideles* scilicet, inter audientes collocari; juxta ac Canone decimo sexto coguntur lapsi, qui fuerint tantum catechumeni, inter audientes illos idem temporis spatium transigere. Ita, ut post vidi, in veteri illa interpretatione quam ad Canonem VIII memoravi, locus sic vertitur, *triennio inter audientes sint, qui lapsi fuerint* baptizati. Ad phrasin vero quod attinet insolentiorem, *τρία ἔτη ποιήσουσιν*, similiter scribit S. Lucas Act. Apost. xx, 3, *ποιήσας τε μῆνας τρεῖς*, Sanctusque Paulus, 2 Cor. xi, 25, *νυκθήμερον ἐν τῷ βύθῳ πεποίηκα*.

Ibid. l. 8. *καὶ ἑπτὰ ἔτη ὑποπεσοῦνται*] Dionysiana Interpretatio his subjecta Canonibus habet *sex annos*. Aliter

vero tam ceterae Versiones Latinae, quam Graeci libri et excusi et scripti. Sed ab omnibus totus discrepat Canonem hunc referens Rufinus, Hist. Eccl. x, 5.

CANON XII.

P. 377. l. 13. *καὶ ἀποθέμενοι τὰς ζώνας*] Ut res sub tyrannide Licinii gestas commemoraverat Canon novissimus, ita duodecimus hic Canon ab optimo Interprete Zonara ad idem tempus refertur. *Περὶ στρατευομένων*, ait ille, *ὁ Κανὼν διαλέγεται, καὶ ἀποῤῥιψάντων μὲν τὰς ζώνας, ἤγουν τὰ τῆς στρατείας παράσημα, ὅρμημα δὲ πρὸς μαρτυρίαν ἐνδειξαμένων, οὓς καὶ ὑπὸ τῆς Θείας χάριτος κληθῆναί φησιν, ὡς δι' ἐκείνης ἐπιῤῥωσθέντας πρὸς τὴν ἔνστασιν τῆς ὁμολογίας τῆς πίστεως, εἶτα ἐν μεταμελείᾳ γενομένων καὶ αὖθις εἰς τὴν προτέραν ἐπανελθόντων στρατείαν, καὶ ταύτην ἀργυρίοις ἀνακτησαμένων ἢ βενεφικίοις. Διὰ μὲν γὰρ τῶν ἀργυρίων δηλοῦται τὰ χρήματα, διὰ δὲ τῶν βενεφικίων ἅπαν εἶδος χάριτός τε καὶ δεξιώσεως· τῆς γὰρ Λατίνων διαλέκτου οὖσα ἡ λέξις, εὐεργεσίαν δηλοῖ πρὸς Ἑλληνίδα μεθερμηνευομένη διάλεκτον· εὐεργετεῖ δέ τις, ἢ χρήματα παρέχων, ἢ ἄλλως θέλημα οἱονδήποτε πληρῶν τινος, δῆλον δὲ πάντως, ὅτι οὐδεὶς τοιοῦτος ἀναστρατεύσασθαι ἐδυνήθη ἄν, εἰ μὴ τῇ πλάνῃ συνέθετο.* Verba interim *δωρεαῖς καὶ ὑποσχέσεσι* ut lectio varians a Ch. Justello posita sunt pro *βενεφικίοις* ad marg. Codicis Univ. Eccl. atqui pro interpretamento sunt. Ad quaestionem quod attinet, utrum bellum unquam licitum apud Christianos olim haberetur, bella quidem justa, quantum ego legendo comperi, Eusebio, Athanasio, Augustino, Concilioque primo Arelatensi probantur, reclamantibus vero Tertulliano et Lactantio, dum parum sibi constat in hac re tractanda Origenes. Verum omnes Ecclesiae Patres, sicut Ecclesia ipsa in sacris suis Canonibus, militibus Christianis, quorum exstitit magnus semper numerus in exercitibus Romanis, saepenumero injungunt, sedulo ac serio sibi cavere, ne quidquam superstitiosum agant, aut munia gerant quae spurcitie idololatriae inquinentur.

P. 378. l. 8. *τοῦ εἰσίεναι*] Habent Concilia *τοῦ μὴ εἰσίεναι*, sed ad marg. posita est lectio *τοῦ εἰσίεναι*, additque Harduinus, 'Rectius *τοῦ εἰσίεναι* apud Zonaram.' Immo apud omnes Canonum Collectiones librosque scriptos Bodleianos.

Ibid. l. 9. *ἀρκεῖν ἑαυτοῖς*] Vulgo *αὐτοῖς*, sed jussu omnium Codicum Bodleianorum id mutavi, etsi *αὐτοῖς* cum spiritu leni pro *ἑαυτοῖς* in libris scriptis auctorum antiquorum poni solet.

CANON XIII.

Ibid. l. 14. *τοῦ τελευταίου καὶ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου*]

Viatici apud Latinos. Meminit autem hujus vetustissimi moris S. Dionysius Alex. apud Eusebium H. E. vi, 44. Ait S. Ignatius de vivifico hoc sacramento, ἕνα ἄρτον κλῶντες, ὅς ἐστιν φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτος τοῦ μὴ ἀποθανεῖν ἀλλὰ ζῆν ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ διὰ παντός. Epist. ad Ephesios, §. 20.

P. 378. l. 17. ἔστω] Post hoc verbum addita sunt in Codd. 715 et 3385, ἄχρις πληρώθῃ ὁ ὁρισθεὶς ὑπὸ τῆς μεγάλης Συνόδου χρόνος. Eadem comparent in veteri illa versione quam ad Canon. VIII commemoravi; porro hoc habet Quesnellana Canonum Collectio, *donec statutum tempus compleatur.*

Ibid. l. 18. αἰτοῦντος δὲ μετασχεῖν] Vulgo αἰτοῦντος τοῦ μετασχεῖν, sed abest τοῦ a Pedalio Graecorum, tribusque Codicibus Bodleianis, et Gelasii Cyziceni Actis Nicaenis; dum δὲ, quod loco bene convenit, ex Joannis Antiocheni Canonum Digesto reposui.

P. 379. l. 2. μεταδιδότω τῆς προσφορᾶς] Ita omnes Canonum Collectiones, omnesque MSS. Bodleiani. Sed pro his vocibus praestant Concilia ἐπιδότω tantum, altera vero lectione ad marg. posita, dum Zonaram, hoc est, Canones cum Zonarae commentario Parisiis anno 1618 typis impressos, testem pro eadem affert Harduinus.

CANON XV.

Ibid. l. 17. ἧς ὁ Ἐπίσκοπος] Vulgo legitur ᾗ, cui quidem scripturae favent plurimi Codices Bodleiani, Codicisque Tiliani Interpretatio et Dionysii Exigui versio Latina. Praestant ἐν ᾗ Beveregii Synodicum, et Graeci recentes, et Collectio Canonum Quesnellana, et duae Veteres Interpretationes Latinae a fratribus Ballerinis in Appendice ad S. Leonem Magnum editae. Sed εἰς ἣν exhibet Joannes Antiochenus. Praetuli ego lectionem ἧς, quae exstat in Gelasii Actis Nicaeni Concilii, Codd. duobus Bodleianis vetustissimis 26 et 3385, tribus Codd. Lloydii Episcopi, prisca Latina Versione apud Justellum, Versioneque Isidori. Ceterum voces *aut Diaconus* post *Presbyter* exstant apud veteres Versiones Latina habetque, sed Graecorum quidem solus, Joannes Antiochenus ἢ Διάκονος, sine articulo, atque itidem sine articulo Ἐπίσκοπος et Πρεσβύτερος.

CANON XVI.

P. 380. l. 10. ὑφαρπάσαι τὸν τῷ ἑτέρῳ διαφέροντα] Hesychius, Διαφέρει, ἀνήκει. Ubi Kusterus ait, ‘ἀνήκει, id est ‘*pertinet*, vel *attinet*.’ Canon Ancyranus XV initio ipso, Περὶ τῶν διαφερόντων τῷ Κυριακῷ. Vet. Interpres, *De iis*

quae pertinent ad Ecclesiam. Habet Joannes Antiochenus τινὰ τὸν, quae fortasse lectio duplex est. Notissimae sunt Demetrii Alexandrini Episcopi querelae de ordinato ab Alexandro Aeliensi celebri Origine in Presbyterum injussu ejusdem Demetrii. Ceterum verba illa initio Canonis posita, μήτε τὸν φόβον τοῦ Θεοῦ πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχοντες, examussim convenientia cum accusatoria formula quae in jure Anglico obtinet, *Not having the fear of God before their eyes,* ortum debere suum Paulinis illis in Rom. iii, 18 me monuit amicus.

P. 380. l. 11. ἐν τῇ αὐτοῦ Ἐκκλησίᾳ] Αὐτοῦ pro vulgato αὐτοῦ ex Pedalio Graecorum Versionibusque Latinis recepi, dum ἑαυτοῦ habet Gelasius Cyzicenus. Sed conferas not. ad Canonem XII.

CANON XVII.

Ibid. l. 18. ἑκατοστὰς ἀπαιτοῦσιν—ἢ ἡμιολίας ἀπαιτεῖν] Concil. Laodiceni Can. IV, περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἱερατικοὺς δανείζειν, καὶ τόκους καὶ τὰς λεγομένας ἡμιολίας λαμβάνειν. Usurae ἡμιολίαι sunt, quum tertia pars sorti usurarum nomine accedit. Suidas, ἡμιολία, τὸ ἥμισυ τοῦ κεφαλαίου; et rursum, ἡμιόλιός ἐστιν ἀριθμὸς ὁ ἔχων ὅλον, καὶ τὸ ἥμισυ αὐτοῦ. Ideoque ἡμιολισμὸς apud Harpocrationem et Suidam. Gellius, lib. XVIII, cap. 14, 'Est autem hemiolius, qui numerum to-'tum in se habet, dimidiumque ejus: ut tres ad duo, quin-'decim ad decem, triginta ad viginti.' Ἡμιόλιον dimidia pars uniuscujusque rei est. Et apud Suidam, δίδοσθαι δὲ ὀψώνιον στρατεύειν αἱρουμένοις παρ' αὐτῷ, ἡμιόλιον τοῦ νῦν διδομένου. Vide infra ad Can. CVIII, et adde locum Hieronymi: 'Solent 'foeneratores argumentari ac dicere, Dedi unum modium, 'qui satus fecit decem modios; nonne justum est ut medium 'modium de meo plus accipiam, quum ille de mea liberalitate 'novem et semis de meo habeat?' Constantinus lib. I Cod. Th. de Usuris ἡμιολίας frugum tulit. Verum hujusmodi frugum agricolis mutuo datarum usurae ad centesimum modum redactae sunt a Justiniano, l. Eos qui, 26 Cod. de Usuris, et Nov. 32, 33, 34, cap. 1, unde desumpta est Authentica subdita d. l. Quum non frumentum 16 Cod. de Usuris. Specierum usurae dicuntur Hieronymo, id est καρπῶν ut recte Graeci lib. XXIII Synopsis Basilic. tit. 3 de Usuris cap. 66. Vide Scholion et l. Frumenti 12. Cod. de Usuris. H. JUSTELL. Notis in Biblioth. Juris. Canon. Veteris, i, 74.

P. 381. l. 3. ἐκ μεταχειρήσεως ἢ ἄλλως μετερχόμενος] Zonaras in Commentario—ἐκ μεταχειρήσεως, ἤγουν ὡς οἷόν τινα πραγματείαν τὸ τοκίζειν μεταχειριζόμενος ἢ ἄλλως μετερχόμενος

τὸ πρᾶγμα. Τινὲς γὰρ ἐκφεύγοντες τὸ λέγεσθαι περὶ αὐτῶν ὅτι τόκους λαμβάνουσι, διδόασι τοῖς χρῄζουσιν ἀργύρια, καὶ συμφωνοῦσι συμμερίζειν αὐτοῖς τὸ κέρδος· καὶ οὐ δανειστὰς ἑαυτοὺς ἀλλὰ συγκοινωνοὺς ὀνομάζουσι, καὶ ζημίας μὴ ὄντες κοινωνοί, ἐπὶ τῷ κέρδει μόνῳ κοινοπραγοῦσι. Usuras exigere prohibentur clerici Canone xx Apostolico, et Laodicenae Synodi Canone iv, Trullanoque x. Idem laicis vetitum est aliis Canonibus.

CANON XVIII.

P. 381. l. 16. ταῦτα οὖν] Ταῦτα μὲν οὖν Concilia, sed refragantibus ceteris Canonum Collectionibus cum editis tum scriptis.

P. 382. l. 3. καθῆσθαι ἐν μέσῳ τῶν Πρεσβυτέρων] Hic quidem Diaconorum cum Presbyteris consessus prohibetur. Porro sedere Diaconum coram Presbytero injussu ejus vetat Laodiceni Concilii Canon vicesimus. Conveniens istud est, κείσθω δὲ μέσος ὁ τοῦ Ἐπισκόπου θρόνος· παρ' ἑκάτερα δὲ αὐτοῦ καθιζέσθω τὸ Πρεσβυτερίον, καὶ οἱ Διάκονοι περιστάσθωσαν εὐσταλεῖς τῆς πλείονος ἐσθῆτος. Constitut. Apost. II, 57. Diu tamen postea haud emendatos Diaconorum mores fuisse probat Concilii Trullani Canon septimus, quo isti culpantur, quod per causam aliorum munerum ante Presbyteros, πρὸ τῶν Πρεσβυτέρων, sedere ausi sunt.

CANON XIX.

Ibid. l. 10. ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς] Augustinus, Haeresi 44, ‘Paulianos baptisandos esse in Ecclesia catholica Nicaeno ‘Concilio constitutum est. Unde credendum est eos regulam ‘baptismatis non tenere, quam secum multi haeretici, quum ‘de catholica discederent, abstulerunt, eamque custodiunt.’ Sane Paulianistas sive Paulianos non baptisasse in nomine Trinitatis constat, quia Christum purum esse hominem credebant, et Trinitatem aperte negabant, unde et δεύτεροι Ἰουδαῖοι appellati sunt. Epiphanius, Haeresi 65, οὗτοι δὲ τὸν Ἰουδαϊσμὸν παραφθείροντες, οὐδὲν περισσότερον τῶν Ἰουδαίων κεκτημένοι, δεύτεροι Ἰουδαῖοι κληθήσονται, καὶ Σαμοσατῖται. *Hi vero Judaismum corrumpentes, nihil amplius Judaeis habentes, secundi Judaei vocabuntur, et Samosatitae.* Nicetas in Thesauro Orthodoxae Fidei, lib. iv, haeresi 32, Zenobiae ‘Syriam Phoeniciamque regenti, quum Paulus obsequi vellet, ‘ut quae Judaismum profiteretur, ipse quoque unum esse ‘Deum docuit, qui Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus unus ‘idemque diceretur. Unus enim, inquit, Deus est, et Filius ‘ejus in eo, quemadmodum in homine sermo.’ Idem tradit

Epiphanius loco citato de ejusdem haeresi loquens, *φάσκει δὲ οὗτος, Θεὸν Πατέρα, καὶ Υἱὸν καὶ ἅγιον Πνεῦμα ἕνα Θεόν· ἐν Θεῷ δὲ ἀεὶ ὄντα τὸν αὐτοῦ Λόγον, καὶ τὸ Πνεῦμα αὐτοῦ, ὥσπερ ἐν ἀνθρώπου καρδίᾳ ὁ ἴδιος λόγος*: *Asseruit autem hic, Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum Deum esse: in Deo autem semper esse ipsius Verbum et Spiritum ipsius, quemadmodum in hominis corde est proprium verbum.* Paulianistae autem sive Pauliciani, et Samosatitae appellati sunt a Paulo Samosateno Antiochiae Episcopo, ut tradit Suidas in verbo *Μάνης*. *Παῦλος δέ τις σύγχρονος αὐτοῦ, Ἐπίσκοπος Ἀντιοχείας τῆς μεγάλης, ἐκ τούτου καὶ οἱ Παυλιανοί*. JUSTEL. Primo tenendum est, Dominum nostrum Jesum Christum a mortuis suscitatum, priusquam ad Patrem suum ascenderet, in mandatis dedisse, ut ad Christianam religionem conversi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizarentur, Mat. xxviii, 19. Hinc catholica Ecclesia, idque summo quidem jure, perpetuo consentit, baptismum nemini rite collatum esse, nisi juxta Domini institutionem, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti celebratus fuerit.——Hinc igitur est, quod Patres hi Nicaeni Catharos quidem ad Ecclesiam accedentes baptizari non praecipiant, Can. viii, quippe qui antea in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti baptizati fuerint. Paulianistas autem in praesenti Canone *ἀναβαπτίζεσθαι* decernunt. Quum hi enim, uti paulo ante ostensum est, divinam Filii naturam denegarent, ac proinde in sanctam Trinitatem non crederent, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti baptizare non poterant; atque ideo baptismus ab iis collatus nomen illud immerito sortitus est. Quum enim juxta Domini praeceptum non celebratus fuerit, nec per eum quispiam vere Christianus fieri potuit. BEVEREGIUS.

P. 382. l. 18. *ἐμνήσθημεν δὲ τῶν Διακονισσῶν τῶν ἐν τῷ σχήματι ἐξετασθεισῶν*] Particulam *τῶν* in Conciliorum editt. Labbaei et Harduini ante *Διακονίσσων* omissam, quam vero praestant Conciliorum edit. princeps ceteraeque Canonum Collectiones, et tres saltem Codices Bodleiani, in textum revocavi. Quod attinet ad Diaconissas hic memoratas, aiunt Zonaras et Balsamo, Canones Carthaginienses testes citantes, virgines castimoniam professas anno aetatis suae vicesimo quinto habitum quendam ab Episcopo accepisse, et, quum annum quadragesimum implevissent, Diaconissas ordinatas fuisse. Confer Binghami Eccles. Christianae Antiquitates, lib. II, cap. 22, §. 6. Ita, si vera Zonarae expositio, tum forent verba in hunc sensum accipienda: commemoratis resipiscentibus Diaconissis conclusimus in illis Diaconissas ha-

bitu tantum, nondum manu iis imposita; quae, quum nullam prorsus ordinationem habeant, inter laicos omnino recenseri debent; nisi si, quod non verisimile videtur, prius quoddam decretum suum Patres respiciunt. Est autem hoc simpliciter Patres dicere, Meminimus de Diaconissis in habitu recensitis, istas omnino quia non habeant manus impositionem, inter laicos censeri. Habes *βασανοὺς τῷ δοκεῖν καὶ τῷ σχήματι* in Ancyrani Concilii Canone primo commemoratas. Confer et supra Canon. Nicaen. XII. De *τῇ χειροθεσίᾳ* Diaconissarum post annos aetatis suae quadraginta completos sancitum est decimo quinto Canone Chalcedoniorum.

CANON XX.

P. 383. l. 4. *ἐν τῇ Κυριακῇ γόνυ κλίνοντες*] Videsis quae annotantur ad S. Petri Alexandrini Canonem ultimum apud Reliquias Sacr. vol. IV, pag. 73. Abest vero hic Canon Nicaenus a Rufiniana eorundem Canonum abbreviatione, Hist. Eccl. X, 5; neque, ut olim ad Reliquas Sacr. notavi, exstat idem in Quesnellana Canonum Collectione; quae quum statuatur a Quesnello, fuisse Ecclesiae Romanae Codex, nec porro in Arabica Paraphrasi Canonum Nicaenorum hic Canon compareat, inde colligit idem vir cl. in Dissert. XII post S. Leonis M. Opera, morem istum apud Romanam saltem Ecclesiam nunquam omnino receptum fuisse. At Rhabanus Maurus, Moguntinus nono quoque saeculo Archiepiscopus, in Institutione Clericorum nobis praecipit, cum die Dominico, tum Pentecostes diebus nec jejunia agenda, nec genua esse flectenda, majorum traditione et universae Ecclesiae more appellatis, capp. LXX et LXXI. Atque apud nos occidentales in desuetudinem abiisse ritum istum, omnino mirandum est, quum ab ipsis incunabulis Christianismi observatus esset, quod testatur Tertullianus supra in lib. de Oratione cap. 23, et de Corona cap. 3, tum etiam universalis Concilii decreto confirmatus fuerit. Verum apud plebem Christianam, cujus maxima pars, in ruralibus Ecclesiis, solo die Dominico precibus publicis adesse solet, id quidem poenitentibus et petentibus minus conveniens esset, ut nunquam orarent vel genua, vel corpora, flectentes, semper autem stantes. Sed haec hactenus. Insuper Canon omissus est in antiquissima illa interpretatione a Ballerinis edita, in qua similiter atque in Collectione Quesnellana sine distinctione Canones Sardicenses subjecti sunt Nicaenis.

P. 383. l. 5. *ὑπὲρ τοῦ πάντα ἐν πάσῃ παροικίᾳ ὁμοίως παραφυλαττέσθαι*] Ita edidit Beveregius in Synodico, quam quidem scripturam firmant omnes Codices scripti Bodleiani, in

quibus exstat ὁμοίως παραφυλάττεσθαι, dum vulgo φυλάττεσθαι, sine ὁμοίως, positum est. Sed ὁμοίως et φυλάττεσθαι nobis praestant Joannes Antiochenus in Collectione Canonum, et Codex, quem Justellus Universae Ecclesiae appellat; habentque vocem *communiter* veteres versiones Latinae, et Tiliani Codicis interpretatio *similiter*. Exstant quoque apud Gelasium Cyzicenum verba haec, ὑπὲρ τούτου, πάντα ὁμοίως ἐν πάσῃ παροικίᾳ ὁμοφρόνως φυλάττεσθαι. Silent de tota sententia in Commentariis suis Zonaras et Balsamo. Porro autem simili de causa, unanimitatis gratia, conditum est ab hac Synodo, quomodo etiam decem ante annos ab Arelatensi prima, celebre de Paschae tempore decretum, quod quidem non ex fuga solum imitationis Judaicae proficiscebatur, sed constituta illa regula est, ut concordes omnes Christiani in celebrando tanto festo evaderent; quum alioquin iisdem diebus contingeret, ut alii quidem jejunio antepaschali intenti essent, alii vero epulis post Pascha solitis operam darent. Cons. Eusebium de Vita Constantini lib. III, capp. 5 et 8, atque hujus Synodi Epistolam, quae ad Ecclesiam Alexandrinam scripta apud Socratem et Theodoretum conservatur; hanc autem in Appendice saltem, etsi in Canonum vix ullis Collectionibus haberi consuetam, collocaturus sum.

IN

CONCILII CONSTANTINOPOLITANI CANONES ET SYMBOLUM ANNOTATIONES.

EPISTOLA.

P. 387. l. 10. *τὸν εὐλαβέστατον Βασιλέα Θεοδόσιον*] Imperatorem Romanum *Βασιλέα* Graecos quidem appellavisse norunt omnes; sed in Epistola ad Frontonem ipse Marcus Caesar Regis se filium Latine dicit. Vide Frontonis Reliquias a Cardinali Maio primum editas Mediolani, p. 33.

P. 389. l. 2. *εὐχαῖς τῶν ἁγίων*] Pro eo quod est, *per preces*, *δι' εὐχῶν*.

CANON I.

P. 390. l. 6. *εἶτ' οὖν Εὐδοξιανῶν*] Eudoxius primo Germaniciae, postea Antiochiae, et ultimo Constantinopoleos Episcopus ordinatus est. Socr. Hist. Eccl. II, 37, 42; Theodoret. Haeret. Fab. IV, c. 2; Sozom. Hist. Eccl. l. III, c. 5. Hic eadem omnino omnia quae Eunomius docuit, ut patet ex Theodoret. Haeret. Fab. lib. IV, cap. 3; ac proinde hoc in loco haec duo, tanquam synonyma, eorundem haereticorum nomina usurpantur: *Εὐνομιανῶν εἶτ' οὖν Εὐδοξιανῶν*. Theodoretus autem Arianos etiam Eudoxianos ipsius Eudoxii temporibus audiisse tradidit: *Οἱ δὲ Ἀριανοὶ καὶ Εὐδοξιανοὶ προσωνομάσθησαν κατὰ τὸν Εὐδοξίου καιρόν*. Theodoret. ibid.

Statim autem post Eudoxii obitum hoc nomen usurpari desiit, et posteris paene inauditum est, unde Gregorius Magnus in Epistola ad Eulogium Alexandrinum, ‘ Praeterea,’ inquit, ‘ idem frater noster omnia in suis synodicis Deo autore ca‘ tholice locutus est. Quendam vero Eudoxium damnavit, ‘ quem neque in Synodis damnatum invenimus, neque a de‘ cessoribus suis in suis Synodis reprobatum.’ Greg. Epist. lib. VI, Epist. 125. Sane non ipse Eudoxius, sed tamen Eudoxiani praesenti Canone diserte damnantur. Haec BEVEREGIUS. Verba Gregorii sunt, qui in loco superiori de Cyriaco Patriarcha CPol. loquitur, aitque Romanam Ecclesiam hactenus haud recepisse Canones hujus Synodi, sed tamen in hoc ipsam Synodum admisisse, quod ab ea damnetur Macedonius, ‘ Et Canones quidem Constantinopolitani ‘ Concilii Eudoxianos damnant. Sed quis fuerit eorum auctor ‘ Eudoxius, minime dicunt.’ Sed misso Eudoxio, liquido nobis constat, centum annos post Gregorii tempus Canones quatuor priores hujus Synodi CPtanae ab Ecclesia Romana receptos esse, siquidem in Collectione Canonum, quam Romanus Episcopus Hadrianus I Carolo M. dedit, hi Canones exstant. Porro vel ante Gregorii M. tempora eos in Canonibus suis Dionysius Exiguus reposuerat; quos quidem Dionysii Canones aequalis ejus Cassiodorus, in Divinis Lectt. cap. xxiii, ait, ‘hodie usu celeberrimo Ecclesiam Romanam complecti.’ Praestat denique hos quatuor Canones prisca illa Canonum Versio apud Justellum, quae condita est ante Dionysianam.

P. 390. l. 7. *τῶν Ἡμιαρειανῶν εἴτουν Πνευματομάχων*] Homoeusiastae isti, qui, ut fertur, hoc primum loco Semiariani nominantur, in diversas partes distracti sunt; quarum nonnullae contra Divinitatem, atque etiam personalitatem, Spiritus Sancti disputabant. Substituerunt *Macedonianos* Latini interpretes pro *Semiarianis*, Macedonii *τοῦ Πνευματομάχου* discipulis.

Ibid. l. 8. *καὶ τὴν τῶν Σαβελλιανῶν*] Vulgo desunt voces *καὶ τὴν τῶν* in Conciliorum textu, sed ad oram paginae positae sunt. Eaedem exstant in ceteris Canonum Collectionibus, et in septem ex octo Bodleianis Codicibus; nam in margine Codicis numero 26 signati eadem manu verba addita sunt. Recepta ea ex principe in novissimam Conciliorum editionem post vidi. Huc autem respicere videntur Episcopi CPtani, dum aiunt isti in Epistola ad Occidentales post hoc Concilium scripta, Superiore anno *τῶν ἔναγχος καινοτομηθείσων αἱρέσεων ἀναθεματισμὸν ἔγγραφον πεποιήκαμεν*. Apud Concilia, vol. I edit. Harduin.

CANON II.

P. 390. l. 12. *Τοὺς ὑπὲρ διοίκησιν Ἐπισκόπους*] Sensus hic est, Caveant Episcopi, ultra vel extra dioecesin aliquam existentes, ne Ecclesias illius dioecesis invadant. In hoc quidem Canone recensentur quinque tantum diocceses, sive plurium simul provinciarum praefecturae, Aegyptus, Oriens, Asiana, Pontica, Thracia. Reliquae vero imperii Romani diocceses fuerunt Macedonia, Dacia, Italia, Illyricum, Africa, Hispaniae, Galliae, Britanniae. Cautum insuper est Nicaenis Canonibus, prout de iisdem hic Canon refert, ut in unaquaque provincia Synodus metropolitica res provinciae ecclesiasticas administraret.

Ibid. l. 17. *ἐν τοῖς Κανόσι τοῖς κατὰ Νικαίαν*] Canone Nicaeni Concilii sexto.

P. 391. l. 4. *τῆς Θρᾳκικῆς, τὰ τῆς Θρᾳκικῆς*] Habent Concilia loco priori *Θράκης*; quum vero exstet *Θρᾳκικῆς* utroque loco in omnibus fere Canonum Collectionibus praeter Beveregii Synodicum, in quo contra *Θράκης* utroque loco positum est, conveniatque lectio cum nominibus provinciarum antecedentium, *Θρᾳκικῆς* substitui. Variant inter se Codices scripti Bodleiani.

Ibid. l. 10. *κατὰ τὰ ἐν Νικαίᾳ ὡρισμένα*] Canone quinto, ad quem videsis annotata. Ita vero rem geri secundum Canones, ut aiunt ipsi, Nicaenos, referunt Episcopi CPtani in Epistola modo commemorata; *Περὶ δὲ τῶν οἰκονομιῶν τῶν κατὰ μέρος ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις, παλαιός τε, ὡς ἴστε, θεσμὸς κεκράτηκε, καὶ τῶν ἁγίων ἐν Νικαίᾳ Πατέρων ὅρος, καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τοὺς τῆς ἐπαρχίας, καὶ εἴπερ ἐκεῖνοι βούλοιντο, σὺν αὐτοῖς τοὺς ὁμόρους πρὸς τὸ σύμφερον ποιεῖσθαι τὰς χειροτονίας.* p. 826.

Ibid. l. 11. *τὰς δὲ ἐν τοῖς βαρβαρικοῖς ἔθνεσι τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας*] Haud obstante, ait in Nomocanone suo Photius, regula, ne possit quis esse Episcopus in duabus civitatibus, Tomensis Episcopus reliquarum Ecclesiarum Scythiae curam gerit, et Leontopolis urbs Isauriae sub episcopatu Isauropolis est. Photii Nomocanon, tit. i, cap. 20, pag. 15, edit. Paris. Porro diu ante Photii tempora, ex Actis Concilii Ephesini constat, quum vetus mos viguisset in provinciis Europaeis Ponto vicinis, ut singuli Episcopi duas vel tres sub se haberent civitates, ab eodem Ephesino Concilio ipsam hanc consuetudinem firmatam esse. Vide finem Actionis VII, p. 1678, vol. I, Concil. Harduin. Adisis quae de priori regula ad Epistolam Vienn. et Lugd. apud Reliquias Sacr. vol. I. p. 336, adnotantur.

P. 391. l. 22. *κατὰ τὴν κρατήσασαν συνηθείαν τῶν Πατέρων*] Praepositionem *παρὰ* ante *τῶν Πατέρων* Concilia addunt, posita vero in margine altera lectione; aitque Harduinus hanc habere Balsamonem et Zonaram, Canones designans in horum commentatorum editionibus collocatos. Addere iis licet omnes fere Canonum Collectiones, in quibus, sicut in tribus MStis Bodleianis, lectio haec, quam praetuli, exstat. Solus Joannes Antiochenus *ἐπὶ τῶν Πατέρων* habet.

CANON III.

Ibid. l. 15. *Τὸν μέν τοι Κωνσταντινουπόλεως Ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα*] De hoc Canone, qui a Socrate l. v, Hist. c. 28, et Sozomeno l. vii, Hist. c. 9, commemoratur, consulas quae ad Concilii Chalcedonensis Can. xxviii annotaturi sumus.

CANON IV.

P. 392. l. 2. *Μαξίμου τοῦ κυνικοῦ*] Maximus iste ad sedem Constantinopolitanam contra Canones evectus erat. *Οὗτος κυνικὸς ὢν φιλόσοφος παρὰ Θεολόγου βαπτισθεὶς τοῦ ἁγίου Γρηγορίου διὰ χρημάτων παρά τινων Κωνσταντινοπόλεως κεχειροτόνηται. καὶ γνωσθεὶς ἀπεδοκιμάσθη.* Scholium ad Harmenopuli Epitomen Canonum apud Leunclavii Jus Graeco-Rom. p. 16.

P. 392. l. 7. *ἀκυρωθέντων*] Hactenus Dionysius Exiguus et Isidorus Mercator. Sequentia in solo Graeco Canonum Codice leguntur, et Graecis Canonum Collectoribus atque Interpretibus. HARDUIN. Nec prisca Versio, quam edidit ex patris sui bibliotheca Henr. Justellus, alios quosvis praeter quatuor hos Canones agnoscit.

CANON V.

Ibid. l. 9. *Περὶ τοῦ τόμου* &c.] Definitionem intelligit fidei Nicaenae ab Episcopis occidentalibus Sardicae firmatam, teste Balsamone et Zonara. Alii epistolam Damasi Papae ad Paulinum Episcopum Antiochenum superius editum, p. 760, malunt intelligi, cum anathematismis supra positis, p. 801, quibus orientales Episcopi in Synodo Antiochena anni 378 subscripserunt. HARDUIN. Opinionem hanc, quae Henr. Valesii est, praetulit alteri Beveregianae ab Harduino hic propositae Cavius, de hoc Concilio agens in Hist. Lit. vol. i, p. 365. Quin ita se habet unus ex anathematismis illis, *Εἴ τις μὴ εἴπῃ τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ Πνεύματος μίαν Θεότητα, ἐξουσίαν, δυναστείαν*, &c. p. 804. Confer et Epistolam Episcoporum CPol. ad Occidentales. Certe perti-

nere verba videntur ad scriptum aliquod occidentalium Praesulum in causa Antiochenorum, qui diu quidem non tantum schismatibus, sed etiam haeresibus valde vexati fuerant. Ceterum videsis infra quae ad Canon. VII de his ultimis Canonibus allata sunt.

CANON VI.

P. 394. l. 4. *τοῖς κανονικοῖς ἡμῶν Ἐπισκόποις*] Forte *κοινωνικοῖς ἡμῖν, qui nobiscum communicant,* hoc loco legi satius fuerit; quae vox in Synodica inferius recitanda legitur. Haec HARDUINUS. Ibi exstat *τοὺς ἐν ταῖς ἐπαρχίαις κοινωνικοὺς Ἐπισκόπους*, et hoc loco habent scriptum *κανωνικοῖς*, fors. *κοινωνικοῖς*, Codd. 26 et 625 olim Rawlinson. dum legitur *ἡμῖν* in Codice Justelli. Equidem velim istud *κοινωνικοῖς ἡμῖν* substituere pro lectione recepta, quam praestant non tantum Concilia, sed et ceterae fere omnes Canonum collectiones et plurimi MSti. Ceterum, quoniam de Codice, quem Universae Ecclesiae appellavit Justellus, sed tempora antiquissima si spectentur, vix satis recte, saepenumero inter haec facta est mentio, deque eodem Codice minus accurate loqui vel viri doctissimi videntur, age describamus quae de illo ipse quoque scripsit Justellus. ‘Sane textum ‘ipsum Graecum ex edito Codice Tilii,’ haec est Canonum Graecorum editio princeps, ‘bona fide excerpsimus; et quia ‘multis in locis mendosus erat, collatis et inter se com‘paratis Graecorum Conciliorum [Canonum edit. 1661] Co‘dicibus editis et manu exaratis, quos amicorum beneficio ‘nacti sumus, accurate emendavimus, variasque lectiones ‘ad oram adscripsimus.’ Haec vir cl. fine Praefationis in Codicem Canonum Ecclesiae Universae, edit. Paris. anno 1610. Et profecto, quoscunque Canones post Joannem Tilium edidit Justellus, exceptis illis Synodorum Trullanae et Nicaenae secundae, iidem medio saeculo nono a Leone IV Papa in Epistola ad Episcopos Britannorum tanquam recepti ac valentes proponuntur. Vide Epistolam quae in Codicem Gratiani relata est, Dist. 20, cap. 1. Verumtamen nomine Canonum seu Statutorum Ephesinorum aliquos minus recte ita appellatos significari a Leone, alios quam illos a Graecis receptos, ostendunt veteres Latinae Canonum interpretationes. Vide not. infra ad Canones Ephesinos.

Ibid. l. 5. *τῶν ἀπὸ τῆς Ἐκκλησίας*] Habent Concilia *τούτων* pro *τῶν*, conjiciente tamen ad marg. Labbaeo legendum esse *τῶν*, quod quidem exstare in MS. et apud Zonaram et Balsamonem addit Harduinus. Praebent istud *τῶν* Cano-

num Collectiones, et Codices scripti Bodleiani, praeterquam quod nec τῶν nec τούτων habet Codex 26.

P. 395. l. 9. ἐξετάσει] Vulgo τάξει, sed ἐξετάσει, quod melius est, ad oram Codicis Univ. Ecclesiae a Justello ut lectio varians affertur. Atque idem illud Labbaeus habet ad marg. Conciliorum; exstante eo apud Joannem Antiochenum in Digesto Canonum, omnesque MStos Bodleianos, et MS. a Lloydio Episcopo collatum. Paulo ante αὐτοῖς pro αὐτοῖς scribendum videtur. Omnino silet, ut obiter hoc notem, CPtanus hic Canon de ullis cujuscunque generis ad sedem Romanam appellationibus.

Ibid. l. 13. ἢ οἰκουμενικὴν Σύνοδον ταράσσειν] Causae pleraeque ecclesiasticae exceptis de fide controversiis hic spectantur.

CANON VII.

Ibid. l. 20. Τοὺς προστιθεμένους τῇ ὀρθοδοξίᾳ &c.] Hic, fateor, Canon in omnibus Balsamonis et Zonarae commentariorum editionibus habetur. Citatur etiam a Photio in Nomocanone, tit. xii, cap. 14, necnon in Alexii Aristeni Epitome contractus exstat. Sed in omnibus Latinis Canonum versionibus, in veteris Interpretis Dionysii Exigui, Isidori Mercatoris, &c. item in Symeonis Logothetae Epitome et Arabica Josephi Aegyptii paraphrasi, et, quod in primis observandum est, in ipsa Joannis Antiocheni Collectione, et Nomocanone, desideratur; idque non ipsius incuria, ut ex eo patet, quod in ordine Canonum a se descripto sex solum Canones huic secundae generali Synodo attribuat, dicens, τῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει συνελθόντων Πατέρων, ὑφ' ὧν ἐξετέθησαν Κανόνες ς', ut extra dubium sit praesentem inter hujus Concilii Canones his diebus non recensitum fuisse. Quinetiam tota Canonis hujus compositio cum, nec praesenti nec alii cuivis Synodo, nisi forsitan Trullanae, de qua mox agemus, adscribendum esse non obscure indicat. Nihil enim in eo constituitur, nihil confirmatur; sed tantum antiqua quaedam haereticos conversos recipiendi consuetudo hic recitatur. Et ubi de nonnullis signandis verba fiunt, nihil praecipitur de modo quo celebrandum est, nec de verbis in ritu isto pronunciandis, sed tantum quae verba pronunciari solent, Σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος Ἁγίου, quae quidem loquendi formula synodali cuilibet constitutioni non convenit. BEVEREG. Pergit vir eruditissimus sententiam suam eo fortius munire, quod existit epistola quaedam, ex verbis hujus Canonis omnino constans, Constantinopoli ad Martyrium Episcopum Antiochenum post annum 455 missa. Ex hac vero epistola

desumptum esse censet Beveregius Canonem xcv Concilii Trullani, cujus quidem Canonis pars prior et major plane eadem est atque hic Canon CPtanus, nulla tamen mentione facta ejus a Patribus Trullanis. Epistolam ad Martyrium primus edidit Joannes Leunclavius in Juris Graeco-Romani libro quarto, p. 290. Nec dubitant de septimi hujus Canonis suppositione fratres Ballerini, qui de eo, ac simul de quinto et sexto Canonibus, haec monent: 'Canonibus IV Synodi CPtanae an. 381 Justellus tres alios adjecit. 'Hi utique non erant in veteri Graeco Codice, quum nec in 'Dionysiana nec in aliis antiquis versionibus inveniantur. 'Certe Canon VII ad eamdem CPtanam Synodum nequaquam pertinet: unde nec apud Joannem Scholasticum, 'qui Canones quintum et sextum licet addititios recepit, 'hic septimus legitur. Serius multo hic conditus, nedum 'adjectus fuit. Quintus autem et sextus Canones forte con'stituti fuerunt in alia CPtana Synodo subsequentis an. 382. 'Hac vero II Synodo ob idem nomen urbis et ob temporis 'propinquitatem cum priori confusa, facili hallucinatione al'terius Canones cum Canonibus alterius confusi et copulati 'fuerunt.' De Antiquis Collectionibus et Collectoribus Canonum, p. I, c. i, §. 10, p. 10. Appendicis ad Opera S. Leonis M. Venet. 1757. Hunc fuisse Canonum quinti et sexti ortum, aliis quoque viris eruditis statuere placuerat; quod et firmari videtur verbis Canonis sexti, *αἱρετικοὺς δὲ λέγομεν, τοὺς πάλαι τῆς Ἐκκλησίας ἀποκηρυχθέντας, καὶ τοὺς μετὰ ταῦτα ὑφ' ἡμῶν ἀναθεματισθέντας*, supra pag. 393. Haec Canonem primum respiciunt, anno priori conditum; nam Patres CPtani, auctore Theodoreto lib. v Hist. Eccles. c. 8, qui in suam quisque patriam reversi erant, sequenti aestate *οἱ πλεῖστοι* quidem eorum eandem urbem iterum adierunt.

P. 396. l. 1. *ἀπὸ αἱρετικῶν*] Haec verba cum sequentibus mihi quidem jungenda videntur, non, ut vertit Hervetus, cum antecedentibus. Imitatus est epistolae auctor locum Actorum Apost. ii. 47, *Ὁ δὲ Κύριος προσετίθει τοὺς σωζομένους καθ' ἡμέραν τῇ Ἐκκλησίᾳ*.

Ibid. l. 3. *καὶ Σαββατιανοὺς*] Non videtur apud Socratem *Sabbatianorum* nomen usurpatum ante annum circiter 392. HARDUIN. Hoc est, post tempus hujus Concilii. Sed meminisse nos oportet, vocem hanc in Canone nunc existentem agnosci neque epistola ad Martyrium, neque Canone Trullano, de quibus jam ante dictum est. In Codice quoque vetustissimo Bodleiano, qui num. 26 designatur, hoc nomen ad marg. tantum positum videtur. De Sabbatianis vero haec Sozomen. Hist. vii, 18, *Ἐπὶ δὲ τῆς παρούσης ἡγεμονίας*, [Va-

lentiniani et Theodosii] καὶ Ναυατιανοὶ πρὸς σφᾶς διενεχθέντες περὶ τῆς πασχαλίας ἑορτῆς, ἑτέραν αἵρεσιν τῶν καλουμένων Σαββατιανῶν συνεστήσαντο. Σαββάτιος γὰρ πρεσβύτερος ὑπὸ Μαρκιανοῦ χειροτονηθεὶς ἅμα Θεοκτιστῷ καὶ Μακαρίῳ τοῖς συμπρεσβυτέροις ἑπόμενος τοῖς ἐν Παζουκώμῃ συνηλυθόσιν ἐπὶ τῆς Οὐάλεντος βασιλείας, ἠξίου ἅμα τοῖς Ἰουδαίοις τὴν τοῦ πάσχα ἑορτὴν ἐπιτελεῖν· ἀποστὰς δὲ τῆς Ἐκκλησίας [designatur Ecclesia Catholica] τὰ μὲν πρῶτα, πῇ μὲν ἀσκήσεως ἕνεκα, ἄριστα γὰρ ἐβίου, πῇ δέ τινας ὑπονοεῖν ἀναξίους κοινωνίας μυστηρίων ἐσκήπτετο· ὡς δὲ ἐγεγόνει δῆλος νεωτερίζων, &c.

P. 369. l. 4. Ναυατιανοὺς τοὺς λέγοντας ἑαυτοὺς Καθαροὺς] Περὶ τῶν ὀνομαζόντων ἑαυτοὺς Καθαρούς ποτε, initium est Canonis VIII Concilii Nicaeni. Augustinus de Haeresibus, cap. 38. 'Cathari, qui seipsos isto nomine, quasi propter 'mundiciam superbissime atque odiosissime nominant, se-'cundas nuptias non admittunt, poenitentiam denegant, No-'vatum sectantes haereticum; unde etiam Novatiani appel-'lantur.' p. 194 edit. Cant.

Ibid. l. 5. καὶ καθερωτέρους] Vulgo ἀριστέρους, eandemque vocem ab omnibus quidem receptam, et in omnibus scriptis Bodleianis exstantem, habet etiam Canon Trullanus XCIV, eam sic interpretante Balsamone, καλοῦνται δὲ οἱ αὐτοὶ καὶ ἀριστέροι, ὡς τὴν ἀριστέραν χεῖρα βδελυττόμενοι, καὶ μὴ ἀνεχόμενοι δι' αὐτοῦ τὸ ὁτιοῦν ὑποδέχεσθαι. Similiter interpretatur Harmenopulus de Sectis, sect. XV. Sed ait Beveregius nuspiam legi, Novatianos se ἀριστέρους, *sinistros*, vocasse. Porro Zonaras alter Graecus Interpres neglecta hac voce hoc tantum posuit—καὶ Ναυατιανοὶ οἱ ἑαυτοὺς καθαροὺς ὀνομάζοντες, ὧν τὰς αἱρέσεις παραδεδηλώκαμεν. Justellus autem ad oram Codicis quem vocat Ecclesiae Universae, ut varietatem lectionem adlevit ἀρίστους. Annotant quoque Graeci ad Pedalium suum, ἐν ἄλλοις κεῖται ἀρίστους. Beveregiusque ait, legendum haud dubie καὶ ἀρίστους, vel saltem καὶ καθαρωτέρους, ut in Epistola ad Martyrium, e qua hic Canon descriptus videtur. Olim quidem opinatus sum, substituendum esse hoc loco καὶ ἀρίστους, nunc vero potius standum esse fidei Codicum Epistolae ad Martyrium, in quibus exstat καὶ καθερωτέρους, id quod demum recepi. Legere vult Johnsonus, Anglicus Canonum Interpres, καὶ κρατίστους, tanquam a secundis nuptiis abstinentes.

Ibid. l. 6. εἴτουν Τετραδῖται] Balsamonis interpretatio est, Οἱ αὐτοὶ δὲ [Τεσσαρεσκαιδεκατῖται] καὶ Τετραδῖται λέγονται, ὅτι τὸ πάσχα ἑορτάζοντες, οὐ καταλύουσιν, ἀλλὰ νηστεύουσιν, ὥσπερ ἡμεῖς, τὰς τετράδας· ποιοῦσι δὲ τοῦτο κατὰ τοὺς Ἰουδαίους, οὗτοι γὰρ μετὰ τὸ πασχάσαι ἐπὶ ὅλαις ἑπτὰ ἡμέραις νηστέουσι,

πικρίδας καὶ ἄζυμα ἐσθίοντες κατὰ τὴν τοῦ παλαιοῦ νόμου διάταξιν. Quum obscuriora haec sint, nec quidquam de Τετραδίταις adnotaverit alter interpres Zonaras, hac voce potius significari putem illos, qui in hebdomada antepaschali haud exspectato resurrectionis festo, quod quidem aliter atque Quartadecimani die Dominica semper celebrabant, jejunium quadragesimale, seu antepaschale, tetrade solvere consueverint. Quem quidem morem, ut in vol. I et III Reliquiar. Sacr. ostendi, improbant Canone suo quinquagesimo Laodiceni Patres, et Canone vicesimo nono Trullani.

P. 396. l. 14. Εὐνομιανοὺς μέν τοι] Ante haec verba positum est istud in Codice MSto Bodl. 158, Περὶ δὲ τῶν Παυλανιστῶν τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας ὅρος ἐκτέθειται, ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξ ἅπαντος. Significatur Canon Nicaeni Concilii XIX.

Ibid. l. 15. καὶ Μοντανιστὰς] Montanistarum, qui hoc loco inter haereticos de S. Trinitate minus recte sentientes commemorantur, pars certe dicitur eadem atque Sabelliani statuisse. Ita auctor libelli Adversus Haereses ad calcem Tertulliani de Praescript. Haer. 'Privatam,' inquit, 'blasphemiam illi [pars haereticorum *Secundum Phrygas* appellatorum] qui sunt kata Aeschinem, hanc habent, qua adjiciunt etiam hoc, ut dicant Christum ipsum esse Filium et Patrem.' c. viii, p. 171. Et ante hanc Synodum baptizandos esse Cataphrygas seu Montanistas jusserat Canon Laodiceni Concilii octavus. Hoc interea pro recta alterius partis Montanistarum fide afferendum est, Tertullianum, jam Montanistam factum, Praxeam Antimontanistam propter errores dictos usitatius Sabellianos oppugnavisse.

P. 397. l. 2. ποιοῦμεν αὐτοὺς Χριστιανούς] Suicerus in Thesauro seu Lexico Ecclesiast. voce Χριστιανὸς, allato hoc Canone ait, 'In quibusdam Ecclesiis Graecanicis, immo vel in plurimis prima die fiebant et dicebantur Christiani, qua crediderant, et se credere professi erant; sequenti die in catechumenos conscribebantur.——. In Occidente similiter prima credendi professione fiebant Christiani, quam Concilium Eliberinum, Canone XLII, *fidem primam credulitatis* appellat. Prima illa fidei credulitate, cum impositione etiam manuum, quasi benedictione, recipiebantur inter catechumenos, et Christiani tum demum dici incipiebant, ut liquet ex ejusdem Concilii Canone XLIV,' tom. II, p. 1540.

Ibid. l. 7. βαπτίζομεν] Epistola Episcoporum, qui Constantinopolin convenerunt, ad Occidentales, apud Theodoretum exstans, quaeque in Codice Canonum a Ballerinis fratribus ad calcem Operum S. Leonis M. primum edito Latine verti-

tur, inter haec proferenda esset, nisi constitisset scriptam esse epistolam anno proximo post finitum hoc Concilium.

P. 398. l. 1. Symbolum Constantinopolitanum] Desumptum est ex Actione Secunda Chalcedonensis Concilii, pag. 288 edit. Harduin. p. 342 edit. Labbe. Ubi Symbolum hoc dicitur ab Actio Ecclesiae CPtanae Diacono fuisse recitatum. Ἀέτιος ὁ εὐλαβέστατος Διάκονος Κωνσταντινουπόλεως ἀπὸ βιβλίου ἀνέγνω οὕτως· Ἡ ἁγία πίστις, ἣν ἐξέθεντο οἱ ἅγιοι Πάτερες ρν΄ συμφωνοῦσα τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ Συνόδῳ τῇ ἐν Νικαίᾳ. Et convenit haec formula cum Symboli exemplo in Jeremiae Patriarchae CPtani Responso Primo ad Augustanam Confessionem Tubingam misso anno 1576. Vide p. 10 ed. Lips. 1758. Tantum quod in Jeremiae exemplo particula καὶ, in articulo de Spiritu S. τὸν Κύριον καὶ τὸ ζωοποιὸν, desideratur. Quae quidem particula neque agnoscitur in Marci Ephesini Praesulis Confessione Fidei inedita, quam una cum aliis tractatibus habet Codex MS. D^ni^ Thomae Phillipps, Baronetti, a me jam ante commemoratus, pag. 401, ubi et vox Πατέρα ante παντοκράτορα deest. Sed in vocibus *Dominum et vivificantem* particulam *et* praestat antiquum illud Symboli exemplar Latinum, quod hic sistimus.

Ibid. l. 8. φῶς ἐκ φῶτος] His verbis fere semper in excusis praemittitur illud, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, quod nescit non tantum Chalcedonium hoc exemplar, et praeterea aliud in Concilio Generali sexto adductum, verum etiam duo illa Jeremiae Patriarchae et Marci Episcopi modo commemorata. Idem abest ab exemplari, quod hic sisto, Latino; sed in eo istud quoque desideratur *lucem ex luce*. Voces autem *Deum de Deo* abesse ab omnibus antiquis Codicibus Versionis Latinae Actorum Chalcedonensium, testatus est Steph. Baluzius in Nova Collectione Conciliorum, p. 1256. Sed haec hactenus. Ut ad aliam et diversam rem hoc loco revertar, collegit sibi Rigaltius vel ex disparibus illis inter se narrationibus, quae de Marcione in libris supra collocatis de Praescriptione Haereticorum et contra Hereticos comparent, huncce libellum contra Haereticos non esse Tertulliani.

LECTIONES TERTULLIANEAE

MSS. AGOBARDI ET LUGD. BAT.

Postremo loco jam sequitur Codicis Agobardi et Codicis Bibliothecae Lugduni Batavorum scriptura in iis maxime Tertulliani verbis, quae in nostra editione mutata a lectione recepta discrepant. In fine autem positae sunt hae lectiones, quum typis jam cusum esset hoc volumen, priusquam Varietas utriusque Codicis, in gratiam praestantissimi viri Edvardi Pusey transmissa, Angliam advenit.

In Tertulliani de Oratione Libro Codicis Agobardi Lectiones nonnullae.

Pag. 101, l. 18, quo venit.

P. 102, l. 23, vel veneratio-nem.

P. — l. 26, alius.

P. 103, l. 31, meruerimus. Hoc verbum jam revocatum esse ante meam editionem nunc rescivi in contextu Latino Interpretationi Italicae Tertulliani adposito, Romae, 1756.

P. 106, l. 31, illis, sed illi ad oram Codicis.

P. 107, l. 27, sit.

P. 108, l. 2, quia pro qui.

P. — l. 6, Capiti nono praefixa est in hoc Codice vox *ἀνακεφαλαίωσις*; et reliquis capitibus tituli, qui sequuntur, literis majusculis praepositi sunt.

P. — l. 32, recedere, sed eadem manu corr. accedere; quod in edit. Romanam jam commemoratam revocatum fuisse nunc video.

P. 113, l. 12, quo et S. Paulus.

P. — l. 16, Sed quod promiscue observatur per ecclesias quas—Continuatis vero his verbis, disposita utensilibus, ut et proprias &c. nempe parte re-

liqua libelli de Cultu Foeminarum, seu, de Habitu Mulierum, cap. 9 usque ad operis finem. Hinc jam tandem constat, desumpta esse ex hoc Codice verba superiora a Rigaltio olim adducta.

Est vero notandum de MSto dicto Agobardi, nunc, ut olim, in Bibliotheca Regia Parisiis servato, Rigaltium tam saepe eo usum esse in adornanda editione sua Tertulliani, ut recensio Agobardiana dici illa fere mereatur, ad hos saltem libros quod attinet, de Oratione, et de Praescriptione inscriptos. In Codice altero Lugdunensi Batavorum, de quo agit in Praefatione ad Tertulliani Apologeticum Havercampus, liber de Oratione desideratur.

In Tertulliani de Praescriptione Haereticorum libro Lectiones nonnullae Codicis Bibliothecae Lugdunensis Batavorum, addita subinde Codicis Agobardi scriptura.

P. 122, l. 15, nec esse.

P. 126, l. 9, objurgans et docens.

P. 128, l. 19, Abest hoc membrum orationis, et haeretici—— curiositatem. Sed invenisse videtur *scrupulositatem* in Codice Agobardi Rigaltius, quam vocem habes et initio cap. 27.

P. 129, l. 12, pulsabit.

P. 130, l. 2, expetit sensus ——interpretationibus.

P. — l. 28, quamdiu pro quando Cod. Agobard.

P. 131, l. 15, et velim sic nusquam quasi. Ita et MS. Agobard. sed *si nunquam* praestans. Ab hoc Codice Ag. abest *ero*.

P. 134, l. 1, quodcunque.

P. — l. 32, admittendi MS. Agobard.

P. 136, l. 6, statutum certe.

P. 137, l. 2, regrediens.

P. — l. 21, prima, non primae, et una, non unam, Codex Agob. prout videtur, quum nulla varietas lectionis commemorata fuerit. Atque illud, *dum est illis*, agnoscere videtur MS. Agobardi. *Primae* praestat MS. alter.

P. 138, l. 7, id sine dubio tenentes, MS. Ag. et s. d. t. MS. alter.

P. — l. 10, reliquam.

P. — l. 16, nulla, Codex uterque.

P.—l. 23, qua sursum rursus.

P. 139, l. 23, Spiritum sanctum, Codex uterque.

P. 140, l. 13, atquin, *non* quin.

P. 141, l. 27, sed non omnia.

P. — l. 32, tam id actum et alterius.

P. 142, l. 15, monet.

P. — l. 26, taciti.

P. 143, l. 14, catholice.

P. — l. 24, nam quod amplius Cod. Agobard.

P. 144, l. 23, est abest post unus.

P. 145, l. 14, Ecclesiam suam.

P. — l. 18, ubi tunc Valentinus.

P. — l. 20, catholicam.

P. — l. 22, Elcuteri, Codex uterque.

P. — l. 23, viciabant.

P. — l. 26, relegatus——disseminavit, prout Edit. princeps.

P. — l. 28, conditione.

P. — l. 29, si ceteros quoque quos.

P. 146, l. 22, hoc nomine, Cod. uterque.

P. — l. 26, qui abest a Codice utroque.

P. — l. 27, cupio.

P. 147, l. 1, Apostolos Cod. Agobard. non Apostolus, ut refert Rigaltius.

P. — l. 5, mortuos suscitabant.

P. — l. 8, mendacitati deputandam.

P. — l. 13, et abest.

P. 148, l. 11, desciverunt et aliter.

P. — l. —, praedicaverunt ——formam, absunt.

P. 149, l. 16, Hermogenem, *utrum* aliquem *an* aliquid, *dubito*.

P. — l. 21, jubet.

P. 150, l. 5, angelum.

P. — l. 16, dum non intersit quae quando.

P. — l. 25, ille fuerunt.

P. — l. —, abortae quasdam ex illis opiniones usurpaverunt.

P. 151, l. 14, Abesse videtur, quod, saltem utique.

P. 152, l. 2, contestare.

P. 152, l. 6, potat MS. Ag.

P. — l. 11, sed non sunt ex illa.

P. — l. 17, non nostrae degeneres veritatis grano et m. s.

P. — l. 28, nomine.

P. 153, l. 3, Abest, Mea est possessio.

P. — l. 7, exhereditaverunt.

P. — l. 14, necessarias instituit.

P. — l. 25, *in* additum ante Scripturae, sed *jam inde* non comparere videtur.

P. — l. 26, antequam nihil aliter fuit, antequam sumus, quid denique .. .. fuit antequam nobis interpolaretur.

P. 154, l. 1, et primi et ex ipsis.

P. — l. 14, Haec sunt.

P. — l. 21, suis pro jus. Sed vides praestare videtur MS. Agobard.

P. — l. 24, et versibus. MS. Agobard.

P. — l. 25, Ovidius citra mediam et tr. Sed, MS. Agobard. Vosidius Geta medaee tr.

P. — l. 32, cujuscunque, prout Edd. veteres, quod revocavi, pro cujusque. Id vero indicare neglexi.

P. 155, l. 4, Sed quaeritur.

P. — l. 7, in idolorum misteriis.

P. — l. 9, expiationc.

P. — l. 10, meminit mitre.

P. — l. 17, sacrificantia, sed MS. Agobard. sacrificalia habet; in quo Codice deesse post hanc vocem omnia verba nunc constat, usque dum veneris ad illa prope finem libelli; Sed nunc quidem generaliter.

P. 156, l. 3, Ita omne men-

dacium de Deo vel natio quodammodo sexus est idol.

P. 156, l. 21, fortasse an.

P. 157, l. 6, et loqui.

P. — l. 13, non parent scismata, est enim unitas ipsa.

P. — l. 23, sine Deo, pro sine sede.

P. — l. 24, si sibilat evagatur.

P. — l. 27, dediti.

P. 158, l. 16, saevis.

P. 159, l. 2, sed vos non crederetis, omissis propter τὸ ὁμοιοτελευτὸν vocibus prioribus, semel —— delegaveram.

P. — l. 11, veritatem.

P. — l. 16, Haec in fide veritatis —— in aeternum. Haud exstat haec clausula in Codice Leidensi; eamque nunc quidem novimus ex MSto Agobardi a Rigaltio desumptam esse. In colophone autem hujus libelli in Codice Leid. et in titulo ejus in Codice Agobardi, *de Praescriptione Haereticorum* hoc opus inscriptum est, quemadmodum in utraque editione Rigaltii. Verum in Codice Leidensi praestat libri titulus usitatius illud, *De Praescriptionibus Haereticorum*, dum alii habent, *De Praescriptionibus adversus Haereticos.*

In Libello Adversus Omnes Haereticos Codicis Lugdunensis Batavorum Scriptura.

P. 161, l. 21, daemone se errante, qui etiam s. d. quaerendam.

P. 162, l. 1, post hunc.

P. — l. 4, inferiores.

P. — l. 6, Post similitudinem abest Rigaltii illud, illam superiorem propter.

P. 163, l. 13–15, Desunt voces, fuisse——obscoena. Proxime sequitur, omnes enim.

P. 164, l. 13, at medietate.

P. — l. 15, Ialdabaothum tamen inferius.

P. 165, l. 32, morte nascitur.

P. 166, l. 8, Chain.

P. — l. 25, et quo colligere temptatam.

P. 167, l. 4, legem esse proponit.

P. — l. 9, circumcidens.

P. — l. 26, dicto hoc.

P. — l. 28, in dilectione.

P. — l. 31, contristatus est.

P. 169, l. 17, et ineptum sit.

P. 170, l. 8, diceret.

P. 172, l. 2, Christum pro nomine appraehensus negavit.

P. — l. 7, nullo alio.

Hic Codex, tum in initio libelli tum in colophone, istum titulum, *Tertulliani adversus omnes Haereses*, inscriptum habet; cujus operis nulla fit mentio in illo Agobardi.

OMNIBUS jam prelo mandatis quae ad volumina haec pertinent, sero huc demum advenere lectiones Codicis Ambrosiani variantes. Is vero Codex est, ex quo partem ultimam libri antea mutili de Oratione desumpsit Muratorius, qui eandem partem cum toto opusculo adnotationibus instructo Anecdotis suis adjecit. Una autem cum supplemento duodecim capita proxime antecedentia in hoc MSto a Muratorio reperta sunt. Etiam in illa parte, quam ex Codice scripto supplevit vir cl. bonae frugi est quae sequitur Varietas; immo vero ad capita antecedentia quod attinet, integrae et intactae sunt Codicis opes, quoniam in capitibus illis textum Tertulliani vulgo receptum posuit Muratorius, raro habita ratione Ambrosiani Manuscripti, ex quo insigne auctoris nobis dedit additamentum.

Codicis Ambrosiani in parte posteriori Libri de Oratione Lectiones nonnullae variantes.

P. 108, l. 23, MS. Ambrosianus recte habet accedentium desideriorum, sine interjecto illo, jus est, quod in contextu meo omissum est.

P. — l. 32, MS. optime, Quale est enim ad Dei pacem accedere. Accedere, quod probabat pro recedere, poterat Muratorius recepisse. Confer notam ejus ad locum.

P. 109, l. 1, Additur nostrorum post debitorum.

P. — l. 18, emittitur pro mittitur.

P. — l. 26, Additur a saevitia, ante voces, a veneficiis.

P. — l. 27, manuum opere pro m. opera.

P. — l. 30, Habent Codex iste et MS. Agobard. veniunt post corporis.

P. — l. 31, scrupulosius pro scrupulose.

P. — l. 33, Verborum quod aperit sensum; comperi commemorationem esse, Pilatum manus abluisse in Domini deditionem.

P. 110, l. 9, incrustatae pro cruentatae.

P. — l. 16, attingimus pro attigimus, quod Muratorius aliique habent.

P. — l. 20, definiunt pro fiunt.

P. — l. 33, Insigniter additur, nisi quam pueri volunt, Qui enim Hermas &c. (fors. Si enim.)

P. 111, l. 5, sedissem pro assedissem, prout Hermae aliquot MSS. Habet impressus Hermas, consedissem.

P. — l. 10, Addit et ante adoratis MS. Ambros. vel MS. Agobardi.

P. — l. 24, Nam et ille publicanus; Addidit particulam et MS. uterque.

P. — l. 25, vultu humilis pro v. humiliatus.

P. — l. 27, Hoc lemma addunt MSS. Ambros. et Agobard. De Sono vocis.

P. 112, l. 14, disceditur pro receditur.

P. 112, l. 15, ratio pro operatio, sicut alii.

P. — l. 20, totum pro in totum.

P. — l. 23, juris pro foris.

P. — l. 27, similiter et de, sicut alii.

P. 113, l. 2, accepit.

P. —l. 15, morositatem pro operositatem.

P. — l. 16, Recte habet MS. observatur, pro Muratoriano observetur.

P. — l. 28, Qui ita concedunt &c. Ante nova haec a Muratorio primum edita lemma praefixum est in MSto, Responsio.

P. — l. 32, Eva—experta pro Evam—expertam.

P. 114, l. 21, MS. habet *quam*, quod pro *tam* typis impressum esse debuisset.

P. 115, l. 9, virginitatem defunctas.

P. — l. 13, ne virgines.

P. — l. 23, ut velandum feminis esse. Posuit Muratorius, feminas velandas esse. Verius fuisset, velandum feminis esse.

P. 116, l. 4, jam pueritia mutavit. Omisit Muratorius jam, quod reponi debet.

P. — l. 12, plene pro plane.

P. — l. 21, admittere. Bene reposuit amittere Muratorius.

P. 116, —, ad eidem periculis.

P. 117, l. 14, sponso demonstratam.

P. — l. 23, Dominicae. Male posuit Dominico Muratorius.

P. 118, l. 6, Neque enim, reposuit Muratorius, non enim.

P. — l. 28, debitores trium, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Vocem trium sine idonea causa Muratorius omisit.

P. 119, l. 19, Titulus capitis est in MSto, De Hostia Spiritali, quia oratio sit, quem omitti ab editore non oportebat.

P. 120, l. 10, oratio Christiana. Edidit Muratorius Christianorum, sine causa forsan.

P. 121, l. 14, expandunt. Posuit Muratorius extendunt, sed alterum verbum habes simili in causa supra; Vid. cap. xiv.

Reliquae variationes in parte illa opusculi a Muratorio primum edita, hae sunt.

P. 114, l. 33, vertatur pro vetatur. P. 115, l. 5, Abest et ante investis. P. 118, l. 17, communicatis pro communitatis. Ibid. l. 21, si pro sine. Ibid. l. 22, si pro sit.

208.11
R 765

24600

AUTHOR ROUTH, MARTIN JOSEPH

TITLE Scriptorum Ecclesiasticorum Opuscula Quaedam

3 ed. Vol.1

DATE DUE | BORROWER'S NAME

~~STORAGE - CBEL~~

7-18-86B

24600

~~24601~~